THEOLOGIAE SCHOLASTICAE IN PRIMAM [-TERTIAM] PARTEM DIVI...

Augustin Reding, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

THEOLOGIAE SCHOLASTICÆ IN SECUNDAM PARTEM DIVI THOMÆ,

AD NORMAM THEOLOGORUM SALISBURGENSIUM

TOMUS TERTIUS

DE { ENTE SUPERNATURALI. GRATIA ACTUALI ET HABITUALI, MERITIS.

CUM DUPLICI INDICE.

AUTHORE

A.R.P. AUGUSTINO REDING ORDINIS S. BENEDICTI PROFESSO, ET DECANO EXEMPTI MONASTERII EINSIDLENSIS, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE, ET Ordinario olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis.

SALISBURGENSIS

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET ARCHIEPISCOPI

DOMINI, DOMINI

GUIDOBALDI,

SANCTÆ ECCLESIÆ ROMANÆ CARDINALIS CONSILIARIO.

Typis Monasterii EINSIDLENSIS, Per NICOLAUM VVAGENMANN.

ANNO CHRISTI M. DC. LXVIII.

FACULTAS

ILLUSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI

DOMINI, DOMINI

ABBATIS EINSIDLENSIS.

PLACIDUS

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ABBAS Monasterij Einsidlensis Exempti, & Sacri Romani Imperij

PRINCEPS.

CUM præsens Sacræ Theologiæ Tomus Tertius ab Admodùm Reverendo, Clarissimo, & dilecto nostro Patre AUGUSTINO REDING SS. Theologiæ olim Professore Almæ Archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis, ad instantiam eiusdem Magnifici Patris Rectoris Alphonsi Stadelmayr in lucem publicam edendus per tres Theologos respectivè Sacræ Theologiæ Professores fuerit recognitus & approbatus: idcirco tenore præsentium facultatem concedimus, eundem Typis mandandi. Actum in Monasterio nostro Einsidlensi, die 2. Februarii, 1668.

PLACIDUS ABBAS.



APPROBATIO

THEOLOGICA.

TErtium Tomum, cui titulus est, THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ &c. de Ente supernaturali &c. Admodùm Reverendi ac Clarissimi Domini AUGUSTINI REDING singulari animi admiratione, & jucunditate lustravi, in quo nihil sanctionibus sacris contrarium, quin potiùs Theologicas quæstiones summâ ac mirâ subtilitate ventilatas, atque decisas reperi, ut suum propalent authorem. Faxit Deus, ut author suus ubique, & sibi constans, opus tam præclarum, atque conspicuum, non minùs doctissimorum virorum applausu incœptum, quàm plurimorum desiderio anxiè expetitum, feliciter ad bonum, utilitatemque publicam orbis litterarij perficiat. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij, Anno 1668.

P. Bonifacius Tschupp Monachus Einsidlensis & SS. Theologiæ Professor Ordin.

QUia in hoc Admodùm Reverendi & Clarissimi Domini AUGUSTINI REDING Decani nostri tractatu de Gratiâ, velut in Corde habes diffusam gratiam non nisi per Spiritum Sanctum, qui docet omnem veritatem, hinc charitas suadet & urget, illum diffundi per corda credentium & docentium omnem veritatem. Dabam in exempto Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarii, Anno 1668.

P. Ægidius Efinger Monach. Einsidlensis, & SS. Theol. Professor Ordin.

Ter-

TErtius hic Tomus Admodum Reverendi ac Clarissimi Domini AUGUSTINI REDING de Gratiâ divinâ tutos orthodoxæ Fidei, & Decretorum Pontificiorum tramites debito conatu, & religione observat, ut adeò lucidissimas gratiæ divinæ gemmas ad optatum littus publicæ utilitatis deducat. Cum voto pari felicitate reliquis Sacræ Doctrinæ quæstionibus aliquando ultimam manum imponat. Dabam in Monasterio Einsidlensi, die 2. Februarij. 1668.

P. Dionysius Hartman Monachus Einsidlensis, & Theologus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

Uemadmodùm Corporeus mundus suum ornatum ac splendorem mutuat ex luce, sic mundus spiritualis ex Intelligentijs ac mentibus rationalibus subsistens unicè fulget ex Gratiæ Divinæ lumine. Lux ceu qualitas per sui puritatem divini Puri subsistentis Esse singulariter repræsentativa, Corporei mundi tenebras, ac privationes ex materiali ipsius concretione & potentialitate intrinsecà obortas abstergit. Gratia verò ex purissimo divinæ naturæ splendore per Increatum simplicis Intelligentiæ lumen sub æternâ Primogenitæ lucis Filij Dei ac Imaginis Patris consubstantialis generatione Idealiter formata, dum per divinum Spiritûs Sancti in æternitate spirantem amorem in creatas mentes diffunditur, istas transformando in Deitatis formam ac similitudinem non quidem Consubstantialem, sed analogicam & accidentariam, radijs suæ lucis abstergit maculas ex mentium creatarum ad objecta creata materiali concretione ortum habentes, itaque elevat ad Essendi statum omnimodâ creatâ substantià sublimiorem. Lux equidem corporea sub ipsum creationis initium producta exinde per divini Verbi omnipotentissimam vim quarto die conversa in solem, hoc Planetà mediante, fulgoris radijs collustravit universa cœlorum astra, ita ut supra septenarium Planetarnm numerũ in Firmamento corruscarent ceu virtutes cœlorum, stellarum lumina, suisque hinc influxibus terræ impressis, gemmarum fulgores ex terrestri materià enasci facerent. Gratia sanctificans instar Primæ Lucis ex divinæ Naturæ splendore, ejusque ideatione secundùm participationẽ quasi specificam formata, & ut sic ex quasi specifico Divinitatis gradu secundùm quartum Perseitatis modum formaliter specificativè exemplata, per suæ connaturalitatis exigentiam in mentem creatam est profundens septenarium Donorum Spiritûs Sancti, ceu Mystici intra animam Gratià sanctificante collustratam firmati cœli Planetarum numerum unà cum virtutibus non Theologalibus duntaxat, sed Moralibus infusis, & quoad substantiam supernaturalibus, ad instar stellarum, in animæ Sanctæ firmamento collucentibus. Ex quarum adeò influxu universæ & animæ, & corporis vires divinæ lucis impressiones eatenus recipiunt, ut bonorum operum merita, veluti Gemmæ splendidæ ex ipsis oriantur, donec illucescat dies, in quo Primæva Gratiæ sanctificantis lux in solem conversa, Lumine Gloriæ mediante, ipsum Essentiæ Divinæ increatum solem, quatenus in ipsis sanctorum splendoribus subsistit, sub mentis Sanctæ aspectum ac fruitionem adducatur. Hanc igitur Primam Gratiæ sanctificantis ex ipso divinæ naturæ splendore ideatam lucem unà cum septem Spiri-

tûs

tûs Sancti Donis, ceu mysticis Planetis, nec non infusis supernaturalibus virtutibus, tanquàm præclaris animæ Sanctæ sideribus, ac exinde ad instar fulgentium gemmarum enascentibus meritis præsens hìc Tomus exponit, ut simul etiam ostendatur, qualiter peccatorum tenebræ ex illius divinæ lucis irradiatione abstergantur. Verùm sicuti astra tam fixa, quàm errantia nullum ex se influxum terris infigunt absque solis ceu Planetarum ac stellarum Principis influxu: sic, quia anima per gratiæ sanctificantis lucem illustrata, sub Donorum Spiritûs Sancti, ceu Planetarum in hac vitâ adhuc errantium, ac virtutum supernaturalium exercitio nequit alicujus meriti influxum habere absque solis increati prævio concursu, seu gratiâ Actuali præveniente, ad hujus quoque naturam & efficaciam inter Doctores apprimè controversam, quantum licuit, præsens Tomus se extendit. Quæ proinde, dum sub tuum, Benevole Lector, aspectum producuntur, tuæ simul Benevolentiæ ac judicio, inprimis autem Sanctæ Apostolicæ Sedis censuræ omnimodò subjecta sunto, ita ut pro non dictis haberi velim, si vel apex S. Romanæ Ecclesiæ, sive Orthodoxæ Doctrinæ, sive sacratissimis Decretis quoquo modo adversaretur.

VALE, ET FAVE.

P. AUGUSTINUS REDING
Ord. S. Benedicti in Monasterio EINSIDLENSI Professus, & Decanus.

INDEX QUÆSTIONUM, ARTICULORUM, ET CONTROVERSIARUM

QUÆSTIO I.

DE

QUÆSTIO II.

DE

CONTROV.

QUÆSTIO V.

DE

IN PRIMAM SECUNDAE DIVI THOMÆ AQUINATIS

DE

GRATIA.

1. Uæ hactenus de Actibus Moralibus, eorumque Principijs tum Effectivis, tum Motivis, tum Directivis ex *1. 2.* deduximus, ea sunt ferè communia actibus naturalibus, & supernaturalibus, nec tam ipsam supernaturalitatis Formalitatem; quàm potentialitatis ad supernaturalitatem elevabilis rationem præseferunt. Cùm proinde Moralitas secundùm hominis non in puris naturalibus constituti statum perfecta & completa importet supernaturalem mediante gratiâ elevationem, de ipsâ modò agemus, tam Gratiam Moralitatis supernaturalis effectricem, quam animæ nostræ Formaliter Sanctificatricem, operumque Moralium in ratione Meriti Dignificatricem, unà cum effectibus expo situri. Cui immediatè subnectemus Tomum de Incarnatione, ac deinceps de Sacramentis, cùm istæ materiæ ex Tertiâ Summæ Divi Thomæ petitæ singularem cum gratiâ habeant connexionem, 2.

Nec tamen quispiam imaginetur sibi, quam differre cogitamus, Secundam Secundæ omninò ex opere nostro Theologico sublatam iri, illam enim dilationem consultò facimus, tum ob rationem præallegatam, tum vel maximè, quòd, cùm in Secundâ Secundæ sint quàm plurimæ Practicæ cum Jure tàm Civili, quàm Canonico, nec non Controversisticâ Theologiâ connexæ materiæ, quas in Theologiâ saltem Scholasticâ, imò & Morali ob definitam annorum tot materias complecti impotentem periodum exactiùs discutere non vacat. Idcirco, ut præractis ex Tertiâ parte absolutis materijs, ordine congruo & ad normam Scholasticam, si Deo ter Optimo Maximo placuerit, diutiùs immorari liceat, illas præmittendas duximus.



QVÆSTIO PRIMA

DE

ENTE SUPERNATURALI.



3. Upernaturale ex nominis Ethymo est id, quod naturam excedit, sive quod vel in Essendo vel in operando non est secundùm leges naturæ, sed elevatiorem habet rationem, & regulam, uti habet Cabrera *3. p. q. 2. a. 2. disp. 2. §. 2. n. 17.* Ista verò elevatior essendi seu operandi ratio est quandoque respectiva duntaxat, excedens non omnem, sed aliquam partiticularem naturam creatam; diciturque *supernaturale secundum quid*: quandoque verò
4. superat omnem universi naturam creatam & creabilem, diciturque *Supernaturale simpliciter*, à Francisco de Lugo *1. p. lib. 1. disp. 8. cap. 1. n. 1.* descriptum, quod sit supremus rerum ordo & perfectissimus gradus Essendi, quasi specificus, dans *Formaliter Esse* Dei Proprium aliquo modo, nimirum vel per modum naturæ Divinæ, vel affectionis, vel aliqualis participationis Deitatis, ut talis est. In cujusmodi proinde Entis *simpliciter* supernaturalis quidditate, ejusque speciebus indagandis, Quæstionem in tres articulos dispertitam instituimus, in 1. acturi *De Ente supernaturali in genere, ejusque divisione in Ens supernaturale quoad substantiam, & quoad modum.* In 2. de *Actibus & Habitibus quoad substantiam supernaturalibus.* In 3. *denique de Donis Spiritûs Sancti.*

ARTICULUS I.

DE

Ente supernaturali in genere, eiusque in Ens quoad Substantiam, & quoad Modum supernaturale divisione.

CONTROVERSIA I.

In quo Formaliter consistat Entis simpliciter supernaturalis Quidditas & Essentia?

INquirimus in hac Controversiâ Entis *simpliciter* supernaturalis quidditatem, hâc enim præhabitâ, facile erit, Entis *secundùm Quid* supernaturalis rationem definire.

Referuntur Sententiæ.

1. ANtonius Perez *in Laureâ Salmanticâ certam. 4. Scholastico. n. 39.* Supernaturalitatem desumit ex ordine ad Deum quà Trinum. Fundamentum à Francisco de Lugo *cit. disp. 7. cap. 1. n. 2.* deductum est. Dupliciter enim potest considerari Deus scilicet ut Author Naturalis, & Supernaturalis. At Deus ut author Naturalis consideratur ut Unus, infinitus, omnipotens, quin ut sic præcisè spectatus requirat cum unitate Essentiæ triplex suppositum, sed unicum: nec enim ampliùs ex creaturis colligi potest. Unde res naturales à Deo ut authore naturæ procedentes, hoc solùm modo participant naturam Divinam. Econtrario igitur quatenus procedunt à Deo tanquàm authore supernaturali; ut sic dicunt quandam imitationem Divinæ Essentiæ, quatenus est una in triplici supposito. Hinc enim habitus Fidei ex naturâ suâ potens elicere cognitionem Dei quà Trini repræsentativam est ejus similitudo saltem intentionalis, Deique quà Trini participatio.

2. Zumel *1. 2. to. 2. q. 110. a. 4. disp. 5. concl. 1.* Supernaturalitatem describit ex ordine ad Deum, non ut Trinum, sed prout in se secundùm propriam suam Entitatem est super omnem substantiam creatam, ita ut omnia illa accidentia, quæ Deum, ut est in seipso, attingunt vel cognoscendo, vel amando, & proportionando creaturam Deo, ut est in se, pertineant ad ordinem supernaturalem.

Fundamentum est. Quia præter Trinitatem Personarum sunt etiam in Deo aliæ perfectiones supra totam naturam creabilem, nulli adeò creaturæ communicabiles. Hujusmodi autem sunt Esse à se, esse infinitum in Essentiâ, esse actum omninò purum, Omnipotentem, &c. Unde licèt Deus per impossibile non esset Trinus, nihilominùs secundùm illas formalitates superaret totam naturam creabilem. Nequit proinde supernaturalitas præcisè sumi ex solâ Trinitate Personarum: siquidem intuitiva visio Dei quà unius summi Boni, quamvis Dei ut Trini non esset manifestativa, adhuc foret supernaturalis, utpote sub ratione objecti proportionati excedens vires naturæ creatæ.

Antonius Perez *citatus* cùm sententiam priùs expositam mutâsset, *n. 48. & 50.* docet, Ens supernaturale esse idem, quod Ens divinum, seu Ordinis Divini. Fundamentum est. Nam Ens supernaturale significat illud, quod est supremi & ultimi Ordinis. Hoc autem est Ens Divinum. Istud verò est, quod vel Formaliter est in Deo, ut adeò omnis Deo intrinseca Formalitas sit substantialiter supernaturalis, vel quod Deus operatur in nobis, ut proportionato modo perfruamur illo, eumque intra proprium ordinem, & juxta exigentiam ac elevationem objecti attingamus, sive per assimilationem mediâ gratiâ sanctificante, sive per cognitionem mediâ fide, sive per amorem mediâ charitate. 3.

Nonnulli à Francisco de Lugo *cit. cap. 1. n. 10.* allegati tenent, Primam radicem supernaturalitatis in Entibus creatis esse connexionem, quam habent entia supernaturalia cum Deo, quatenus immediatè & per seipsum sub propriâ & speciali ratione unitur alicui creaturæ, vel *physicè* per unionem Hypostaticam, vel *intentionaliter* per unionem Divinæ Essentiæ cum Intellectu Beatorum moventis, terminantisque per seipsam, & claram sui visionem determinantis. Quam nihilominùs unionem non debere esse immediatam, sed sufficere mediatam etiam Moralem, qualis fit in Meritis & in ijs rebus, quæ per modum deputationis, aut signi conducunt ad alteram ex prædictis unionibus. 4.

Fundamentum est. Quia connexio Entium supernaturalium cum Deo Hypostaticè unito, aut clarè viso reddit *Formaliter* ea entia alterius superioris ordinis: siquidem natura humana ex se, & ab intrinseco nullum prorsus ordinem dicat ad Deum sic visum, vel unitum. At accidentia esse alterius superioris ordinis est radix, ex quâ oritur, quòd subjectum ordinis inferioris non habeat potentiam ad ea suscipienda. ex S. Thomâ *1. 2. q. 62. a. 3. & q. 63. a. 4.* Eo ipso autem, quòd accidens aliquod in tantum excedat universas creatas substantias, ut nulla habeat potentiam naturalem ad id suscipiendum, oportet, tale accidens esse supernaturale. Ergo Prima supernaturalitatis radix rectè constituitur in illâ ad unionem Hypostaticam, seu claram Dei visionem connexione tum immediatâ, tum mediatâ saltem morali.

Franciscus de Lugo *cit. disp. 7. cap. 3. & 4.* docet *primò.* Cùm supernaturale sapiat Divinitatem, posse ad instar hujus tripliciter investigari tum viâ supereminentis negationis, denegando Enti supernaturali proportionem, connaturalitatem, & debitum quodcumque respectu naturæ: tum viâ supernaturalis affirmationis, tribuendo illi excessum & supereminentiam supra totam naturam creabilem: tum deniq; viâ processûs ex principijs revelatis sine respectu ad naturam creatam formalem supernaturalitatis rationem in se ipsâ rimantis. *Secundò* Pro istâ tertiâ viâ ineundâ oportere in Deo quinque gradus Essendi ad extra distingue- 5.

stinguere communicabiles, ita ut *primus* sit Essentialitatis abstractè sumptæ, *secundus* substantiæ, *tertius* vitæ, *quartus* spiritualitatis ac intellectualitatis, *quintus* denique ipsius naturæ Divinæ *Formaliter* importantis Essentiam ac Intellectionem divinam. Hinc *tertio* omnia illa Entia, quæ participant quatuor priores universaliores Entitatis Divinæ gradus, esse *Quidditative* naturalia, quæ verò participant aliquomodo quintum modū, propriamque & quasi specificam Divinæ naturæ rationem, esse supernaturalia *Essentialiter*, siquidem communicant, conveniuntque cum Deo in eo gradu, in quo excedit omnem naturam creatam, & creabilem.

6. Fundamentum est. Quò enim universalior est convenientia creaturæ cum Deo, & in serie prædicamentali superior gradus, eò est imperfectior: econtra verò quò gradus in prædicamentali serie inferior est, & creaturæ cum Deo convenientia minùs universalis, eò est perfectior. Sic enim gradus entis ut sic universalissimus est imperfectiss. perfectior autem est gradus substantiæ, atque hoc rursus perfectior est gradus viventis, isto autem perfectior est gradus spiritualitatis ac Intellectualitatis, utpote cujus (teste Divo Augustino *lib. 83. qq. 51.* ad) summa sit cognatio cum Divinâ perfectione. Quare deveniendo ad ultimum gradum constitutionis quasi specificæ Divini Esse, tantus erit excessus perfectionis, ut graduum & ordinem substantiarum creatarum excedat. In cujus proinde gradûs Divini quasi specifici participatione secundùm Divinam ex Sacris Scripturis & Patribus erutam revelationem *intrinsecè* ac *Formaliter* constituitur supernaturalitas formarum supernaturalium. Probatur istud assumptum. Nam 1. per

7. ejusmodi Dona supernaturalia dicimur nasci, seu renasci, generari, aut regenerari ex Deo. *Ioan. 1. & 3. Iacobi 1.* Item *1. Petri 1. & 1. Ioan. 5.* At generatio est procedens in similitudinem naturæ. Ergo per Dona supernaturalia participamus similitudinem naturæ Divinæ. De quâ similitudine seu consortio naturæ Divinæ dicitur *2. Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* 2. Ex vi illius ex Deo regenerationis constituimur Filij Dei *Ioan. 1. & ad Roman. 8.* Unde etiam Deus est nobis Pater. *Ioan. 20. & Matth. 12.* Hæc ipsa autem Filiatio Dei adoptiva est per gratiam sanctificantem, de qua *1. Ioan. 3.* dicitur *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus.* Hæc autem Filiatio Dei fundatur in similitudine participatâ divinæ naturæ, quæ consummabitur in æternâ gloriâ. De quâ consummatâ Divinitatis similitudine habetur *cit. cap. 3. Ioan. Nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Patet proinde ex Sacris Litteris, per formas supernaturales communicari Divinitatis similitudinem, & hinc Sancti dicuntur *participativè* Dij. Hæc igitur ratio similitudinis quasi specificum Divinæ naturæ gradum *Formaliter* participantis est *Formaliter* ratio supernaturalitatis.

Conclusio.

8. Ens creatum quoad Substantiam supernaturale *Formaliter* importat accidentarium Divinæ Essentiæ seu naturæ participationem per modum saltem habitudinis ex illâ tanquàm Formali suo Termino *secundùm quartum Perseitatis modum* specificatam.

Probatur. Ens enim quoad substantiam supernaturale ex ratione suæ propriæ Intelligibilitatis excedit omnis creabilis Intelligentiæ proportionem. Unde non nisi mediante Divinâ revelatione per intellectum creatum est intelligibile. At nulla est possibilis substantia creata, quin sua ratione Intelligibilitatis propriæ sit proportionata Intellectui alicui creato. Quare non est possibilis substantia supernaturalis, nisi ejus Intelligibilitas propria, ejusque adeò Essentialitas sit transcendens omnē Essendi modum cujuscunque creabilis substantiæ. Est autem per se manifestum, quòd substantia omnem cujuscunque creabilis substantiæ modum excedens sit increata, ipsumque adeò Esse subsistens ceu Formale ac Essentiale sui Constitutivum importet. Ex hoc ipso verò, quòd Essentialiter importet subsistens, atque adeò Increatum Esse, implicat ejus fieri substantialem sui eâdem Divinæ Essentiæ formalitate specificam communicationem, nisi consubstantialiter sub omnimodâ Essentiæ unitate ac identitate. Si proinde Ens quoad substantiam supernaturale debeat omnimodam creatæ Intelligentiæ proportionem esse superexcedens, nulla verò formalitas in creatæ substantiæ specificâ quidditate radicata possit omnimodæ creatæ Intelligentiæ proportionem in Esse Intelligibili superexcedere, oportet, ens quoad substantiam supernaturale non posse esse substantiam creatam, ut adeò nequeat se habere nisi per modum cujusdam participationis accidentariæ omnimodam creabilem substantiam eatenus superexcedentis, ut in nullius creabilis substantiæ quidditate possit esse radicata. At ex hoc infertur, debere talem supernaturalem accidentariam participationem *in quarto perseitatis modo* esse specificatam ex ipsâmet Essentiâ seu Naturâ Divinâ.

Probatur hoc assumptum. Oportet enim, accidens ex formali suo conceptu eatenus specificari ex substantiâ, ut aliqua substantiæ Essentia specifica de quolibet naturali accidente dicatur tum *in secundo*, tum *in Quarto Perseitatis modo*. At eo ipso, quòd accidens supernaturale omnem cujuscunque creabilis substantiæ proportionem superexcedens, nequeat esse radicatum in ullâ creatâ substantiâ tanquàm suo per se subjecto, seu Principio Formali determinativo, ad Divinam verò substantiam, ad quam se habet per modum accidentariæ participationis, comparari non possit *intrinsecè* eam afficiendo, sed *Extrinsecè* duntaxat, sequitur, Divinam substantiam non posse ad accidens supernaturale se habere tanquàm specificativum nisi *in Quarto Perseitatis modo.* Quare Ens creatum quoad substantiam supernaturale rectè describitur participatio accidentaria ex substantiâ qua *specificè* Divinâ, sive ex gradu quasi specifico Essentiæ & Naturæ Divinæ secundùm *Quartum Perseitatis modum* specificatâ. 9.

Confirmatur inductione. Duplex enim ex fide Divinâ novimus Entis quoad substantiam supernaturalis genus. Alterum est spectans ad lineam Essendi ut sic, estque adeò Essentiæ Divinæ participatio per ipsam qua *formalissimè* Essentiam *in* 10.

Quarto Perseitatis modo specificata. Ejusmodi verò est communicatio Esse purè subsistentis Humanitati per Hypostaticam cum Verbo Divino unionem communicati. In illâ Verbi communicatione Hypostaticâ est intelligibilis tum formalis communicatio, vi cujus ipsamet Divina Hypostasis suum intrinsecum subsistens Esse per se ipsam in genere Principij quasi formalis, sive actûs Puri Formaliter actuantis est communicans Humanitati, huic formalem subsistendi rationem tribuendo: tum Causalis communicatio, vi cujus receptæ in Humanitate, ista intrinsecè proportionatur ac determinatur ad formalem Divini subsistentis Esse actuationem intrinsecè & formaliter communicandam. Inter has verò duas Divini subsistentis Esse communicationes hoc interest, quòd prior Formaliter in se spectata sit Ens supernaturale increatum, & non nisi Terminativè (prout illam Causalem actionis Hypostaticè unitivæ communicationem est terminans) non tam intrinsecè, quam Extrinsecè importet formalitatem creatam, solùm participativè supernaturalem. Quæ proinde creata illius posterioris Causalis Hypostaticè unitivæ communicationis formalitas est Ens supernaturale Formaliter creatum. Ut sic autem ex specificâ suâ quidditate importat habitudinem formalitatis Causaliter unitivæ in Quarto Perseitatis modo specificatam ex ipso Divini Verbi Esse subsistente. Patet igitur, Ens quoad substantiam supernaturale ad Essendi lineam spectans esse formaliter participationem accidentariam sub ratione unionis Causalis in Quarto Perseitatis modo specificatam per Esse Dei subsistens, atque adeò per ipsammet Essentiam Divinam.

11. Alterum proinde Entis creati quoad substantiam supernaturalis genus est pertinens ad lineam operativam, atque adeò ad Naturam, estque adeò participatio accidentaria per ipsamet Naturam divinam in quarto Perseitatis modo formaliter specificata. Est autem Natura Divina ipsum Esse subsistens in se Intelligibiliter expressum, sive Intellectio per Esse Dei subsistens Formaliter Identicè in primo Perseitatis modo specificata. Hanc verò Divinam ex Ipsomet Dei subsistente Esse Intrinsecè specificatam Intellectionem Virtualiter consequitur Amor, per illud ipsum Purissimæ actualitatis Esse quà in se intelligibiliter expressum Formaliter Iden-
12. ticè specificatus. Quare Ens creatum quoad substantiam supernaturale in lineâ operativâ est participatio accidentaria per Divinum in se intelligibiliter expressum Esse in quarto perseitatis modo specificata. Ejusmodi verò participatio est tum gratia sanctificans, virtutes per se infusæ, nec non Dona Spiritûs Sancti, tum Lumen gloriæ, visio & Amor beatificus. At in his omnibus formis supernaturalibus est intrinseca habitudo ad Divinum in
13. se intelligibiliter expressum Esse. Quarum alia est immediata, velut in visione & Amore beatifico, ac lumine gloriæ, Quæ rursus habitudo vel est per modum formæ intrinsecè proportionantis ad Divini Esse intelligibilitatem, vel per modum attactûs vitalis ad Divinum in se intelligibiliter expressum Esse immediatè terminati. Alia proinde ad divinum in se intelligibiliter expressum Esse est mediata, velut in gratiâ & virtutibus supernaturalibus, nec non Donis Spiritûs Sancti. Quæ rursus est vel per modum Primæ radicis, vel per modum Principij & potentiæ ac Dispositionis, sive habitualis, sive actualis habilitans ad Divini Esse intelligibilitatem mediante Lumine gloriæ ac visione Beatificâ in se Formaliter attingendam. Est autem per se manifestum, istas tum formæ intrinsecè proportionantis & attactûs vitalis, tum primæ radicis & Principij seu potentiæ, nec non Dispositionis ad Divinæ Essentiæ intelligibilitatem mediante visione & Amore in se formaliter attingendam, & ut sic mediatè creatæ uniendam habitudines per se in quarto perseitatis modo formaliter specificari per ipsammet Divini subsistentis Esse in se intelligibiliter expressi actualitatem, ut sic naturæ Divinæ formaliter identicè constitutivam. Constat igitur, omni enti creato in lineâ operativâ quoad substantiam supernaturali convenire, quòd sit participatio accidentaria per Divinum in se intelligibiliter expressum subsistens Esse in quarto perseitatis modo specificata.

Dices. Supernaturales formas in Sacris Lit- 14.
teris describi sub quâdam Divinæ Naturæ ideatione & exemplatione, vi cujus adeò reddamur Deiformes & naturæ Divinæ consortes. At ex eo, quòd Formæ supernaturales dicantur accidentariæ per Divinum in se intelligibiliter subsistens Esse in quarto perseitatis modo specificatæ participationes, solùm argui, ipsis inesse quandam intrinsecam ad Divinum subsistens per modum actualitatis purissimæ intelligibiliter in se expressum Esse habitudinem.

Contra. Nam Deus intuendo suam purissi- 15.
mam Essendi actualitatem, hanc eatenus videt in se purè subsistentem; & sub formalitate Essentialitatis infinitam, ut in eâdem contuitus sit vim subsistentis, Essentiæ suæ ut sic, constitutivi, & in tribus Relativis Hypostasibus formalissimè importati Esse eatenus communicativam ad extra, ut mediante Causali creatâ unione posset suammet intrinsecam subsistendi formalitatem creatæ naturæ communicare. At istam infinitam suæ intrinsecæ subsistendi actualitatis ad extra communicativam vim contuendo, formavit eo ipso possibilitatem & quidditatem illius creatæ Causalis Hypostaticæ unitionis, ex ipsamet sui Divini subsistentis Esse actualitate exemplatam & ideatam. Quare illa creatæ Causalis Hypostaticæ unitionis quidditas propria eatenus importat habitudinem ad Divini subsistentis Esse Hypostasin tanquàm terminum, ipsâ mediante, naturæ creatæ formaliter communicabilem, ut in eâdem Hypostaticæ creatæ unitionis formalitate importetur ratio Idealis ex ipso Divino Hypostatico & subsistente Esse exemplatæ communicationis.

Deinde Intellectus Divinus puri subsistentis 16.
Esse in se intelligibiliter expressi actualitatem, seu naturam suam sub formalitate Intelligibilis cum mente creatâ unibilitatis intuens, Idealiter format quidditatem creatæ visionis, quâ mediante fiat ipsius Divini Esse in se intelligibiliter expressi immediata in Esse Intelligibili unio. At sub hâc ipsâ Ideali formatione exprimuntur etiam formalitates ad unionem ejusmodi habilitantes, vel per modum Primæ radicis, vel per modum Principij actuum cum illâ unione intrinsecè proportionatorum effectivi, vel per modum Principij proximè ad unionem ejusmodi Dispositivi & visionis Elicitivi. Quare ejusmodi formalitatibus eatenus inest habitudo quædam ad Divinam naturam sub formali quasi specifico Divinitatis gradu spectatam Essentialiter relata, ut hæc ipsa Essentialis habitudo sit exemplatio ex ipsamet Divinitatis, seu

seu naturæ divinæ gradu quasi specifico ideata, per quam adeò reddamur *participativè* Deiformes, & consortes Naturæ Divinæ.

Responsio ad opposita Fundamenta.

17. AD *n.* 1. propositum fundamentum Respondetur. Id nobis non improbari. Nam mysterium trium in unâ Essentiâ Hypostasum *formaliter* radicatur in Purâ Essendi, sive Esse subsistentis actualitate, ceu gradu quasi specifico Essentiæ divinæ, uti *to.* 1. *q.* 11. *a.* 1. *conc.* 1. diximus. Ex hac enim Puræ Essentialitatis actualitate est expressio intelligibilis per *Esse* subsistens *formaliter Identice* specificata & actuata, ut sic Verbi divini productiva. In illâ verò per divinum subsistens *Esse* actuatâ purissimâ Intelligibilitate est *virtualiter* radicatus amor per Purissimam Essendi actualitatem *formaliter* subsistens, ut sic productivus Spiritûs Sancti. Quia ergo mysterium sanctissimæ Trinitatis *virtualiter* radicatum in Essentiâ & Naturâ divinâ, non incongruè dici potest, Ens creatum quoad substantiam supernaturale esse Exemplativum Mysterij sanctissimæ Trinitatis; *radicaliter* saltem, in ipsomet scilicet quasi specifico Essentiæ & Naturæ divinæ gradu ceu virtuali radice considerati.

18. Ad *n.* 2. propositum fundamentum Respondetur. Etsi Ens quà supernaturale esset intelligibile secundùm ideationem ex Deo non quà *formaliter* Trino, sed uno exemplabilem, hanc ipsam tamen Exemplabilitatem *formaliter* respicere Essentialitatis divinæ formalitatem quà virtualem Mysterij illius radicem. Ex quâ proinde ceu formali habitudinis formarum quoad substantiam supernaturalium *intrinsece* specificativæ termino desumendam esse quidditatem Entis creati *quoad substantiam* supernaturalis.

19. Ad *n.* 3. propositum fundamentum Respondetur. Non improbari nobis, quòd supernaturalitas dicatur consistere in ordine quà *formaliter* divino. Quem equidem ordinem ut sic importare habitudinem ex Essentiæ, vel naturæ divinæ gradu quasi specifico *secundum quartum perfectatis modum formaliter* specificatam. Juxta quam proinde rationem nobis non adversari fundamenta *n.* 4. 5. *&* 6. deducta.

❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter distinguatur Ens quoad Modum, & quoad Substantiam supernaturale?

1. SOmnis est divisio Entis supernaturalis in supernaturale *quoad substantiam*, & *quoad modum*. Supernaturale *quoad substantiam* à Francisco de Lugo *cit. disp.* 8. *cap.* 4. definitur esse id, quod ex essentiâ suâ participat gradum naturæ divinæ, & excedit totam naturam creatam, veluti unio Hypostatica, Lumen gloriæ & similia, quæ tam in Esse, quàm in fieri sunt *intrinsecè* & *quidditativè* ordinis supernaturalis & divini.

2. Ens verò supernaturale *quoad Modum* describitur esse id, quod, licèt habeat essentiam Ordinis naturalis, atque adeò possit secundùm suum *Esse* produci ab agente naturali, tamen eo modo, quo producitur, aut ponitur a parte rei, & cum illis circumstantijs, non potest à causâ naturali fieri, aut constitui, sed a solâ Omnipotentiâ Dei operante supra exigentiam naturæ. Quare author *citatus* ait, hoc Ens esse supernaturale in *fieri*, aut *in modo*, non præcisè, quia sit modus, siquidem unio Hypostatica sit modus, & tamen supernaturalis *quoad substantiam*, sed quia fiat *modo* superante vires, exigentiamque naturæ. Unde creationem animæ naturalis, licèt fiat à solo Deo, non esse supernaturalem nedum *quoad modum*, eò quòd fiat postulante causâ naturali, & dispositione materiæ. At visum cæco restitutum supernaturalem esse *quoad modum*, quia licèt ejus essentia sit naturalis, & in primâ generatione sui à causâ naturali processerit, tamen à solo Deo restituitur, nullâ naturâ exigente. Cujusmodi etiam esse resurrectionem mortui, & generationis hominis ex solâ fæminâ, veluti doceat Suarez *disp.* 30. *Metaph. sect.* 17. *n.* 30. *& in* 3. *par. to.* 2. *disp.* 44. *sect.* 8.

3. Videtur illa divisio concordanda cum alterâ, quâ, prout apud *citatum* de Lugo *cap.* 1. videre licet, Ens supernaturale dividitur in *simpliciter* supernaturale & *secundùm Quid*. Illud est supremus rerum ordo & perfectissimus gradus Essendi quasi specificus, dans *formaliter* Esse Dei proprium aliquo modo, vel per modum naturæ divinæ, vel affectionis illius, vel aliqualis participationis Deitatis, ut talis est. Ens verò *secundum Quid* supernaturale describitur, quod superat hanc, vel illam naturam creatam tantùm, non omnem. Ad quod genus Entis *secundum quid* supernaturalis, ait Author *citatus*, spectare pleraque, quæ communiter supernaturalia, sive Miraculosa reputantur, esseque quandoque Positiva, quandoque verò Negativa. Et quidem inter Positiva *secundùm quid* supernaturalia Entia censeri Dotem Agilitatis, vel in Extrinsecâ Corporis Beati ad localem improportionatum motum elevatione, vel in qualitate Intrinsecâ ceu Angelicæ potentiæ loco Motivæ participatione sitam. Inter Negativa autem *secundùm Quid* supernaturalia numerari Immortalitatem in statu Innocentiæ, in solâ divini ad alterationem corruptivam concursûs denegatione consistentem, sicuti tres pueri in camino ignis ardentis, Daniel inter Leones, Petrus super aquas, & plures Martyres inter attrocissimos cruciatus fuerint illæsi conservati, per solam denegationem divini concursûs respectu agentium naturalium, quæ connaturaliter mortem, aut noxam inferrent.

CONCLUSIO.

SUpernaturale *Quoad substantiam* & *quoad Modum*, distinguitur, quia illud ex suâ specificâ Essentiâ, hoc verò ex modo individuationis, vel effectionis excedit totam naturam.

4. Probatur. Oportet enim illius divisionis membra taliter explicare, ut sub illis comprehendatur omne Ens supernaturale. At Ens ex essentiâ suâ specificâ totam creatam naturam excedens nequit ex aliquâ creatâ substantiâ trahere suam specificationem, sed ex naturâ seu Es-

sentiâ

tiâ divinâ, ex quâ secundùm gradum suum specificum spectatâ *in quarto perseitatis modo* est specificatum, & in sic ex illâ *idealiter* exemplatum. Quod proinde dicitur Ens *secundùm substantiam*, id est, *Essentiam quà specificam*, atque adeò *simpliciter* supernaturale. Quare ut Entis supernaturalis divisio in supernaturale *quoad substantiam*, & *quoad modum* sit adæquata, oportet, istud membrum posterius sub se continere omne Ens supernaturale, quod non *secundùm specificam Essentiam*, seu *substantiam* sit supernaturale. At verò accidentium Eucharisticorum à Corpore Christi *Causaliter* dependens sustentatio est Ens super naturale non *quoad substantiam*. Ergo *quoad modum* duntaxat, & tamen *intrinsecè* in suâ propriâ individuali entitate, non autem *Connotativè* solum ex parte Extrinsecæ Causalitatis Effectricis, importat supernaturalitatem.

5. Probatur istud assumptum. Etenim quantitatis Eucharisticæ independenter à subjecto, nec non qualitatum substantiæ panis propriarum dependenter à solâ quantitate sustentativa ex Christi Corpore *obedientialiter* elevato fluens actio est *formaliter* quoad entitatem suam intrinsecam supernaturalis. In hac verò entitate est intelligibilis gradus tum specificus, tum individualis. Ille autem gradus specificus, quatenus importat quantitatis sustentativam causalitatem, ut sic *in quarto perseitatis modo* specificatur ex substantiâ quà Corporeâ, ad quam se habet quantitas ut passio ex ipsâ emanans. Idem verò specificus gradus, quatenus importat qualitatum substantiæ panis propriarum sustentativam actionem, ut sic *in quarto perseitatis modo* specificatur ex specificâ substantiæ panis Formâ & Essentiâ. Unde si gradus ejusmodi secundùm objectivam graduum methaphysicorum præcisionem spectetur *specificè* in abstracto, non intelligitur totius naturæ creatæ proportionem superexcedens. Quare in concreto duntaxat (sub ratione actionis quantitatem *independenter* à subjecto, & qualitates substantiæ panis proprias *dependenter* à solâ quantitate sustentantis, & ut sic ex Christi Corpore *inextensè* præsentis *efficienter* dependentis) intelligitur habere Entitatem in se *intrinsecè* supernaturalem. At verò actio illa taliter in concreto spectata, ut sic consideratur secundùm modum individuationis, non autem secundùm gradum specificum.

6. Probatur istud assumptum. Quia dependentia ac Independentia à subjecto & principio Efficiente spectat ad gradum Individuationis. Hinc enim Deus tanquàm Ens à se ut sic à Causâ etiam Efficiente independens non secundùm speciem etiam subalteram, sed se toto, differt à substantiâ creatâ, ut sic *Essentialiter* dependente à Principio Efficiente, siquidem ista Dependentiæ & Independentiæ ratio *formaliter* spectet ad differentiam individualem, sub quâ nullum est fundamentum alicujus convenientiæ, & unita is formalis seu specificæ, ut adeò Deus illam Independentiæ sub formali Aseitatis, seu Esse subsistentis ut sic Hæcceitati ratione *quidditativè* importans nequeat sub illâ sui Formalitate, utpote Essentialiter individualiter convenire *univocè* cum substantiâ creatâ. Similiter substantia creata ut sic Independentiam à subjecto in formali hæcceitatis seu subsistentiæ ratione radicatam importans nequit *univocè* convenire cum accidente, radicalem à subjecto dependentiam *Essentialiter* involvente. Unde substantia & accidens non *specificè* duntaxat, sed se totis sunt eo ipso distincta, quòd illa radicalem subsistendi rationem ut sic *formaliter*, hoc verò radicalem sui à subjecto dependentiam, ceu formalem sui individuationem sub suo quidditativo conceptu sit involvens. Quia ergò actio ex Christi Corpore *obedientialiter* elevato fluens accidentium Eucharisticorum *independenter* à substantiâ panis sustentativa, per ejusmodi independentiæ formalitatem est in suâ Entitate supernaturalis, consequens est, istam supernaturalitatem esse ex parte modi ad individuationem spectantis, non verò ex parte gradûs specifici, ut sic totam naturam creatã superexcedentis. Unde padet Ens *quoad modum* supernaturale posse etiam *intrinsecè* in suâ quidditativâ individuali tamen Entitate esse supernaturale, cùm econtra ratio Entis *quoad substantiam* supernaturalis in eo se teneat, quòd ipsius specificus gradus præcisè licèt spectatus, nequeat intelligi radicatus in Essentiâ alicujus substantiæ, seu naturæ creatæ, sitque adeò ex quidditate suâ quà *formaliter* specificâ superexcedens totam naturam creatam. De quo proinde *quoad substantiam* supernaturali Ente procedit hujus articuli prima Controversia.

ARTICULUS II.

DE

Actibus, & Habitibus quoad substantiam supernaturalibus.

Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustif. cap. 7.* definit, quòd *in ipsâ Iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipiat homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem.* Dantur ergo, secundùm concilium Tridentinum virtutes Theologicæ infusæ non tantùm per modum actûs, sed etiam Habitûs, eò quod Justificationem universaliter, atque adeò in parvulis etiam actuum credendi, sperandi & diligendi incapacibus, comitentur. Est autem indubitatum, ejusmodi utpote per se infusas virtutes esse *quoad substantiam* supernaturales. Oportet igitur, virtutes saltem Theologicas esse habitus *quoad substantiam* supernaturales. Verùm superest difficultas 1. *An dentur etiam virtutes Morales per se infusa quoad substantiam supernaturales?* 2. 2. *Utrum actus à virtutibus infusis etiam Theologicis eliciti quoad modum duntaxat, non quoad substantiam supernaturales sint?* 3. *An ex actibus quoad substantiam supernaturalibus frequentatis generetur habitus acquisitus in substantiâ supernaturalis?*



CONTRO-

CONTROVERSIA I.

An dentur etiam virtutes Morales per se infusæ quoad substantiam supernaturales?

1. NOnnulli per Ioannem à Sancto Thomâ [to]. 4. *disp. 16. a. 7.* allegati partem affirmativam adeò certam existimant, ut oppositam aliquâ graviori censurâ dignam existiment, partim quòd Scriptura Sacra de virtutibus Cardinalibus asserat, doceri à Deo. *Sap. 8. Sobrietatem & prudentiam docet & justitiam & virtutem*, partim quòd videatur id decisum & ab Innocentio III. *cap. Majores de Baptismo.* & à Clemente V. in Concilio Viennensi. *Clem. Un. de sum. Trinit. & fide Catholica.* Unde Cathechismus etiam Romanus *cap. de Baptis.* ait, inter cæteros Baptismi effectus esse comitatum omnium virtutum, quæ in animâ cum gratiâ divinitùs inspirantur.

2. Verùm hisce non obstantibus, Ioannes à S. Thomâ *à n. 4.* ostendit, tum quòd illa Sacræ Scripturæ verba solùm probabiliter, non certò probent, virtutes ibi recensitas esse infusas, siquidem intelligi possint de virtutibus Cardinalibus acquisitis, aut de aliquibus virtutum Moralium actibus exercitis per Dona Spiritûs Sancti: tum quòd legenti præallegatum Canonem *Majores* pateat, ibi non definiri, quòd dentur virtutes Morales infusæ, Concilium verò Viennense *præcitatum* opinionem de istis virtutibus infusis censeat solùm probabiliorem, ut adeò ex tali etiam quà probabiliori sententiâ fluxerit illa in Cathechismo Romano expressa doctrina.

3. Unde infert author citatus, sententiam virtutes Morales per se infusas negantem nullâ esse censurâ dignam, uti procederet etiam de virtute Pœnitentiæ. Etenim Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustif. can. 3.* eodem jure supernaturalitatis actûs pœnitendi, atque actus credendi, sperandi, & diligendi Deum censet. *Si quis*, inquiens, *dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere & pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Unde idem Sacrum Concilium *sess. 14. cap. 4.* etiam de Attritione, quæ non est formata charitate, dicit, *esse Donum & impulsum Spiritûs Sancti.* Oportet igitur, actum pœnitentiæ esse actum in substantia supernaturalem. Atqui actus per se, & ex substantia suâ supernaturalis petit principium ex substantiâ supernaturale. Ergo datur pœnitentiæ virtus quoad substantiam supernaturalis, adeòque per se infusa. Verùm abstinendo à censuris, ad ipsum propositæ Controversiæ punctum in fundamento eruendum procedamus.

Referuntur Sententiæ.

4. SCotus *in 3. dist. 36. quæst. un. n. 38.* Heinricus *quodl. 6. q. 12.* Durandus *in 3. dist. 33. q. 6*, Ocham *in 4. dist. q. 3. ad 3. & 4.* Gabriel *in 4. dist. 4. q. 1. art. concl. 7. & art. 3. dub. 2.* Rubion *in 3. dist. 36. q. 1. a. 2.* Bassolis *in 3. dist. 33. q. 2. a. 3.* Argentinas *ibi. q. 1, a. 1.* Almain, *tract. 3. Moral. cap. 9.* Marsilius *in 4. q 10.* Lychetus *commentar. sui subtilis Doctoris ubi supra n. 224.* & Scotistæ omnes negant, dari virtutes Morales per se infusas, & quoad substantiam supernaturales.

Fundamentum à Doctore subtili *citato* deductum est. Licèt enim de istis virtutibus Moralibus infusis multa dicantur, quòd videantur necessariæ propter modum, medium, & finem: quia tamen omnis finis, quem non possunt habere ex specie suâ, determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis, modus verò & medium determinatur per fidem infusam, ideò non videtur necessitas ponendi virtutes morales infusas, sed acquisitas tantùm in his, qui habent, vel habere possunt eas acquisitas. Unde in parvulis non sunt necessariæ, nec in patria quidem, sed sufficit, ipsos bene disponi circa appetibilia per charitatem, quæ disponit circa omnia in unâ ratione volibilis.

Econtra virtutes Morales per infusas adstruunt Divus Thomas *1. 2. q. 63. a. 3.* Cajetanus, Conradus, Medina *ibidem.* Divus Bonaventura *in 3. dist. 23. a. 2. q. 2.* Richardus *ibi. art. 7. q. 2.* Suarez *lib. 6. de Grat. cap. 6.* Valentia *1. 2. disp. 5.* Amicus *to. 8. disp. 1. n. 81.* Franciscus de Lugo *1. p. disp. 9. cap. 4. n. 4.* Ioannes à S. Thomâ *1. 2. disp. 16. a. 7.* & Thomistæ communiter. Fundamentum per Ioannem à Sancto Thomâ *n. 17. & sequentibus* deductum est. Dantur in homine virtutes infusæ & supernaturales, quibus homo dirigitur in finem supernaturalem, & rectificatur circa amorem & intentionem ejusmodi: quandoquidem ex fide divinâ constet, dari virtutes Theologicas tum Intellectum, tum voluntatem immediatè unientes Deo ut Fini ultimo. Atqui rectificatio debet fieri non solùm in ordine ad finem in se, sed etiam in ordine ad media: Si enim vitientur media, non rectè appetitur finis, nec finis est diligendus, nisi ut assequendus per media. Sicut ergo dantur virtutes supernaturales circa finem, sic oportet dari circa media. 5.

Neque licet (ait *citatus* author *à n. 20.*) dicere, tum quòd ad illam mediorum quà in finem supernaturalem dirigibilium rectificationem sufficiant virtutes morales acquisitæ cum imperio & directione Theologalium, tum quòd ad electiones supernaturales mediorum sufficiant Dona Spiritûs Sancti. 6.

Nam contra est 1. Quia ubi specialis est difficultas in materiâ virtutis, ibi specialis est ponenda virtus. At in materiâ virtutum Moralium quatenus secundùm Finem vitæ æternæ ac supernaturalem inclinationē tractandæ sunt, specialis est difficultas, atque sit in ordine ad finem duntaxat politicum. 7. 2. Ne vita supernaturalis sit insufficientior vitâ politicâ, oportet illam intra ordinem suum supernaturalem habere sufficientia media & principia ad omnes actiones humanæ vitæ supernaturaliter ordinandas. 8. 3. Quia Dona Spiritûs Sancti non ponuntur ad operandum juxta regulas humanas etiam supernaturales, sed juxta regulam & mensuram Divinam etiam supra modum ordinarium humanum. 9. Unde Dona Spiritûs Sancti dantur ad operandum ex instinctu peculiari, juxta illud *Roman. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Hic verò instinctus valde rudibus aliquando datur, qui operantur ex quadam connaturalitate, & expe-

& experientiâ Divinorum. At connaturalizari animam noſtram Divinis, & ex connaturalitate ac experientiâ ſeu unione operari, excedit modum virtutis etiam ſupernaturalis in Moralibus; ſiquidem Morales virtutes non operentur viâ unitivâ, ſeu connaturalizatione Divinorum, ſed viâ Illuminativâ, juxta lumen rationis ſupernaturaliter quidem elevatum à fide, ſed tamen o-
10. ſtendente & regulante actiones modo humano, non connaturalizatione Divinâ. 4. Experimur aliquando ex parte Motivi virtutes Morales infuſas. Quamvis enim quis moveatur aliquando ad continentiam, vel abſtinentiam in cibis ex motivo temporali & pertinente ad convictum humanum, & modeſtiam communem, aliquando tamen ſentit, hoc motivum non ſufficere in tentationibus cordis præſertim, inter ipſas paſſiones recrudeſcentes, & ſævientem paſſionum turbinem, tuncque confugit homo ad altius medium, ſcilicet ſupernaturale, cogitando de ardoribus inferni, ſeveritate & abyſſo Judiciorum Dei, & configendo timore carnes, vel ex amore Chriſti Domini, ac Virginis Glorioſiſſimæ, ſive ex cogitatione dolorum crucis abſorbendo omnes tentationes, & tanquàm parvulos allidendo ad petram. In cujuſmodi proinde glorioſo agone author *citatus in ſolut. argum. n. 8.* ait, animam planè experiri ſupernaturalitatem & altitudinem Motivi: ſicut etiam aliquando ait, animam ſentire extraordinario motu ſe ferri in operationes ſuas *in ſpiritu vehementi conterendo naves Tharſis*, temporales ſcilicet vanitates & inſanias falſas, & tunc planè elicere actus donorum virtutibus infuſis Moralibus ſuperiorum, & altiorem regulationem habentium.

Concluſio.

Præter Habitus Theologales dantur Virtutes Morales per ſe infuſæ, ac ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturales.

11 Probatur. Nam ad rationem virtutis ſecundùm Ariſtotelem *2. Eth. cap. 4.* non tantùm requiritur, ut fiat opus ſtudioſum, ſed etiam ſtudioſè, id eſt, ex electione propter honeſtatem in opere ſtudioſo repertam. Unde tot diſtinguuntur virtutes, quot ſunt diverſæ ſpecies honeſtatis per ſe ac principaliter Motivæ voluntatis. Ex quo fundamento idem Philoſophus *3. politic. cap. 3.* docuit, diverſas eſſe civium virtutes, quatenus ordinantur ad diverſas politias, in quibus fundentur diverſæ rationes honeſtatis. Atqui homo conſideratus tum ſecundùm ſtatum naturæ, tum ſecundùm ſtatum elevationis ad fidem & gratiam, non tantùm eſt Civis politiæ naturalis ſecundùm convictum humanum, ſed eſt Domeſticus Dei, ac Civis Sanctorum, membrumque illius ſupernaturalis Politiæ, quam Chriſtus erexit in terris. Ex quâ proinde naturalis & ſupernaturalis politiæ ſeu ſtatûs diverſitate fit, quòd alius finis & modus operandi in homine ſit naturalis, alius verò ſupernaturalis. Sic enim Temperantiæ objectum eſt bonum delectabilium in concupiſcentijs Tactus, aliorumque ſenſuum. Hujus verò objecti Formalis ratio conſiſtit in modo ſeu medio per regulam rationis conſtituto. At medium rationis aliter conſtituitur ſecundùm Regulam rationis humanæ, aliter verò per ſupernaturalem Divinæ rationis regulam: lex enim naturæ ſeu connaturalis ratio hominis præſcribit in cibo & pôtu medium, ne hujus ſumptio fiat per exceſſum, aut defectum in ordine ad valetudinis conſervationem & rationis uſum: Divinæ autem legis ſupernaturali ordini reſpondentis ratio præſcribit Temperantiæ modum, ut homo caſtiget corpus ſuum, & in ſervitutem Chriſti ſeu Cultûs Divini ſupernaturalis redigat aliquando etiam infra neceſſitatem naturæ.

Similiter in virtute Juſtitiæ ſecundùm du-
plicem naturalis & ſupernaturalis rationis ſtatum 12.
diſtingui poteſt duplex honeſtas, altera relucens in reddendo unicuique ſuum, ut concivi humanæ Politiæ, & ob retinendum humanum convictum, ſervandumque jus naturale uniuſcujuſque: altera relucens ex ordine ad alium ut concivem ſupernæ Hieruſalem, & comparticipem Bonorum ſupernaturalium, cum quo ſervanda ſit pax in Spiritu Sanctô.

Pari denique ratione in virtute Fortitudinis
diſtinguenda eſt duplex honeſtas; altera relu- 13.
cens ex convenientiâ ſubeundi pericula, & tolerandi ardua ob Bona hujus temporalis vitæ, ſeu Reipublicæ politicæ: altera relucens in ſuperandis arduis ex Motivo vitæ ſupernaturalis. & æternæ tum propriæ, tum aliorum ſalutis. Sicut proinde propter honeſtates primi generis dantur in homine virtutes Morales acquiſitæ & naturales, ſic propter honeſtatem ſecundi generis dari virtutes Morales per ſe infuſas quoad ſubſtantiam ſupernaturales hoc fundamento eleganter ac ſolidè probat Franciſcus de Lugo *ſupra citatus*;

Dices ex Lychero *ubi ſupra n. 270.* Non appa- 14.
rere, quænam poſſit eſſe honeſtas particularis objecti Temperantiæ, prout reſpicitur à virtute Temperantiæ infuſæ. Etenim talem honeſtatem vel eſſe conducentiam ejus ad vitam æternam ſeu Finem ſupernaturalem; vel eſſe proportionem particularem ejus cum charitate ſupernaturali. At ſi prius dicatur, tunc Temperantiam infuſam non fore diſtinguendam à cœteris virtutibus Moralibus infuſis, ſiquidem omnes conveniant in illâ ratione, ſi verò dicatur poſterius, tunc eſſe à nobis aſſignandum.

Contra. Tota enim ratio virtutis & honeſta- 15.
tis conſiſtit in participatione Increatæ Dei puritatis & Sanctitatis. Unde homo tanquàm creata Dei imago agit honeſtè ac virtuosè, quatenus ad hujus in ſe expreſſæ ſimilitudinis normam & regulam operatur. Hæc verò Divinitatis participata imago convenit homini ſecundùm gradum vitæ intellectualis. At homo conſideratus in ſtatu naturæ participat Dei vitam intellectualem ſecundùm gradum quaſi genericum: ratio enim ſpecifica vitæ ac naturæ Divinæ ſecundùm D. Tho. *1. p. 14. a. 4. q. 4.* conſiſtit in intellectione intuitivâ Eſſentiæ Dei. Hæc verò Divinæ ſpecifica participatur per viſionem Beatificam quaſi *formaliter*, per lumen gloriæ quaſi *Cauſaliter*, per gratiam denique ſanctificantem quaſi *radicaliter*. Quare homo ſecundùm naturæ ſuæ ſtatum nequit attingere ad iſtam Divinæ ſimilitudinis quaſi ſpecificæ, ſed quaſi Genericæ duntaxat participationem. Vi cujus adeò participationis homo lumen Divini vultûs, ſeu Intellectûs in ſtatu etiam naturæ imperfectè tamen ſuper ſe ſignatum habens ex innatâ ſuâ vi ac potentiâ intellectuali per dicurſum natu

Naturaliter tendit ad Dei virtutem sempiternam, ejusque Divinitatem ex magnitudine speciei & naturæ cognoscibiliter videndam. At huic divino lumini naturali respondet in voluntate naturali quædam inclinatio ad prosequendum Dei cultum & amorem. Hinc autem rursus consequitur propensio parti rationali innata ad totius animæ vires ita ordinandas; ut pars sensitiva & vegetativa inserviat rationi; quatenus hæc possit studiosè intendere ad Divini luminis, ac ex hoc in voluntate derivatæ rectitudinis perfectionem in se & alijs promovendam. Ad cujusmodi proinde Finis homini naturalis consecutionem inclinant seminaria virtutum Moralium naturæ quà rationali congenita, habilitantque ipsimet virtutum ejusmodi habitus acquisiti, facilitando ad passionum refrænationem, atque concivium convictum taliter ordinandum, ut pars inferior expedita sit ad famulandum rationi. Vides igitur, virtutibus Moralibus acquisitis in suo objecto Formali respondere specialem honestatem se tenentem in mentis ab inordinatis passionum impressionibus, & rerum terrenarum affectibus depuratione, importante ut sic virtualem quandam in genere Moris ad Finem Ultimum ordinabilitatem; ex Finis ultimi Bonitate Finalizatam; & sub ratione Finis intermedij specificativam virtutum Moralium. Pari proinde ratione quatenus universæ vires nostræ per supernaturalem elevationem sunt ordinabiles in Deum ultimum Finem supernaturalem, ut sic affectuum & passionum nostrarum ad rationem ordinabilitati *objectivè* seu *repræsentativè* imprimitur virtualis quædam in Finem supernaturalem referibilitas, ut sic moralium virtutum specificativa.

16. Probatur istud assumptum. Cùm enim homo ad gratiæ statum elevatus ipsius naturæ divinæ sit consors factus; ideò supernaturalis quædam vis Intellectualis, in patriâ lumen gloriæ, in viâ autem lumen Fidei, est homini divinitùs infusum. Ad hoc verò lumen consequitur rectitudo voluntatis per habitus infusos Spei & Charitatis, tendentes in Deum tanquam Ultimum Finem supernaturalem. At verò, quia homo jubetur prosequi Deum ex toto corde & ex totis viribus, debet consequenter pars etiam sensitiva, imò & vegetativa quà rationi subjecta, non tantùm ex imperio charitatis dirigi in Deum: sed quia ipsi sensibilium & vegetabilium moderationi inesse potest honestas per se appetibilis cum intrinseco ad rationis supernaturalis famulatum ordine, ideò ad istam honestatem prosequendam, homini per gratiam sanctificantem ad supernaturale participatæ Divinitatis *Esse* elevato debent divinitùs infundi virtutes Morales supernaturales moderatrices affectuum nostrorum, cum participatione rectitudinis quasi specificæ voluntati Divinæ inexistentis, & Idealiter manantis ab Essentiali sanctitate naturæ & Intellectionis Divinæ.

17. Probatur istud assumptum. Nam licèt rectitudo Divinæ voluntatis non sit nisi secundùm simplicissimam ex unicâ increatâ infinitate *in primo perseitatis modo* specificationem; hujus tamen Divinæ sanctitatis *Idealiter* participata similitudo dividitur in varias specificas differentias. Ex his autem aliquæ, velut virtutes Theologales, sunt immediatè *in quarto tamen perseitatis modo* specificatæ ex Deo ultimo supernaturali Fine, aliæ verò, virtutes scilicet Morales immediatè *in quarto perseitatis modo* sunt specificatæ ex aliquâ virtuali in Deum ultimum Finem supernaturalem ordinabilitate. Ejusmodi verò virtualis in Finem supernaturalem referibilitas importat quandam animæ ab inordinatis affectibus & passionibus puritatem. At hæc ipsa puritas, cùm secundùm diversitatem objectorum Delectabilium diversas importet difficultates superandas, distinguitur in diversas species Honestatis suâ propriâ appretiabilitate *Motivè* superantis illas difficultates. Cujusmodi proinde diversis Honestatis animam ab objectis rectæ rationi dissonis depurantis Motivis respondent diversæ Morales virtutes. At istæ sunt hoc ipso supernaturales, quòd ejusmodi Honestatis Motiva catenus importent puritatem animæ ad finem supernaturalem dispositivam, ut talis in Finem supernaturalem mediante contemplatione, & dilectione in hac etiam vitâ fruendum ordinabilitas virtualis *Transcendentaliter* ac *Essentialiter* involvatur sub illis Honestatis ac puritatis Motivis, ac ut sic specificativis virtutum Moralium. Vides igitur, qualiter Honestas virtutum Moralium specificativa ex parte objecti & Finis operis importet virtualem in Finem ultimum supernaturalem ordinabilitatem pro diversitate difficultatum in objectis superandarum contractam ad diversas species puritatis Moralis objectivæ, ut sic fundantis virtutes Morales supernaturales specie distinctas.

Instabis. Illam mentis ab inordinatis affectionibus & passionibus depurationem sufficienter fieri per virtutes Morales naturales. At ejusdem in Finem etiam ultimum supernaturalem mediâ contemplatione & amore fruendum, ordinabilitatem fieri sufficienter per virtutes Theologicas Spei & Charitatis. Non igitur videri, quod ex prætacto fundamento efficaciter adstruatur necessitas virtutum Moralium supernaturalium. 18.

Contra. Nam in illâ mentis à terrenis affectionibus & passionibus depuratione duo sunt consideranda; alterum per modum *Termini A Quo*; alterum per modum *Termini ad Quem*. Ille verò est aliqua à concupiscentijs abstractio. Hæc verò, ut possit esse objectum virtutis, non debet esse merè physica, sed Moralis. Ut sic autem subesse debet Dominio voluntatis sub aliquo motivo sibi proportionato liberè eam subordinantis Bono rationi consentaneo. Istud verò Boni quà rationi consentanei Motivum est *Terminus ad Quem & propter Quem* abijcitur delectatio sensibilis suâ fœditate maculans animam. At hoc ipsum motivum non semper oportet esse Finem ultimum *formaliter* ac *signatè* volitum, sed aliquam ex ipso *virtualiter* finalizatam honestatem, ut sic importantem virtualem creatam in finem ultimum ordinabilitatem. Hæc igitur in passionum depuratione per rationem repræsentata in Finem ultimum ordinabilitas participata ut sic fundat virtutem specie distinctam à virtute ipsius ultimi Finis in se prosecutivâ. At verò sub diverso lumine & Moralitate stat objectiva virtutis in Deum quà ultimum Finem supernaturalem ordinabilitas: hæc enim ex parte objecti importat formalitatis objectivæ Moralem intrinsecum ordinem ad finem quà supernaturalem 19.

talem. Iste verò ordo ex Fine quà supernaturali specificatus, ex intrinsecâ suâ specificatione respicit lineam Moralitate naturali superiorem & Diviniorem, At hic ipse ordo ex se secundùm formalem suæ specificationis rationem, ut sic importat Bonitatem distinctam ab Ultimi Finis bonitate, siquidem illa sit ex hujus exemplatione ideata, ejusque Causalitatis efficaciâ *formaliter* ac *Efficienter* derivata. Hæc ipsa verò virtualis in Ultimum Finem ordinabilitas est ut sic per se sufficienter motiva voluntatis, atque adeò specificativa actûs virtutis à Theologalibus Spei, & Charitatis virtutibus distinctæ. Cùm proinde neque virtutes Morales naturales possint illius in Finem Ultimum ordinabilitatis utpote Moralitatem objectivam ex se ipsâ supernaturalem involventis esse prosecutivæ: neque Charitas possit talem ordinabilitatem tanquàm objectum per se Motivum, sed quà suo formali objecto subordinatum intendere, consequens est, ad illam à passionibus puritatem ac mentis ad Finem quà *supernaturaliter* fruendum ordinabilitatem opus esse virtute supernaturali à Theologalibus distinctâ. At hanc ipsam virtutem oportet esse distinctam in diversas species, quòd pro diversitate difficultatum ex diversis delectabilibus resultantium reluceant distinctæ virtualis in ultimum finem supernaturalem ordinabilitatis Moralitates objectivæ, ut sic virtutum specie diversarum *in quarto perseitatis modo* specificativæ. Constat igitur, ex ipsâ rei naturâ in statu supernaturalis per gratiam sanctificantem elevationis adstruendas esse virtutes Morales per se infusas, quoad substantiam supernaturales.

20 Cujus equidem rationem à priori insinuavit Divus Thomas *1. 2. q. 63. a. 3.* Ex eo enim, quòd homo ad finem sibi connaturalem ordinetur intrinsecè per principia naturaliter indita, oritur mentis humanæ inclinatio, & vis naturalis ad actus virtutum tum intellectualium, tum Moralium, tendentium in media naturæ quà rationali convenientia. Eo ipso autem, quòd homo quà rationalis habeat innatum pondus ad Divinum suæ infinitæ ad Bonum universum commensurationis unicè satiativum Numen, consequitur, quòd in omni objecto per voluntatem rationalem appetibili repræsentetur virtualis saltem in Deum, ceu Finem Ultimum Naturalem referibilitas. Ejusmodi verò virtuali in finem Ultimum Naturalem ordinabilitati respondent virtutes Morales naturales. At verò supposità supernaturali per gratiam sanctificantem elevatione, insunt animæ virtutes Theologales circa Deum quà Ultimum Finem supernaturalem immediatè versantes. Quæ proinde virtutes Theologicæ ad statum elevationis se habent instar Primorum Moralitatis Principiorum. At ex ipso Ultimo Fine supernaturali quà per virtutes supernaturales menti nostræ repræsentato, & sub ratione Primi appetibilis voluntati proportionato *connaturaliter* consequitur, quòd etiam virtualis in ultimum Finem supernaturalem ordinabilitas sit in genere moris *supernaturaliter* elevati per se expetibilis per modum cujusdam ex fine quà supernaturali *virtualiter* ex parte objecti seu Finis operis finalizatæ participationis. Ex vi igitur hujus participationis intra Divinam mentem ideatæ, & per voluntatem Dei quà Divinæ secundùm gradum quasi specificum participationis causatricem in nos transfusæ, oportet in statu elevationis, virtutibus Theologalibus in ordine ad media Fini Ultimo quà supernaturali proportionatâ respondere virtutes infusas Morales, taliter se habentes ad illas, sicuti Morales, & Intellectuales virtutes in statu naturæ se habent ad naturalia virtutum principia.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Scoti *n. 4.* oppositum fundamentum Respondetur. Fidem seu prudentiam infusam determinare modum virtutum Moralium tantùm *Idealiter*, repræsentando & constituendo *in actu signato* Divinæ regulæ seu rationis supernaturalis medium cuivis morali virtuti infusæ proprium, ceu Formale ac specificativum Motivum. 21.
Hoc autem medio per fidei seu prudentiæ infusæ rationem supernaturalem determinato, posse hujus Honestatem in Motivo v. g. corpus ad Divinæ supernaturalis rationis servitutem redigendi relucentem, utpote per se sufficienter Motivam intendi, quin Divinæ mentis regula increata ejus *Idealiter* exemplativa, aliave Dei perfectio intrinseca *Formaliter* ac *Directè* intendatur. At certum esse, quòd tunc non interveniat actus Theologicæ Charitatis, utpote ex essentiâ suâ tendentis *directè* in Deum, Divinæ ipsius Bonitatis infinitam perfectionem appretiando propter seipsam. Etsi proinde illam Honestatis rationem ut sic supernaturalem possit voluntas aliquando prosequi ex inclinatione Charitatis *reflexè* imperantis actum, quà prosecutivum medij ad corpus in rationis Divinæ servitutem redigendum proportionati. Nihilominùs quatenùs istud Motivum ex propriæ honestatis ratione allicit voluntatem ad sui prosecutionem, ut sic fundare virtutem à Charitate distinctam. Hanc verò eo ipso esse infusam, quòd tendat in Motivum ex ratione suâ intrinsecâ supernaturale. Ergo tum ratione Modi seu Medij, tum ratione Finis intrinseci adstruendam esse Temperantiæ, & ex consequenti Fortitudinis, ac etiam Justitiæ virtutem Moralem infusam, uti demonstrant fundamenta *a n. 5.* deducta.

❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Utrùm actus à virtutibus Infusis etiam Theologicis eliciti quoad Modum duntaxat, non quoad Substantiam, & ex parte Motivi Formalis eorundem specificativi sint supernaturales?

FRanciscus de Lugo *in 1. p. lib. 1. disp. 9. cap. 1.* adducit Scotum *q. 1. prologi. §. ad quæstionem igitur respondeo.* quasi ibi doceret, totam supernaturalitatem actuum à virtutibus infusis elicitorum, imò cujuscunque alterius similis accidentis provenire ab Extrinseco Causæ influxu. Verùm author Schollorum *in cit. locum Scoti* asserit, subtilem Doctorem ponere duos modos supernaturalitatis, quorum alter sit, si for- 1.

mæ

ma fiat ab agente ſupernaturali; alter verò in eo ſe teneat, quòd actus ſit talis, ut ſolùm ab objecto ſupernaturali, vel à ſupplente ejus vicem cauſari poſſit. Unde infert *citatus* Scholiorum author, Scotum tum loco citato, tum pluribus alijs per ipſum allegatis locis ponere formã intrinſecè & ſuapte naturâ ſupernaturalem, & non tantùm per reſpectum ad agens. Cujus equidem exemplum *cit. q. 1. n. 22.* ponit Scotus in revelatione Divinâ ſeu cognitione Fidei, quâ noſcitur *Deus Trinus & Unus.* Hujus enim notitiæ objectum Motivum eſt Eſſentia Divina cognita ſub propriâ ratione, ut ſic autem Eſſentia Divina eſt objectum ſupernaturale. Ex quo proinde objecto ſupernaturali, ſive ex agente vicem talis ſupernaturalis objecti ſpecificatur cognitio intrinſecè *quoad ſubſtantiam* ſupernaturalis.

2. Verùm quia ex alijs Scoti textibus per Franciſcum de Lugo *ſupra & cap. 2. n. 4.* allegatis, juncto etiam Commentario Lycheti *in 3. p. q. 2. principali à n. 5.* mens Scoti circa præſens punctum valde dubia eſt. Idcirco miſſà circa ſubtilis Doctoris mentem concertatione, ad rem ipſam examinandam progredimur.

Referuntur Sententiæ.

3. PRima Gabrielis *in 3. diſt. 23. q. 2. a. 1. in fine. & a. 2. concl. 2.* Majoris *in 3. diſt. 36. a. 4.* & Lycheti *in 3. diſt. 25. q. 2. later. n. 58.* ſententia reſpectivè negat, actum præſertim fidei, vel ſaltem actum ex parte voluntatis prærequiſitum & diſpoſitivum ad Fidem eſſe in ſubſtantiâ ſupernaturalem, ſed in actibus ejuſmodi admittit ſupernaturalitatem tantùm quoad modum. Quem porro ſupernaturalitatis modum alij ponunt in intenſione graduali, alij in quâdam ſecundùm majorem adhæſionem firmitate, alij in Divinâ actûs acceptatione ad vitam æternam per modum meriti, vel diſpoſitionis ad gratiam, vel in dependentiâ ab extrinſeco Dei, ſive habitûs infuſi, ſive auxilij influxu.

Fundamentum eſt. Si enim actus quoad ſubſtantiam ſupernaturales forent neceſſarij, iſta neceſſitas vel maximè militaret in ordine ad juſtificationem, vel meritum vitæ æternæ. At per hoc, quòd quis diligat Deum ſive ut Finem naturalem, ſive ut ſupernaturalem ſuper omnia taliter, ut ipſum præferat omni bono creabili, & inferat deteſtationem peccati ſuper omnia mala, quamvis talis actus in ſubſtantiâ ſit naturalis, ſufficienter diſponit ad gratiam, ſiquidem includat totum id, quod requiritur, ut mens avertatur à bono commutabili, & convertatur ad Deum, ſolùmque videatur deeſſe illi modus aliquis, ratione cujus egeat auxilio ſupernaturali. De quo proinde modo videtur locutum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. de Iuſtif. can. 3.* anathematizando illum, qui dixerit, poſſe quempiam ſine Spiritûs Sancti inſpiratione & adjutorio credere, ſperare, & diligere, *ſicut oportet*, ut juſtificationis gratia ei conferatur. Unde etiam Divus Thomas *2. 2. q. a. 171. 2. ad 3.* ait; *Actiones, ad quas infunduntur habitus, non eſſe ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecundùm modum.* Hæc ſententia non parum firmatur ab alijs etiam Doctoribus, nominatim Arragonio *2. 2. q. 1. art. 1. §. ſed ex hoc.* Baſſolis *in 3. diſt. 23. q. un. a. 1. §. ſic igitur.* Coninch. *lib. 1. de actibus ſupernat. diſp. 5. dub. 3.* Granado *to. 1 : act. 8. diſp. 8. n. 6.* Molinâ *in Concord. diſp. 7. præſertim §. Noſtram ſententiam. in fine.* Item *diſp. 13. & 14.* qui in ſupernaturalibus & naturalibus Divini v. g. amoris actibus unum, idemque Formale motivum, ſeu rationem objectivam agnoſcunt. Fundamentum eſt. Quia dilectio Dei, quâ Deus propter ſe diligitur, ſive ſit naturalis, ſive ſupernaturalis, habet idem objectum formale, ſcilicet Bonitatem Dei, quà in ſe infinitè bonus eſt. Nec dicere licet, quod amoris ſupernaturalis objectum ſit Deus, ut finis ſupernaturalis, ſive ut author Donorum ſupernaturalium, amoris verò naturalis ſit objectum, ut finis naturalis, & author naturalium. Hoc enim optimè refutat Scotus *in 3. diſt. 27. §. contra primam viam.* quòd, licèt iſtæ rationes formales poſſint excitare in nobis diverſos amores concupiſcentiæ, quibus Deum diligimus tanquàm Bonum noſtrum, tamen ſint omninò impertinentes ad diverſitatem amorum amicitiæ, quibus Deus amatur propter ſe, quia in ſe infinitè bonus eſt. Ut ſic autem abſtrahit amor ab eo, quòd ſit author rerum naturalium, aut ſupernaturalium. Conſequens proinde eſt, non poſſe actuum ſupernaturalium à naturalibus diſtinctionem deſumi ex objectis formalibus; ſiquidem etiam Dæmones credendo Myſteria fidei ducantur authoritate Divinâ, utpote propter quam contremiſcunt, cùm tamen fides illorum ſi naturalis duntaxat.

4. *Secunda* Divi Thomæ *1. 2. q. 63. a. 1. q. 63. a. 3. & 4.* Item *2. 2. q. 5. a. 2. & 3. q. 23. a. 2. & q. 24. a. 2.* Richardi *in 3. diſt. 23. a. 3. quæſtiunc. 1.* Molinæ *1. 2. q. 109. a. 4.* Bannis *2. 2. q. 5. a. 2. & q. 6. a. 1.* Cajetani *1. 2. q. 109. a. 4. & to. 1. opuſc. tract. 4. q. 1.* Alvaris *lib. 7. de auxil. diſp. 65.* Suarezij *lib. 3. de auxil. cap. 1. & lib. 2. de Grat. cap. 5.* Vegæ *de Iuſtif. q. 8.* Valentiæ *to. 2. diſp. 8. q. 5. punc. 4. circa q. 2.* Coninch *de actibus ſupernat. diſp. 4. dub. 3. à n. 39.* Franciſci de Lugo *cit. diſp. 9. cap. 1. n. 17.* & aliorum ſententia aſſerit, actus virtutum infuſarum eſſe quoad ſubſtantias ſupernaturales.

Fundamentum eſt. Quia ex Sacris Litteris, Concilijs, & Patribus paſſim conſtat, actus illos, quibus diſponimur ad gratiam, vel tendimus ad augmentum illius, ſive promeremur vitam æternam, ex ſeipſis eſſe tales, ut ad ipſos efficiendos indigeamus ſpeciali auxilio gratiæ divinitùs collato. At ſi eſſent quoad ſubſtantiam naturales, ſufficerent ad ipſos eliciendos naturæ vires: nec vel ex ſolo extrinſeco auxilij ſupernaturalis influxu, vel ex acceptatione Divinâ, ſive alio modo poſſent ſub ratione diſpoſitionis intrinſecè eſſe proportionati ad Juſtificationis gratiam, cujuſmodi tamen diſpoſitionis de ſe proportionatæ rationem in actibus ejuſmodi videtur agnoſcere Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. de Iuſtif. cap. 6.*

5. Hujus ſententiæ firmitas vel maximè ſtabilitur ex Doctoribus, nominatim Divo Thomâ *1. 2. q. 1. a. 3. q. 9. a. 1. q. 1. a. 2. & q. 84. a. 2. & 3.* Item *q. 190. a. 3. ad 1. & 3.* Item *2. 2 q. 1. a. 1. & q. 5. a. 2. & 3. in corp. & ad 1. q. 32. a. 4. & q. 25. a. 12.* S. Bonaventurâ *in 3. diſt. 23. a. 2. q. 2.* Richardo *ibi. a. 7. q. 2.* Curiele *1. 2 q. 109. a. 1. dub. 3. §. 4. concl. 3. in probat. primâ.* Franciſco de Lugo *cit. diſp. 9. cap. 2.*

cap.2.n.15. affirmantibus, actum supernaturalem à naturali distingui ex Motivo Formali supernaturali, Fundamentum est. Quia Philosophi cum Aristotele communiter docent, habitus ex actibus, & actus ex objectis specificari, scilicet ex rationibus objectivis, sub quibus objecta respiciuntur & movent. Unde nequit eadem potentia circa idem objectum materiale ex eodem motivo habere actus specie distinctos. Cùm igitur actus supernaturales specie, & substantiâ distinguantur ab actibus naturalibus, non possunt circa eadem objecta materialia sub eodem Motivo formali versari; siquidem ex isto duntaxat subsistere possit naturalium & supernaturalium actuum distinctio substantialis & essentialis.

4\. Confirmatur ex Francisco de Lugo *à n. 25.* per inductionem. Nam Fidei Divinæ formale objectum est divina Veritas supernaturalis, prout includit divinum testimonium in seipso supernaturale. Hæc verò divini testimonij supernaturalitas est tum per inclusionem Divinæ scientiæ objecta etiam naturalia non nisi sub connexione ad supernaturalia cognoscentis, tum per inclusionem Dictaminis supernaturalis regulantis voluntatem, & conformantis ad naturam supernaturalem. Deinde Spei supernaturalis ob-
5\. jectum formale est ipse Deus, ut est in se, supra omnem naturam, bonum tamen nostrum ex supernaturali gratiâ, & auxilijs consequibile. Charitatis porro supernaturalis objectum Motivum est Deus, ut divinam Naturam & Bonitatem super omnem aliam in seipso continens, ac subinde supremam & supernaturalissimam perfectionem & amabilitatem importans Insuper Pœnitentiæ supernaturalis proprium objectum Motivum est peccatum, ut est injuria Dei finis supernaturalis, & aversio à tali fine. Denique cœteri actus virtutum infusarum & supernaturalium respiciunt *Formaliter* in objecto conformitatem ad regulam Divinam, ut dirigentem nos in finem supernaturalem. At verò actus naturales circa talia objecta materialia, vel respiciunt illa secundùm aliquam rationem communem, in quâ conveniunt cum supernaturalibus: vel secundùm conformitatem aliquam cum dictamine & ratione naturali. Sic enim Fides acquisita credit Divinæ revelationi, prout convenit cum authoritate creatâ in ratione Moralis infallibilitatis, vel prout est conformis proprio judicio, & dictamini naturali. Sic spes acquisita sperat beatitudinem æternam, prout convenit cum fœlicitate naturali, vel prout est conforme inclinationi naturali, velle sibi omne Bonum, quod apprehenditur possibile obtineri. Amor denique naturalis erga Deum vult illi bonum, quatenus repræsentatur convenire cum alijs benefactoribus, aut causis creatis, & ad ordinem naturalem pertinere putatur ut author, conservator & gubernator rerum naturalium.



CONCLUSIO.

Actus à virtutibus Infusis eliciti quoad suam ex objectis Formalibus specificationem sunt intrinsecè ac essentialiter supernaturales.

Probatur. Essentiæ enim creatæ sunt designandæ ex Ideatione Divini Intellectûs, per quem ex 6.
Increatâ Dei substantiâ sunt exemplatæ & formatæ. At Deus suam intuendo naturam in Essentiæ suæ Divinæ intelligibili purissimæ actualitatis expressione sitam, eatenus vidit ex se derivabilem naturam creatam intellectualem, ut hæc *Formaliter* ac *Essentialiter* esset quædam Divinæ naturæ secundùm gradum quasi genericum substantialiter participata similitudo. Sub hac ipsâ verò participatâ similitudine in naturâ creatâ rationali contuitus est Deus infinitam tum Intellectûs ad verum, tum voluntatis ad Bonum commensurationem. Ex illâ verò Intellectûs ad verum & voluntatis ad Bonum commensuratione repræsentabatur talis ad Deum infinitæ illius commensurationis unicè satiativum objectum, atque adeò Finem ultimum inclinatio, ut hæc consequenter exigeret omnium virium, voluntatis Dominio, & rationis imperio subordinatarum, imò omnium creatorum objectorum voluntatis Dominativæ vi ac libertati subjectorum, in Deum quà Intellectûs & voluntatis satiativum ultimum Finem reductionem. At eo ipso, quòd illa Divinæ naturæ substantialiter participata similitudo esset duntaxat secundùm gradum Intellectualitatis quasi genericum, non posset suæ naturalis perfectionis proportione attingere talem Divinitatis Fruitionem beatificam, quæ est Naturæ Divinæ secundùm gradum specificum participatio. Unde beatitudo naturalis in creaturâ rationali est Divinitatis contemplatio duntaxat abstractiva ex intelligibilibus creaturarum, seu Dei effectuum speciebus formata Dei objecti Beatifici non ut est in se, sed in creaturarum speculo repræsentativa. Unde cùm voluntas proportionetur Intellectui, ejusque intelligibili repræsentationi, Dei dilectio naturaliter beatifica pro objecto Formali Motivo habet quidem ipsammet increatam Deo *Formaliter* inexistentem Bonitatem, non tamen ut purè in se subsistentem, sed ut illâ Intelligibili abstractivâ specie vestitam, ita ut ista finita & limitata intelligibilis expressio se habeat ad Divinum amorem per modum *Motivi Quo*, licèt illa increata Deo *Formaliter* inexistens Bonitas sit unicè *Motivum Quod* Dilectionis naturaliter Beatificæ. Patet proinde, qualiter objectum tum contemplationis, tum Dilectionis naturaliter beatificæ Motivum *completè & adæquatè* sub ratione *Motivi tam Quo & Quod* sit naturale. At eo ipso, quòd ani- 7.
mæ virium rationis Imperio, nec non omnigenorum Bonorum creatorum voluntatis libertati ac Dominativæ vi subjectorum in Ultimum Finem, abstractivâ contemplatione ac dilectione naturali fruendum, reductio nequeat excedere lineam proportionis cum fine ultimo quà naturaliter possidendo commensuratæ. Idcirco Deus homini ad finem ultimum dicto modo naturaliter consequendum *intrinsecè* ordinato, talia per suam Idealem expressionem præstituit media

tia, in quibus reluceret moralis puritas, cui inesset quædam per modum vel dispositionis, vel vis moraliter saltem effectivæ ad Deum ultimum finem naturalem ordinabilitatis proportio. Eo ipso autem, quòd ista ordinabilitatis ad finem ultimum proportio per se ipsam *formaliter* importet quandam Honestatis per se expetibilis rationem, ut sic fundat rationem objectivam virtutis alicujus moralis specificativam. Constat igitur, qualiter Motivum tum dilectionis naturalis Dei, tum virtutum Moralium sit naturale, utpote situm vel in Bonitate Dei, non quà in se ipsâ Intelligibiliter expressâ; sed quà per Intelligibilem ex creatis speciebus abstractam formationem repræsentatâ; vel in aliquâ Divinitùs impressâ puritatis & Honestatis Morali in finem ultimum quà naturalem ordinativâ.
8. Econtra verò quia DEUS suæ ideationis intelligibili expressione naturam Intellectualem creatam formavit, non sub naturali duntaxat perfectione & beatitudine; sed etiam sub obedientiali ad gradùs quasi specificè Divini participationem elevabilitate. Idcirco ipsam etiam Divinitatis Essentiam & naturam, ut est in se, intelligibiliter possidendam & fruendam præstituit tanquàm finem. Huic proinde sub ratione *finis Qui* ipsammet divinam Essentiam in se intelligibiliter expressam, sub ratione autem *finis Quo* accidentariam quandam quasi specifici Divinitatis gradûs participationem *formaliter* importanti, convenit, esse finem *adæquatè* & *complete* in substantiâ supernaturalem. In cujusmodi proinde finem quà *completè* in substantiâ supernaturalem utpote specificè Divinum immediatè tendunt virtutes Theologales.

9. Probatur istud assumptum. Est enim actus fidei specificatus ex ipsâ Primâ in se non quidem per sui intelligibilem propriam speciem, sed per Spiritûs Sancti imperium Intellectui immediatè applicatâ Veritate, ut sic Essentiam Divinam quà in se Intelligibiliter expressam, omnisque in se veritatis expressivam *formalissimè* importante. Unde etiam actus fidei ad voluntatem habitu Charitatis infuso instructam non est applicativus Bonitatis Divinæ sub intelligibili ex formis creatis formatâ specie tanquàm *motivoQuo*, sed Bonitas divina per fidem expressa in ipsâ Primâ subsistente veritate tanquam Motivo formali per fidei actum *immediatè* attacto, ad voluntatem charitate Theologicâ elevatam se habet, ut adæquatum *Motivum Quo* & *Quod*. Et hinc inter supernaturalem Divinitatis fide nixam, & naturalem ex lumine nostri intellectûs formatam Dei contemplationem, sub ratione vis voluntatem *formaliter* moventis hoc intercedit discriminis, quòd, licèt in utrâque formatione intelligibili interveniat Verbum aliquod creatum, ceu speculum Divinitatis ænigmaticum, nihilominùs per actum fidei Bonitas Divina sub Primâ
10. per fidem *immediatè* attactâ Veritate tanquàm *Motivo Quo* applicetur ad voluntatem charitate Theologicâ instructam, atque adeò Verbi illius creati speculum ænigmaticum substantialiter etiam supernaturale habeat se solùm quasi *Instrumentaliter* ad voluntati ex divinæ infinitæ Bonitatis appretiabilitate excitatam motionem: cùm econtra in ordine ad dilectionem naturalem intelligibilis per ænigmaticum ex formis creatis abstractum Verbum Dei expressiva formatio se habeat ut *Motivum Quo* Divinæ Bonitatis sub gradu quasi generico *formaliter* applicativum. Ex tali verò discrimine fit, quòd Dilectio Theologica, non autem naturalis possit in suo objecto formali attingere Divinitatis gradum quasi specificum. At verò supernaturalitas substantialis est secundùm ipsummet Divinitatis gradum quasi specificum Deo *Formaliter* inexistentem, cùm econtra gradus Bonitatis quasi genericus spectet ad Ideationem Exemplationis duntaxat naturalis. Constat igitur, qualiter dilectio Dei supernaturalis, non autem naturalis ex parte objecti formalis respiciat *Essentialiter* formalitatem Divinitatis quà substantialiter supernaturalem. Hinc autem fit, quòd etiam objecta motiva actuum à virtutibus infusis moralibus elicitorum debeant esse *quoad substantiam* supernaturalia.

Probatur istud assumptum. Nam quia Deus 11.
ideali suâ formatione Intelligentiam creatam non secundùm rationis & voluntatis superiorem duntaxat, sed etiam inferiorem circa media versantem portionem, imò secundùm vires etiam sensitivas expressit sub obedientiali ad Divinitatis gradum quasi specificum Idealiter participandum elevabilitate. Idcirco virium etiam sensitivarum actus formavit sub Morali ad illam quasi specificam participationem ordinabilitate. Hinc autem factum est, quòd ex Divinâ per Primam Veritatem in se purè subsistentem, ceu *Motivum Quod & Quo* specificatâ Fidei & Donorum Spiritûs Sancti intellectualium cognitione derivetur Lux quædam prudentialis, inferiorum virium rationi & voluntati *supernaturaliter* elevatæ inservientium Idealiter ordinativa in Deum, quà in seipso, adeòque sub Essentiæ suæ gradu quasi specifico possidendum & fruendum. Huic verò prudentiali luci respondet ex parte objecti formalitas, ex vi Divinæ Ideationis, & hinc in nos derivatæ supernaturalis Intelligibilis expressionis, intrinsecam habens Moralitatis habitudinem ad divinæ Essentiæ gradum quasi specificum, ceu ultimum finem supernaturalem. Istam verò formalitatis intrinsecam habitudinem oportet eo ipso *Essentialiter* esse specificatam ex divinâ Essentiæ gradu quasi specifico, utpote per quē sit *formaliter* ideata in divino Intellectu. Unde Temperantiæ v. g. naturalis & supernaturalis *objectivè* specificativa formalitas differt, quòd, licèt utraque sit ex Deo ideata per intelligibilem Moralis in Deum ultimum finem ordinabilitatis expressione, attamen formalitas Honestatis objectivæ Temperantiam naturalem specificantis ex vi divinæ Ideationis, & hinc per lumen innatum in nos derivatæ Intelligibilis expressionis dicit habitudinem ad Deum ultimum finem sub participatione gradûs quasi Generici consequendum: cùm econtra formalitas Honestatis objectivæ Temperantiam supernaturalem *in quarto perseitatis genere* specificantis, ex vi Exemplationis divinæ & *supernaturaliter* infusæ repræsentationis, importet habitudinem ad Deum ultimum finem sub participatione Gradûs quasi specifici fruendum. At verò habitudo ex gradu quasi specifico divinitatis *in quarto perseitatis genere* specificata est hoc ipso in substantiâ supernaturalis. Constat proinde, duplex dari objectum formale Motivum Temperantiæ; alterum

rum in ſubſtantiâ naturale, alterum verò *Eſſentialiter* ſupernaturale. Hinc autem conſequenter evincitur, etiam actus virtutum Moralium ex illâ objectorum formalium diverſitate differre *Eſſentialiter quoad ſubſtantiam*, & non tantùm *quoad modum*.

12. Probatur iſtud aſſumptum. Nam licèt actus etiam naturalis poſſit attingere objectum ſupernaturale tanquàm Materiale: nequit tamen ſpecificari ex objecto formali tanquàm *Motivo Quo & Quod* ſupernaturali. At verò objectum in lineâ ſupernaturalitatis expreſſimi eſt vel ipſa Divinitatis Eſſentia in ſe, atque adeò in ſuo gradu quaſi ſpecifico *immediatè* tanquàm *Motivo Quo, & Quod* attacta, vel eſt aliqua formalitas ex ipſo quaſi ſpecifico gradu Idealiter formata, Eſſentialem adeò ex tali Divinitatis, ut eſt in ſe, attingendæ gradu ſpecificata habitudinem importans. Econtra verò objectum in lineâ Moralitatis naturalis expreſſum Primarium ſub ratione Primi in Moralibus Principij eſt Divinum Numen non ſub propriâ Intelligibilitatis ſpecie, ſed ſub intelligibili ex effectibus creatis abſtractâ formâ repræſentatum. Sub quâ proinde alienâ intelligibili formâ Divinitatis gradus quaſi Genericus ſe habet ut Motivum formale, ipſius etiam voluntatis motivum, gradu quaſi ſpecifico Divinitatis per talem ſpeciem licèt repræſentatæ non niſi *materialiter*, non autem *motivè* ſe habente ad Intellectionem ſui expreſſivam, & conſequenter etiam ad volitionem mediante tali intelligibili expreſſione excitatam. At verò ex illo Primo Numinis Divini expreſſivo Morali Principio per divinam Ideationem taliter formatur finium Intermediorum Honeſtas objectiva creata, ut hæc importet intrinſecam habitudinem ad Divinum quà ſub alienâ intelligibili ſpecie expreſſum, & *ut ſic Motivum*, Numen. Quæ proinde per divinam Ideam formata Honeſtatis Moralis objectivæ habitudo eſt *in quarto perſeitatis modo* virtutum moralium naturalium ſpecificativa. Cùm igitur per ipſius Ideæ Divinæ formationem ſint expreſſæ formalitates *ſpecificè*, imò *genericè* diſtinctæ actuum & virtutum Moralium quà naturalium & ſupernaturalium ſpecificativæ, oportet, quemlibet actum à virtute per ſe infuſa elicitum ex Eſſentiâ ſuâ per divinam Ideam formatâ ita alligari ad Honeſtatis objectivæ ordinem *intrinſecè* ſupernaturalem, ut nequeat ferri in Moralitatem objectivam naturalem, niſi quà objectum materiale, oporteat verò Motivum ipſius formale ac ſpecificativum ſemper eſſe in ſubſtantiâ ſupernaturale.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

13. AD *n.* 3. oppoſitum Reſpondetur In actibus ad Juſtificationem diſpoſitivis ſeu viſionis Beatificæ meritorijs neſſe intrinſecam alicujus ſaltem Congruitatis proportionem. At eo ipſo, quòd Gratia Juſtificans & viſio Beatifica ſint quædam ex Divinæ Naturæ gradu quaſi ſpecifico ideatæ participationes, oportere, illam intrinſecam proportionem conſiſtere in quâdam Eſſentiali ex Divinitatis gradu quaſi ſpecifico *ſecundùm quartum perſeitatis modum* ſpecificata habitudine. Hinc autem fieri, quòd Dilectio Dei, & deteſtatio peccatorum non ſit ad Juſtificationis gratiam diſpoſitiva, niſi fuerit Divinitatis ſub gradu ſpecifico tanquàm formali ſpecificativo Motivo appretiativa, & ex tali Motivo peccatorum deteſtativa. Quare naturalem Dei dilectionem non poſſe attingere iſtam intrinſecæ ex Divinitatis gradu quaſi ſpecifico ideatæ, & ut ſic ſpecificatæ habitudinis lineam, ſed ex Divinâ Bonitate per intelligibilem ex formis creatis abſtractam repræſentationem voluntati applicatâ, tanquàm motivo ſpecificativo excitatam, attingere *formaliter* Divinitatis gradum quaſi Genericum duntaxat, ſpecifico Deitatis gradu non ad inſtar Motivi, ſed objecti duntaxat materialis ſe ad ipſam habente. Unde quando Concilium Tridentinum citatum in actibus fidei, ſpei, 14. & Charitatis ad Juſtificationis gratiam diſponentibus exigit ſpecialem quendam modum ex Spiritûs Sancti inſpiratione & adjutorio procedentem, oportere, id intelligi de illâ intrinſecâ per Divinitatis gradum quaſi ſpecificum ideatâ habitudine, *ſecundùm quartum perſeitatis modum Eſſentialiter* ſpecificatâ, ex divinæ naturæ gradu quaſi ſpecifico tanquàm formali ſpecificativo Motivo. Et hinc opus eſſe inſpiratione Spiritûs Sancti ſupernaturali, illius Divini ſpecifici gradûs in ipſo immediatè *formaliter* expreſſivâ, & ut ſic ejuſdem tanquàm *objecti Quo & Quod motivi* applicativâ ad voluntatem, adjutorio ad eundem quaſi ſpecificum Divinum gradum *in quarto perſeitatis genere* ſpectante præventam, & vitalis adjutorij proportionatam ad actum ex ordine *ſpecificè* Divino ſpecificatum eliciendum. Quem proinde Modum non eſſe accidentarium, 15. ſed ipſammet actûs ad gratiam Juſtificantem diſpoſitivi ſubſtantialem ſpecificam differentiam, ut adeò Sanctus Thomas docendo, actus virtutum infuſarum non *quoad ſubſtantiam*, ſed *quoad modum* duntaxat ſupernaturales eſſe, intelligendus ſit taliter, quatenus nomine ſubſtantiæ accipiatur Generica ſeu materialis inter actum, naturalis & ſupernaturalis v. g. dilectionis Dei convenientia, nomine verò modi intelligatur ſpecifica, ex quaſi ſpecifico Divinitatis gradu ſpecificata differentia, actûs ſupernaturalis *formaliter* ac *Eſſentialiter* diſtinctiva ab actu naturali.

Ad *n.* 4. oppoſitum Reſpondetur. Verum 16. quidem eſſe, quod actûs Dilectionis Dei tam naturalis, quàm ſupernaturalis objectum formale Motivum ſit Bonitas Dei, qua in ſe infinitè Bonus eſt. Nihilominùs iſtam Bonitatem Divinam aliter eſſe intelligibilem, ſub aliena formarum creatarum ſpecie, aliter ſub verò propriâ ſuæ intelligibilitatis ratione. Etſi verò propria Divinitatis intelligibilis forma non niſi mediante actu aliquo creato ſit *Intelligibiliter* unibilis creato, quantumvis elevato intellectui, fieri tamen poſſe, ut ipſa Divinitatis propria intelligibilitas per ſe ipſam *formaliter* poſſit eſſe Motivum actûs ſpecificativum. Tunc igitur tali actui per modum Motivi *in quarto perſeitatis genere* ſpecificativi reſpondere objectum ad Divinitatis gradum quaſi ſpecificum ſpectans, atque adeò in ſubſtantiâ ſupernaturale. Et hinc licèt Deus etiam ut author & finis naturalis poſſit eſſe ob- 17. jectum actûs dilectionis à charitate Theologicâ eliciti, hoc tamen non aliter ſubſiſtere, niſi quatenus illa Divinæ perfectionis formalitas ſub propriâ Intelligibilitatis forma eſt ſpecificativa & motiva tum actûs ipſam intelligibiliter expri-

primen-

ſpientis, tum dilectionis ſub tali propriâ intelligibilitate tanquàm *Motivo Quo* appretiantis. Quod equidem nervosè inſinuatum eſſe ab Apoſtolo *1. ad Theſſalonic. 2.* agente gratias Deo, quòd accepiſſet ab ipſo Verbum auditûs Dei, non ut verbum hominum, ſed ut eſt verè verbum Dei. Ex hoc enim inſinuari, quòd res credita ſit objectum fidei ſub ipsâ Verbi quà *formaliter* divini, ut ſic Divinitatis propriam intelligibilitatem in ſe expreſſam habentis formalitate, atque Deitatis gradum quaſi ſpecificum *formaliter* importante. Unde ſub actu fidei, quo Deum etiam authorem naturæ ac finem naturalem credimus, ſtare ut ſic Deum quà finem ſupernaturalem.
18. Quare ſi dicatur Deum quà Finem ſupernaturalem eſſe Motivum *ſubſtantialiter* ſupernaturale, Dilectionis Theologicæ ſpecificativum, debere id accipi, quatenus ipſe gradus quaſi ſpecificus Divinitatis ſub propriâ ſuâ formalitate per ſeipſum *in quarto perſeitatis modo formaliter* ſit motivus ac ſpecificativus illius dilectionis, adeò ut Deum etiam quà naturæ authorem & finem naturalem fide divinâ cognitum, & ut ſic ſub ſpecifico divinitatis gradu per modum Motivi formalis *immediatè* applicatum voluntati, oporteat, ut ſic exprimi ſub formalitate finis quà ſupernaturalis propriâ. Quocirca abſolutè verum eſſe, quòd actuum ſupernaturalium Motivum ex gradu quaſi ſpecifico Divinitatis vel *formaliter*, vel *participativè* ſubſiſtens, ſemper ſit in ſubſtantiâ ſupernaturale, actuum à virtutibus per ſe infuſis ſive Theologicis, ſive Moralibus elicitorum ut ſic ſpecificativum.

❀❀❀❀❀❀:❀❀:❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA III.

An ex actibus quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus frequentatis generetur Habitus acquiſitus quoad ſubſtantiam ſupernaturalis?

1. HUjus Controverſiæ ſtatum jam diſcuſſimus in *1. to. q. 1. a. 2. cont. 3.* ubi primam in ſtatu viæ Theologizandi potentiam ſtatuimus in Fide; ex quâ proinde *Efficienter* fluant diſcurſûs ex principijs Divinitùs revelatis illativi concluſionum, quæ *formaliter* nitantur lumine Divinæ revelabilitatis. Sub quo equidem lumine revelabilitatis intelligitur quædam Lux objectiva ex præmiſſarum Theologici diſcurſûs, ſub Primâ per Fidem applicatâ veritate, inter ſe collatione eatenus orta, ut hæc ſit *formaliter* Motiva & ſpecificativa aſſensûs Theologici. Eo ipſo autem, quòd illa lux objectiva *virtualiter* reduci debeat in Primam Veritatem quà per fidei actum *immediatè*, ſub propriâ Intelligibilitatis formalitate applicatam, oportet, ipſam ut ſic eſſe in linea Intelligibilitatis objectivæ ex divinitatis gradu quaſi ſpecifico Ideatâ & ſpecificatâ, eſſeque adeò in ſubſtantiâ ſupernaturalem, non niſi aſſensûs ſecundùm ſubſtantiâ ſupernaturalis ſpecificativam. Ex cujuſmodi proinde Theologico ſupernaturali aſſenſu diximus *loco citato* generari habitum acquiſitũ in ſubſtantiâ ſupernaturalem.

Quæ proinde ibi in ſpecie de Habitu Theologico probavimus, hîc generaliter reſpectu actuum & virtutum ſupernaturalium diſcutienda ſuſcipimus.

Referuntur Sententiæ.

SUarez *lib. 6. de grat. cap. ult.* Curiel *1. 2. q. 112*
a. 2. dub. 2. §. 5. ad 3. præſertim in reſpons. ad 2.
confirm. negant, per actus infuſarum virtutum frequentatos gigni habitum acquiſitum. Fundamentum eſt. Nam talis habitus verſari deberet circa idem objectum formale cum infuſo. Ergo æquè eſſet ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. Quomodo ergo diſtingueretur ab infuſo? Imò, ſi acquiſitus eſſet, utique maneret in peccatore charitatis, & virtutum Moralium infuſarum jacturam faciente. Quomodo igitur non poſſet ipſo mediante non ab intrinſeco moveri ad pœnitentiam peccati Mortalis extinctivam?

Molina *1. p. q. 1. a. 2. dub. 2. in fine.* exiſtimat; 3.
ex actibus ſupernaturalibus generari quidem habitum acquiſitum, qui tamen ſecundùm ſubſtantiam ſit naturalis. Fundamentum eſt. Eo ipſo enim, quòd acquiſitus ſit, non eſt excedens naturæ vires. Ergo eſt naturalis, quem hoc ipſo non repugnat gigni ex actibus ſupernaturalibus, quòd effectus naturalis *Eminenter* contineatur in causâ ſupernaturali.

Petrus Bergomas *in Concord. locorum Divi Thomæ dub. 697.* Amicus *to. 8. diſp. 1. ſect. 6. à n. 84.* 4.
affirmant, ex actibus infuſarum virtutum acquiri habitum in ſubſtantiâ ſupernaturalem ab infuſo realiter formaliter diſtinctum. Fundamentum deſumi poteſt ex fine loca Divi Thomæ in ſpeciem repugnantia inter ſe conciliandi. Hic enim Sanctus Doctor *1. 2. q. 51. a. 4. ad 3.* expreſsè docet, quòd actus, qui producuntur ex habitu infuſo, non cauſent aliquem habitum, ſed confirment habitum præexiſtentem, *non quidem Efficienter phyſicè, ſed diſpoſitive ac meritoriè*, uti exponit Curiel *citatus*. Econtra verò *q. 17. de verit. a.*
1. ad 4. docet, ex actibus charitatis infuſæ gigni 5.
habitum dilectionis in nobis. Quæ proinde loca Petrus Bergomas *citatus* exiſtimat concilianda, ſi negetur, ex actibus virtutum infuſarum cauſari habitum ejuſdem rationis, affirmetur tamen, cauſari habitum ſupernaturalem diverſæ ſpecificæ rationis, quatenus unus, ſcilicet infuſus ſe habeat per modum potentiæ dantis Primam *ſupernaturaliter* operandi potentiam, ſecundus verò acquiſitus habitus ſe habeat per modum qualitatis dantis facilitatem ad ſimiles actus ſupernaturales producendos. Unde dum idem Sanctus Doctor in poſteriori *citato loco* dicit, habitum dilectionis acquiſitum eſſe ejuſdem cum habitu infuſo rationis, intelligendus eſt de convenientiâ ex parte objecti, & quoad ſupernaturalitatis genericam formalitatem, non verò de convenientiâ *adæquatè* ſpecificâ, ſecundùm rationem qualitatis ſupernaturalis *concretè* ſumptam.

❧ (o) ❧

CON-

Conclusio I.

EX frequentatione actuum supernaturalium generatur habitus facilitans ad similes actus.

6. Probatur. Nam actus supernaturalium virtutum non sunt minoris efficaciæ, quàm actus à naturali voluntatis potentiâ eliciti. Ergo non minùs illi, quàm isti habent in se vim physicam generandi habitum. Unde actibus virtutum infusarum in statu gratiæ elicitis duplex concedenda est vis & causalitas; altera Meritoria, mediante quâ per modum meriti condigni producunt augmentum gratiæ, & consequenter omnium virtutum infusarum. Altera est physica, mediante quâ efficiunt qualitatem ex naturâ suâ
7. facilitantem ad similes actus. Confirmatur ab experientiâ. Ex quâ constat, majorem facilitatem in eliciendis actibus vel charitatis, vel pœnitentiæ v. g. experiri eum, qui sæpius in his se exercuit. At hæc major promptitudo non potest esse ex habitu infuso.

Probatur ista minor. Tum quia habitus per se infusus se habet instar potentiæ tribuentis Primam in suo genere facultatem *supernaturaliter* operandi; sicut ergo naturales potentiæ non facilitant ad actus sibi connaturales; sic à pari dicendum videtur de virtutibus per se infusis. Tum quia peccator amittit unà cum Gratiâ & Charitate omnes habitus Morales per se infusos. At isto non obstante, si ante amissam gratiam fuerit exercitatus in eliciendis actibus supernaturalibus, specialis v. g. pœnitentiæ virtutis, tunc, si præveniatur auxilio supernaturali ad talem actum vires sufficientes conferente, experietur in se majorem promptitudinem ad ejusmodi actum mediante ejusmodi Spiritûs S. non quidem adhuc inhabitantis, sed Extrinsecùs moventis auxilio eliciendum, etiam antecedenter ad Gratiæ Sanctificantis, & consequenter virtutum Moralium, ipsiusque adeò specialis pœnitentiæ infusionem. Nequit ergo illa facilitas oriri ex infusâ virtute Pœnitentiæ. Oportet igitur, supernaturalibus infusæ pœnitentiæ actibus generatum esse habitum, qui amissâ etiam Pœnitentiâ infusâ, maneat in peccatore, atque hunc à Spiritûs Sancti adjutorio præventum facilitet ad actus similes.

8. Dices. Hanc facilitatem provenire vel ex intensione habitûs infusi, vel ex uberiore gratiâ actuali; vel ex habitu acquisito per actus naturales *Concomitanter* elicitos cum actibus supernaturalibus.

9. Contra. Nam 1. habitus v. g. Charitatis infusus per actus à se elicitos non intenditur nisi meritoriè, ex Sancto Thomâ *in 1. dist. 17. q. 2. a. 3.* Hoc autem meritum condignum æquè extendit se ad gratiæ simul & omnium tum Theologicarum, tum Moralium infusarum virtutum augmentum; *velut infra dicetur*. At experimur, homines etiam justos non æquè faciles esse ad quarumlibet virtutum actus, sed majorem habere promptitudinem actuum supernaturalium, in quibus magis sunt exercitati. Hæc proinde major promptitudo nequit provenire ex intensione habitûs infusi, cùm omnes virtutes supernaturales unà cum Donis Spiritûs Sancti, & Gratiâ æqualem
semper inter se Intensionem obtineant. 2. Ponamus 10.
duos peccatores, alterum, qui ante amissam gratiam erat frequens in eliciendis actibus Pœnitentiæ supernaturalibus; alterum, qui durante Justitiæ statu, rariùs exercebatur in speciali virtute Pœnitentiæ, sed tamen aliarum virtutum infusarum, maximè Charitatis frequenti exercitio longè majora sibi conciliaverat merita apud Deum. Hic ergo post lapsum peccati majori abundat merito (si detur) congruo, cujus intuitum Deus abundantiori gratiæ auxilio ipsum resuscitet ad Pœnitentiam, merito autem Condigno uterque privatus est propter peccatum. Nihilominùs prior præventus auxilio sufficienti, ad eliciendum actum ex Motivo specialis virtutis Pœnitentiæ se magis promptum sentiet. Hæc igitur major facilitas nequit provenire præcisè ex abundantiori sufficiente gratiæ auxilio. 11.
3. Nullus habitus acquisitus potest facilitare potentiam nisi in ordine ad Motivum proprium illorum actuum, ex quibus generatur. Atqui Pœnitentiæ v. g. infusæ Motivum est supernaturale, ad quod non possunt se extendere actus Pœnitentiæ naturalis. Ergo habitus ex naturalibus Pœnitentiæ actibus acquisitus non potest facilitare ad actus supernaturales pœnitentiæ infusæ tendentis ad Motivum supernaturale. Consequens igitur est, istam facilitatem oriri ex habitu generato per actus supernaturales Pœnitentiæ.

Conclusio II.

TAlis Habitus Acquisitus est Quoad Substantiam supernaturalis.

Probatur. Habitus enim acquisitus exerci- 12.
tio actuum supernaturalium tendit in idem Motivum formale, quod respicitur à virtute per se infusâ: hæc enim differt ab illo, quòd per modum quasi potentiæ dantis Primam operandi facultatem respiciat tale Motivum; cùm econtra habitus acquisitus se habeat instar qualitatis facilitantis ad objecti supernaturalis prosecutionem. Quæ proinde qualitas non procedit ab aliquâ vi naturali, sed causatur *Efficienter* ab actibus supernaturalibus, ad quorum formale Motivum inclinat & facilitat potentiam instructam virtute Divinitùs infusâ. Consequens igitur est, talem exercitio supernaturalium acquisitum habitum tam ratione objecti formalis, quàm ratione Causæ suæ Efficientis excedere naturæ creatæ vires ac proportionem, atque adeò pertinere ad Essentialis supernaturalitatis lineam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD *n. 2.* oppositum Respondetur. Sicuti 13.
non repugnat, actum in substantiâ supernaturalem *Efficienter* procedere ex viribus intrinsecis voluntatis, per formam tamen, seu virtutem supernaturalem elevatis; sic multò minùs repugnare, quòd ex actu supernaturali *Efficienter* fluat habitus in substantiâ supernaturalis. Unde non esse de Essentiâ habitûs *quoad substantiam* supernaturalis, esse infusum, sed hoc esse proprium virtutis in ordine supernaturali se habentis per modum potentiæ, nullum adeò præsupponentis actum supernaturalem, ex cujus

vi

vi effectrice connaturaliter fluere possit. Verùm tali actu supposito, cùm non majoris sit efficaciæ, quàm actus naturales, omninò posse ex ipsius virtute quasi seminariâ gigni habitum se habentem per modum qualitatis ad similes actus facilitantis. Quam equidem qualitatem manere quidem posse in peccatore, cùm tamen nequeat potentiam nisi viribus ad *supernaturaliter* operandum instructam facilitare, idcirco esse plerumque sterilem, atque adeò ad instar habituum naturalium ex mero etiam otio facilè ac brevi evanescere.

16. Ad *n.3.* oppositum Respondetur. Falsò ibi supponi, habitum, eo ipso, quòd acquisitus sit, esse naturalem, sed potiùs habitum infusum & acquisitum comparari cum habitu supernaturali tanquàm Excedens & Excessum. Nam alius habitus est infusus tantùm *per accidens*, veluti scientia Salomonis, quæ *secundùm Essentiam* erat naturalis, simul tamen supenaturalis fuit *Quoad modum*. Alius verò habitus est *per se* infusus, qui nullo modo potest ulli creatæ substantiæ naturalis esse, qualis est lumen gloriæ ac virtutes quoad substantiam supernaturales. Insuper alius habitus acquisitus est in substantiâ naturalis, quales sunt scientiæ humanæ, & virtutes Philosophorum, quæ tamen possunt *per accidens* esse infusæ, adeòque supernaturales *Quoad modum*. Alius denique habitus acquisitus exercitio actuum supernaturalium, est quoad Essentiam supernaturalis se habens per modum qualitatis, non Primam facultatem, sed facilitatem duntaxat conferentis ad similes, ex quibus genitus est, supernaturales actus eliciendos. Constat igitur, malam esse illationem Molinæ ex eo, quòd habitus sit acquisitus, inferentis, esse hoc ipso naturalem.

ARTICULUS III.

DE

Donis Spiritûs Sancti.

1. QUòd Christus ascendens in altum dederit Dona hominibus, testatur Apostolus *ad Ephes. 4.* Hæc verò utique Dona erant, quæ Christi Humanitati *Isaia 11.* communicata dicuntur istis verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Consilij & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus Timoris Domini.* Hic Spiritus in suis Donis communicatus, est quidem *formaliter* quid creatum, *Causaliter* tamen subit ipsam Spiritûs Sancti se in illis Donis com-
2. municantis denominationem. Nam Tertia in Divinis Persona ex hoc, quòd ex Patris & Filij amore spirativo, seu ponderosâ quâdam inclinatione procedat, sortitur nomen spiritûs. Quia verò amor eatenus est sui communicativus, ut Primum ipsius Donum sit cor amantis, amico intus apprehenso, & intus habitanti vi amoris conjunctum. Idcirco Spiritus Sanctus procedens ex amore Spirativo, quo Pater & Filius se, & omnem creaturam diligunt, ex Notionali suâ proprietate est Primum Consubstantiale Donum, in quo ipse etiam Pater ac Filius seipsos jungunt animæ per Divini amoris flammam succensæ. Et quia ista quâ Spiritûs S. cor suum jungit cordi nostr , unio fit per enumerata Dona, idcirco ista veniunt tum nomine *Spiritûs*, quatenus scilicet ex Divino spirante & Ponderante amore in nos procedunt; tum nomine *Donorum*, quatenus nimirum per ista seipsum nobis donat, & in nobis habitat.

De quibus proinde Spiritûs Sancti Donis sequentes hic discutiemus Controversias. Prima erit; *An, & qualiter distinguantur a virtutibus infusis?* Secunda. *An Essentialiter importent aliquem habitum, vel actum duntaxat Transeuntem?* Tertia. *Qualiter distinguantur Donum Intellectûs & Sapientiæ?* Quarta. *Qualiter Donum Sapientiæ, Scientiæ & Consily inter se differant?* Quinta. *In quo consistat Donum Consilij, & qualiter differat à Prudentiâ infusâ?* Sexta denique *Qualiter Dona Pietatis, Fortitudinis & Timoris Domini distinguantur:* Quibus tandem subnectemus aliquod Corollarium, in quo reliqua minùs difficilia de Spiritûs Sancti Donis, Fructibus, ac Beatitudinibus expediemus. 13.



CONTROVERSIA I.

An, & Qualiter Dona Spiritûs Sancti distinguantur à virtutibus infusis, earumque actibus?

SCotus *in 3. dist. 34. q. un. n. 6.* Lychetus *ibi in comment. à n. 26.* & Scotistæ *communiter* negant, de facto dari alios habitus in Intellectu, aut voluntate distinctos à virtutibus tum infusis Theologicis ac Moralibus (si dentur tales) tum acquisitis. Fundamentum à Lychero *n. 37.* ad mentem sui subtilis Doctoris deductum est. Supposito enim, quòd dentur habitus infusi Theologici tres, *Fides, Spes, & Charitas*, item habitus Morales Practici quatuor, scilicet *Prudentia, Iustitia, Temperantia, & Fortitudo*; tunc solæ hæ septem cum omnibus suis speciebus sufficienter perficiunt *Habitualiter* in ordine ad omnes operationes bonas etiam perfectissimas, quas potest secundùm legem ordinariam habere. Ergo non est necesse, ponere in homine alios habitus in ordine ad ullos actus. Ergo Dona & Beatitudines, si sint habitus, non erunt habitus distincti ab illis virtutibus. 1.

Antecedens probatur. Quia non potest homo exercere operationes Moraliter bonas, nisi vel circa Deum, vel circa creaturas. Atqui ad omnes operationes, quas potest exercere circa Deum per Intellectum, sufficienter perficit Fides; ad omnes etiam actiones, quas potest per voluntatem exercere, sufficienter perficit Spes, & Charitas, tum quia nihil cognoscimus de Deo immediatè, nisi per Fidem, tùm quia nullum habemus actum indirectè, vel directè circa Deum, nisi quo vel amamus ipsum ut in se bonum, & ad hoc sufficit Charitas, vel quo amamus ipsum ut nobis bonum, & ad hoc sufficit Spes. 2.

Deinde ad omnes operationes bonas, quas potest homo per intellectum exercere circa creaturas, Prudentia tum per se, tum per suas species sufficienter perficit; siquidem prudentia sit habitus inclinans ad omne agibile, seu Bonum 3.

Morale. Denique ad omnes, quas potest homo exercere operationes morales per voluntatem, sufficienter perficit Justitia, Temperantia & Fortitudo: non potest enim quis habere ullum actum circa creaturam, nisi vel illos, quibus amat se, & appetit sibi bona, ad hos verò sufficit Temperantia & Fortitudo; vel illos, quibus amat alios & vult ipsis bona, ad hos autem sufficit Justitia. Ergo à primo ad ultimum, non requiritur ad ullos actus bonos, quos de lege ordinariâ elicere solemus, aut debemus pro statu viæ, ullus habitus præter tres Theologicos, & quatuor Cardinales cum suis speciebus.

4. DivusThomas *1. 2. q. 68. a. 1. & in 3. dist. 34. q. 1. a. 1. in corp. & ad 2.* Divus Bonaventura *eâd. dist. a. 1. q. 1.* Suarez *lib. 6. de Grat. cap. 10.* Granadus *tract. 2. cont. 5. disp. 2.* & Thomistæ omnes, nominatim Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 18. a. 2. concl. 2.* affirmant, Dona Spiritûs Sancti *realiter* distingui à virtutibus Theologicis & moralibus.

Fundamenta per Ioannem à Sancto Thomâ *citatum* deducta sunt. *Primò.* Nam Dona Spiritûs Sancti secundùm Fidem orthodoxam erant in Christo Domino, juxta illud *Isaiæ 11. Et flos de radice ejus descendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectûs &c.* Atqui in Christo non erat Fides. *Secundò.* Quia illa Dona in Scripturâ Sacrâ traduntur nobis per modum Spirituum. Hinc autem insinuatur, esse in nobis per specialem inspirationem, & Motionem Divinam Spiritûs Sancti. At inspiratio seu motio Divina aut est in nobis ad sequendum ductum, & regulationem rationis, aut est aliquid altius, & elevatius ratione nostrâ. Hoc verò est Deus seu Divinus instinctus altior omni ratione & regulâ humanâ, nec non ijs, quæ humano modo, & juxta captum nostrum discernuntur. Si proinde Deus nos moveat ad sequendum altiorem ductum rationis, & regulas prudentiæ etiam infusæ, prout à nobis formari possunt, exinde resultat regulatio & moralitas virtutum humanarum, quæ juxta illum modum induunt moralitatem. Si verò Deus nos moveat ad sequendum altiorem ductum, & regulam, quàm sit regulatio prudentiæ, solâque regulatione Spiritûs Sancti mensuretur, tunc regulatio ejusmodi postulat virtutes omni moralitate virtutum humanarum altiores, quas vocamus Dona Spiritûs Sancti, tam in Intellectu Dirigente ac mensurante, quàm in voluntate inclinante ac sequente.

5. Confirmatur 1. Quòd Dona Spiritûs Sancti à virtutibus infusis distinguantur ex diversâ Divini luminis illustratione. Est enim in Divinâ Sapientia *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex. Sap. 7.* Hic verò Spiritus in se unicus dicitur multiplex in suâ participatione, quatenus à Divinâ Sapientiâ derivatur scientia infusa, Prophetia, Fides, & aliæ multæ illustrationes specificè diversæ. Inter has autem numerantur etiam illa Dona, quæ deserviunt ad considerandum de Mysterijs Fidei & rebus Divinis ex aliquo occulto instinctu Spiritûs Sancti afficientis & unientis nos ad se, & facientis intelligere ac rectè judicare de his Mysterijs secundùm affectum ipsum ad Divina, & experientiam, & convenientiam eorum. Unde & in exercitio istorum Donorum maximè fundatur *Theologia Mystica,* id est, affectiva, quatenus ex affectu, & unione hominis ad Divina crescit Intellectûs cognitio, quasi per experimentum internum, juxta illud *2. Corinth. 13. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.* Ex quâ proinde interiori illustratione, & experimentali gustu Divinorum, & aliorum Mysteriorum Fidei inflammatur affectus ad hoc, ut altiori modo tendat ad objecta virtutum, quàm per ipsasmet ordinarias virtutes, quatenus sequitur regulationem & mensurationem altiorem, instinctum scilicet interiorem Spiritûs Sancti, juxta regulas Fidei, & illustrationem ejus. Unde diversam ponit Moralitatem, & diversam specificationem; siquidem diverso modo ducamur ad Finem Divinum, & supernaturalem ex regulatione formatâ nostro studio, & labore (etiamsi virtus sit infusa) & formatâ seu fundatâ in Mensuratione Spiritûs Sancti, sicut diverso modo ducitur navis vel labore remigantium, vel à vento implente vela, licèt ad eundem terminum per undas tendat. Unde & *Marci 6.* dicitur, *quòd viderit Dominus Discipulos laborantes in remigando.* Ex hoc enim insinuatur, quòd magno labore procedatur in viâ Dei, cùm tantùm proprio studio & industriâ per proprias virtutes quis ducitur. Si verò Spiritus impleat interiùs mentem, suâque regulatione mensuret, quasi sine labore curritur ob dilatationem cordis, sicut dilatantur vela spirante vento. Unde dicitur *Psal. 18. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Et *Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Confirmatur 2. Ex eo, quòd Dona Spiritûs Sancti distinguantur à virtutibus non solùm ex diversâ influentiâ Divinâ in genere Causæ Efficientis, sed etiam ex diversâ ratione Formali. 6.
Etenim hæc est diversa regulatio & mensura, siquidem ipsum objectum sic altiori modo & mensurâ regulatum sit in lineâ Morali diversum ab eodem objecto regulato & mensurato aliâ diversâ regulatione & Moralitate inferiori. Ejusmodi verò diversa regulatio rectè assignatur ex Cajetano *præs. q. 68. a. 1.* dum *triplex*, non merè *Effectivè*, sed *Formaliter* ac *regulativè Movens* in nobis distinguit, ita ut primum sit mens humana prædita lumine naturali, cui respondeant virtutes Morales acquisitæ: Secundum verò sit mens humana prædita lumine gratiæ & Fidei, sed tamen ad modum & captum proprium se accommodantis & limitantis secundùm studium & industriam nostram, cui respondeant virtutes infusæ: tertium denique sit mens humana ut pulsata instinctu Spiritûs Sancti non solùm *Effectivè* moventis, & excitantis, sed etiam regulantis supra captum & modum humanum propriæ industriæ ac studij, cui respondeant Dona, seu Spiritus altiori modo mensurati & moti.

Confirmatur 3. Specialiter de Donis ad intellectum pertinentibus. Etenim per ista Dona non solùm cognoscimus veritatem Mysteriorum ex testimonio Dicentis præcisè, aut aliquo lumine manifestante præcisè veritatem; sed *Mysticè*, & ex aliquo affectu experimentali Divinorum, & interiori unione, vel præsentiâ ad Deum. Unde vocantur Spiritus Sapientiæ, Spiritus scientiæ, Spiritus Consilij, Spiritus intellectûs. At nomen Spiritûs pertinet ad ipsam spirationem, quæ est voluntatis affectus, ut adeò illo loquendi modo fuerit insinuatum, quasi esset dictum, affectus sapientiæ, affectus scientiæ, affectuosa & Mystica scientia, affectuosum Mysticum consilium. Unde isti Spiritus virtutum & inspirationes Spiritûs Sancti supponunt Gratiam, & Charitatem, nec nisi in habentibus gratiam reperiuntur 7.

ut post

tempore fundatæ in unione affectivâ animæ ad Deum.

CONCLUSIO.

DOna Spiritûs Sancti ex diversitate Motivorum Formalium specificè distinguuntur à virtutibus infusis.

8. Probatur ratione Divi Thomæ *cit. q. 63. a. 1.* taliter differentis. Est enim considerandum, quòd in homine duplex sit principium movens, unum quidem interius, quod est ratio; alterum exterius, quod est Deus. Oportet autem id, quod movetur, proportionatum esse Motori. Ista verò proportio est perfectio Mobilis in quantum est mobile, atque consistit in dispositione, quâ disponitur ad hoc, ut bene moveatur à suo Motore. Unde quantò Movens est altius, oportet, Mobile tantò perfectiori dispositione ipsi proportionari. Est autem manifestum, quòd virtutes humanæ perficiant hominem, prout natus est moveri per rationem in his, quæ interiùs, vel exteriùs agit. At Dona Spiritûs Sancti, cùm vocentur Spiritus Sapientiæ & Intellectûs &c. sunt in nobis ab inspiratione Divinâ. Inspiratio autem significat Motionem ab exteriori. Oportet igitur, Dona Spiritûs Sancti inesse homini tanquàm perfectiones altiores, secundùm quas fit dispositus, ut efficiatur promptè mobilis ab inspiratione Divinâ, juxta illud *Isaiæ 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij.*

9. Dices ex Ioanne à Sancto Thomâ *cit. a. 2. in solut. object. n. 1.* In virtutibus etiam infusis moveri hominem ex inspiratione & motione Divinâ; siquidem homo per Fidem & Spem se disponendo ad Justificationem, recipiat à Deo gratiam excitantem, & adjuvantem, tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, & homine, recipiendo illam inspirationem, activè cooperante. *Ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5.* Non posse igitur virtutum infusarum & Donorum Spiritûs Sancti distinctionem in eo se tenere, quòd per ista efficiatur homo promptè mobilis ab inspiratione Divinâ.

10. Contra est id, quod deducit Ioannes à S. Thomâ *citatus n. 3.* Nam Spiritûs Sancti illuminatio, & inspiratio potest in homine justo dupliciter fieri in ordine ad Salutem, *uno modo* imperfectè secundùm motionem quasi generalem: *alio modo* perfectè secundùm motionem specialem. At ejusmodi speciales Spiritûs Sancti motiones non procedere à virtutibus infusis ex eo evincitur, quòd virtutes Theologicæ unà cum auxilijs generalibus, ipsâque Intellectivâ, quam elevant, potentia non possint sufficienter penetrare & cognoscere omnia, quæ occurrere possunt homini ad salutem promovendam. Neque enim sola Fides posita in intellectu deservire potest, nisi ad assentiendum revelatis à Deo, ad penetrandum autem & cognoscendum convenientiam, & rationem credibilium, & quantum sint creditu digna, quantumque debeant imprimi cordi, & amplecti, Fides per se solam sufficere non potest; imò neque ratio & discursus humanis rationibus ductus, sufficienter potest ista mysteria penetrare, aut de eis judicare; quinimò, licèt possit credibilitas mysteriorum Fidei per discursum evidenter ostendi, tamen etiam convictus intellectus de credibilitate, non afficitur sufficienter ad res Fidei tum credendum, tum inhærendum eis, & operandum circa illas, nisi ex aliquo interiori spiritu & instinctu moveatur. Cujusmodi proinde instinctus specialis manifestè apparet in illis, qui circa res fidei tentati ac fluctuantes repente prosiliunt in quandam serenitatem, & affectum, quo videntur ipsis res illæ adeò certæ, ut nihil verius possit dici; tunc enim non solùm est penetratio & intelligentia rerum Fidei, sed spiritus intelligentiæ, seu quædam quasi affectuosa intelligentia. Quamvis igitur, quoad virtutes Theologicas & Morales indigeamus divinâ intra ordinem supernaturalem generali saltem inspiratione & illuminatione; attamen ad spiritum agendi ista opera in his, in quibus ratio humana deficit, & superiori regulatione & supplemento indiget, requiruntur aliqua Dona altiora virtutibus.

Instabis. Necdum ex isto discursu apparere, quomodo Formale Motivum actuum Donorum Spiritûs Sancti specificè differat à Motivo virtutum infusarum. Etsi enim dicantur Mysteria Fidei intimiùs penetrata, ista penetratio non videtur subsistere nisi sub motivo Primæ Veritatis, per obscuram revelationem Divinam applicatæ. Insuper rationes credendi, sub quibus fit evidentia credibilitatis, stare possunt per prudentiam infusam, seu discursum Theologicum. Quòd si tales rationes sint etiam extraordinariæ, tamen videntur *materialiter* duntaxat differre ab illis, non verò secundùm Formalem luminis objectivi differentiam. Denique potest voluntas extraordinariâ quâdam motione esse mota ob ferventiorem intensionis conatum, seu affectuosiorem appretiationis efficaciam, non nisi ex motivo charitatis, vel religionis de repente, ac in tantum à Spiritu Sancto motæ, ut istâ motione mediante, prorumpat in actum omninò resolutoriè appretiantem illarum virtutum Motiva, & sic efficaciter repellat omnimodam contrariam tentationem, atque hinc oriatur inter medias tentationum procellas serenitas. 11

Contra. Nam inter Dona Spiritûs Sancti intellectualia, & Fidem hoc discriminis est, quòd ista utendo speciebus naturalibus, veritates sub istis repræsentatas mediante Divinâ obscurâ revelatione applicatas intellectui, ex Motivo Primæ Veritatis credendo, formet quidem Verbum in substantiâ supernaturale specierum naturalium intelligibilitate omninò depuratius, quandam tamen concretionem materialem eo ipso admittens, quòd dependens sit ex naturalibus intelligibilibus speciebus. Unde illud ex Fide Divinâ procedens Verbum dici solet speculum in ænigmate, utpote non solùm innitens obscuræ Divinæ revelationi, sed veritatum revelatarum intelligibilitati non propriæ, sed alienæ, adeòque ænigmaticæ. Verùm quia istud ænigmaticum Fide Verbum ac speculum specierum naturalium intelligibilitati eatenus est immersum, ut ex suo tamen Motivo Formali, ipsâmet scilicet Primâ Veritate depurationem accipiat omni naturali intelligibilitate elevatiorem. Idcirco ex istâ per Primam Veritatem seu Fidei Motivum specificatâ formalitate potest intellectus Donis Spiritûs 12

Sancti intellectualibus instructus, abstrahere intelligibilitatem ab illâ ad species intelligibiles naturales concretione magis depuratam. Hinc autem fit, quòd sicut Fidei Verbum creatum ex sui à speciebus naturalibus dependentiâ contrahit aliqualem materialitatis concretionem, sic, licèt species intelligibilis ex supernaturali Fidei Verbo abstracta non omnimodam exeat potentialitatis, atque adeò limitationis concretionem, eo ipso tamen, quòd ex illius Verbi formalitate quâ per Primam Veritatem ceu Fidei Formale Motivum specificatâ sit abstracta, Diviniorem ac depuratiorem obtinet intelligibilitatis rationem.

13. Neque verò ista elevatior intelligibilitatis abstractio, mediantibus Donis Spiritûs Sancti intellectualibus, fieri potest solummodò ex supernaturali Fidei Verbo, sed ex Charitatis affectivâ ad Deum unione, omnique supernaturali actu. Unde intelligibilitas taliter abstracta est quasi experimentalis, utpote Veritatis ac Bonitatis quasi *experimentaliter* attactæ repræsentativa. At eo ipso, quòd talis ex supernaturalibus Fidei & Charitatis actibus abstracta intelligibilis species, intellectûs Donis Spiritûs Sancti intellectualibus instructi sit determinativa ad Verbum creatum supernaturale, sub puriore ac diviniore Intelligibilitatis luce objectivâ, Veritatum Divinâ Fide creditarum jam repræsentativum; oportet, actus à Donis Spiritûs Sancti elicitos habere pro motivo illam ipsam depuratiorem ac Diviniorem Intelligibilitatis lucem objectivam.

14. Est autem per se notum, istam lucem objectivam ceu Formale Intellectualium Spiritûs Sancti Donorum Motivum specie differre à Formali Fidei Motivo *adæquatè & completè* sumpto: siquidem istud Primam quidem Veritatem, attamen ænigmaticâ quà tum obscuræ revelationis, tum naturalium specierum intelligibilitate vestitam importet, cùm econtra Spiritûs Sancti Dona in veritates Divinitûs revelatas intendant sub altiori ac Diviniori ex actibus supernaturalibus ceu Divinorum attactibus quasi experimentalibus abstractâ intelligibilitate. At eo ipso, quòd voluntas intellectui, & consequenter voluntatis Dona intellectualibus Spiritûs Sancti Donis sint proportionata, sequitur, virtutum Moralium infusarum à Donis voluntati existentibus differentiam in eo se tenere, quòd Honestas objectiva virtutum Moralium infusarum specificativa, Divino licèt Fidei lumine naturalibus tamen speciebus aliqualiter immerso nitens, sit quidem in substantiâ supernaturalis; attamen ad Moralia agibilia naturalia talem habeat concretionem, ut virtutes ejusmodi suum Formale in substantia supernaturale Motivum non intendant in agibilibus moralibus, nisi prout secundùm vires nostras fiunt modo ordinario.

15. Econtra verò Spiritûs Sancti Dona supernaturalem Honestatem intendunt in agibilibus Moralibus, prout Extraordinario modo facienda repræsentantur sub altiori ac Diviniori lumine. At vi istius Divinioris luminis repræsentatur Honestas objectiva sub Diviniore quâdam participatione, materialem ad moralia quà viribus nostris proportionata opera concretionem supergrediente. Hæc autem Divinior Honestatis objectivæ participatio est voluntatis Motivum specie diversum ab Honestate objectivâ virtutum Moralium specificativâ, utpote quæ materialem quandam ad moralia quà viribus nostris proportionata opera concretionem importet.

. Constat igitur, Donorum Spiritûs Sancti & virtutum infusarum Motiva differre *specificè* sub diversâ Divini luminis, nec non Honestatis objectivæ participatione supernaturali. Et hinc licèt ex discursu etiam Theologico formari possit evidentia credibilitatis, eo ipso tamen, quòd iste discursus, dum manet intra limites Theologiæ Scholasticæ, formetur sub illis speciebus naturalibus, sub quibus Fidei Verbum seu speculum ænigmaticum est formatum, nequit talis evidentia attingere sublimitatê donorum Spiritûs Sancti. Secus est de evidentiâ credibilitatis per supernaturales ex Fidei præsertim & Charitatis actibus abstractas species formatâ, ut sic depuratiorem ac Diviniorem credibilitatis evidentiam ingerente, & ad Theologiam Mysticam pertinente. Quam proinde oportet, esse objectum Formale actûs à Spiritûs Sancti Dono aliquo eliciti specificativum. 16.

Replicabis. Tametsi summa Divinitatis bonitas sub alio lumine objectivo ad voluntatem sit applicata per Verbum creatum supernaturale Fidei, aliter verò per supernaturale ex Intellectualibus Spiritûs Sancti Donis formatum Verbum, aliter denique per ipsummet increatum mediante lumine gloriæ ac Visione Beatificâ creato intellectui *intentionaliter* unitum Verbum. Nihilominùs unicum esse voluntatis habitum supernaturalem, charitatem scilicet infusam, quæ sub omnimodâ tali applicatione attingat Divinitatis Bonitatem, tanquam formale specificativum Motivum. Cur ergo non idem esset habitus Intellectûs, qui tum per actum Fidei sub ænigmatico ex speciebus naturalibus pendente supernaturali per Primam Veritatem obscurè licèt revelantem, ceu Motivum Formale specificato Verbo, tum per actum Doni Sapientiæ & Intellectûs sub experimentali ex Fidei præcipuè & Charitatis actibus abstractâ intelligibilitate possit diversimodè versari circa veritates Divinitùs revelatas. 17.

Contra. Nam ex Fidei revelatione Divinâ novimus, Fidem Theologicam, non autem charitatem excidere in patriâ. Hinc autem sequitur, quòd habitus Fidei ex auditu procedentis specificatio sit ex Primâ Veritate non *simpliciter*, sed prout ista in ratione objecti est Motiva ad veritates sub obscurâ revelatione, mediantibus speciebus naturalibus ex auditu progenitis, repræsentatas. Econtra verò, quia charitas Theologica in patriâ manens subsistit *simpliciter*, per sui ex Divinitatis Bonitate specificationem sequitur; non tam habitum, quàm actum charitatis posse diversificari ex eo, quòd Divina Bonitas sub diversis luminibus sit applicata ad voluntatem. Cùm igitur Theologicæ Charitatis habitus infusus per Divinam Bonitatem quà in suâ Essentiâ quasi specificâ subsistentem, & ut sic mediante supernaturali hujus quasi specifici gradûs *Formaliter* expressivâ cognitione voluntati applicatam simpliciter sit specificatus; econtra verò habitus Fidei per Primam Veritatem non simpliciter spectatam, sed quà sub obscurâ revelatione, mediantibus naturalibus ex auditu conceptis speciebus, applicatam sit specificatus, consequens est; habitum charitatis Theologicæ posse versari circa appretiationem latiorem Div[illegible] Essentialis Bonitatis quocunque modo sub Verb[illegible] vel creato, vel increato propositæ, econtra verò Habitum Fidei ex suâ Essentiali specificatione ea- 18.

tenus.

tenus esse restrictum ad Primam quà obscurâ revelatione & naturalibus speciebus vestitam Veritatem, ut nequeat se extendere ad altiorem Divinorum ex actibus supernaturalibus abstractam quasi Experimentalem intelligibilitatem. Et hinc in ordine ad Deum supernaturaliter cognoscendum eatenus dantur diversi supernaturales Fidei scilicet, ac Intellectualium Spiritûs Sancti Donorum, imò in patriâ luminis etiam gloriæ habitus, ut istis tamen omnibus in ordine ad Deum in suâ Essentiali Bonitate super omnia appretiandum respondeat in voluntate unicus Charitatis infusæ habitus supernaturalis.

19. Urgebis. Dona Spiritûs Sancti esse necessaria ad salutem. ex Sancto Thomâ *1. 2. q. 68. a. 2.* At non esse obligationem ad opera excedentia actus virtutum, sed harum exercitio haberi posse omnium mandatorum observantiam. Unde non videri ad salutem necessaria opera Moralia, nisi virtutum. Ergo Dona Spiritûs Sancti non videri distinguenda à virtutibus infusis.

20. Contra. Nam 1. Dona Spiritûs Sancti sunt connexa cum Charitate. ex Divo Thomâ *cit. q. 68. a. 5. ad 1.* Ergo ratione talis connexionis oportet, Dona Spiritûs Sancti *Habitualiter* spectata saltem *Concomitanter*, imò, cùm radicenter in gratiâ sanctificante, *radicaliter*, si non *Formaliter* esse

21. simpliciter necessaria ad salutem. 2. Tot occurrunt in via mandatorum Dei pericula tentationum, ut nisi Spiritus Sanctus per sua Dona adjuvet infirmitatem nostram, facilè deficiamus. Etsi proinde per actus virtutum sufficienter adimpleantur legis Divinæ præcepta, ut tamen fiant virtutum actus, quibus mandata Dei custodiamus, graviori quandoque tentatione instante, non sufficit sola ratio cum virtutibus, nisi etiam adsit instinctus, & motio Spiritûs Sancti supplens infirmitatem nostram, & superans difficultates tentationum. Unde Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 18. a. 2. n. 6.* ex Sancto Doctore *cit. q. 68. a. 2. ad 1. & 2.* rectè infert, pro talibus tentationum casibus necessarium esse actuale Donorum Spiritûs Sancti exercitium, juxta illud *Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet nos in terram rectam.*

22. Hinc 3. Donorum Spiritûs Sancti necessitas ex eo etiam evincitur, quòd dentur ad supplendum defectum virtutum. Hic verò defectus, advertente Sancto Thomâ *super cap. 11. Isaiæ* est duplex; alter ex parte habentis, alter ex parte ipsius Habitûs. At licèt defectus ex parte Habentis ex subjecti virtutem imperfectè participantis indispositione ortus tollatur per augmentum & intensionem virtutis: attamen defectus se tenens ex parte Habitûs dicit intrinsecam virtutis imperfectionem, cujusmodi in Fide est obscuritas, in quâ caligat oculus. Unde dicitur *2. Paral. 6. Dominus pollicitus est habitare in caligine*, id est, in Fide, juxta illud Pauli asserentis; Christum per Fidem habitare in cordibus nostris. Quare ejusmodi Fidei defectus quodammodò suppletur per altiorem habitum, scilicet per Donum Sapientiæ & Intellectûs; siquidem homines ordinario modo procedentes in contemplatione solius Fidei, facilè afficiantur tædio, nec adeò possint diu perseverare, utpote versantes in obscuritate, & caligine, sub quâ res cœlestes ipsis potiùs occultantur, quàm aperiuntur: juxta illud *Deuter. 33. Oculus Iacob in terrâ frumenti, & vini, cœlique caligabunt rore.* Dum enim oculus est in terrâ Ecclesiæ militantis, quæ propriè est terra frumenti & vini, id est, Pastûs spiritualis in sacramentali frumenti & vini velo nascentis, *cœli caligant rore*; quia Mysteria Divina occultantur nobis caligine Fidei, sub quâ non possumus res cœlestes perfectè contemplari, sed ad summum tenui quodam rore perfundimur. Unde Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 18. a. 1. n. 5. & 6.* concludit, animæ necessarium esse, ut ex Fidei caligine erumpat & exiliat ad currendum Deo suo per illuminationem Donorum Spiritûs Sancti, quibus mens quasi in vestitu deaurato circumdetur varietate, id est, multitudine spiritualium sensationum, & multiplici intelligentiâ Divinorum. Et quia Fides in hac vitâ non potest clarescere ex parte objecti utpote obscuro Dei revelantis testimonio semper innitens, oportere, animam Fidei caligantis vinculis captivam illuminari flammâ amoris Divini, quatenus Dona Intellectûs & Sapientiæ limpidiorem Intelligibilitatis speciem ex supernaturalibus præsertim Charitatis Theologicæ actibus abstrahendo, & huic depuratiori Intelligibili speciei innitendo, aliquid de caligine Fidei abrumpunt, prout *supra* ostensum est. Cùm igitur contemplatio solius Fidei caligine nitens difficulter possit continuari, oportet, Intellectum ab ænigmaticâ Fidei cognitione ad Divinorum Mysteriorum per Dona Intellectûs & Sapientiæ limpidam & claram contemplationem *exurgere in flammâ amoris, seu splendore ignis flammantis in nocte, Isaiæ 5.* Constat proinde, inter virtutes ac Dona Spiritûs Sancti esse intrinsecam ex objectis formalibus diversis specificatam differentiam.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 1.* oppositum Respondetur. Per virtutes tum Theologales, tum Morales animam quidem sufficienter perfici in ordine ad actiones Morales tam circa Deum Finem Ultimum, quàm circa media etiam supernaturalia secundùm regulationem ordinariam eliciendas: attamen ut anima ex actibus supernaturalibus altiorem & Diviniorem Intelligibilitatis supernaturalis lucem abstrahendo, habeat tum ipsam Dei Finis ultimi Essentialem Bonitatem sub saporosiori quâdam Intelligibilitatis Formâ, seu luce clariore sibi repræsentatam, atque ex hac in ardentiorem ac sapidiorem Charitatis flammam erumpat, & ex illâ limpidiore per Charitatis ignem excitatâ luce operum Moralium depuratiorem Honestatem ac moralitatem eliciat, ac voluntati applicet, opus esse Donis Spiritûs Sancti eo ipso necessarijs, quòd illa ordinaria tum virium nostrarum mensuræ proportionata, licet supernaturalis regulabilitas quandoque deficiat, debeatque proinde per sublimiorem, & altiorem à Spiritûs Sancti Donis excitatam regulationem erigi ac suppleri, veluti probant fundamenta *à n. 2.* deducta. 23.



❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An Dona Spiritûs Sancti Essentialiter importent Habitum, vel Actum duntaxat transeuntem?

1. NOnnulli per Ioannem à Sancto Thomâ *cit. a. 2. concl. 1.* allegati existimabant; Dona Spiritûs Sancti solùm esse actus quosdam virtutum speciales, non habitus. Fundamentum est. Quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ permanentis, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum, quæ per illud lumen manifestantur. Ex Divo Thomâ *2. 2. q. 171. a. 1.* Unde concludit Sanctus Doctor, quòd, cùm principium eorum, quæ ad supernaturalem propheticam cognitionem pertinent, sit ipse Deus, qui per Essentiam non videatur à Prophetis, oportcat, lumen propheticum non inesse per modum habitûs, sed per modum passionis, seu impressionis transeuntis. At verò neque Dona Spiritûs Sancti intellectualia supponunt permanenter cognitum principium, à quo derivantur; siquidem solùm dentur ad sequendum instinctum Spiritûs Sancti. Hic verò instinctus non cognoscitur se habere per modum habitûs, sed per modum transeuntis. Ergo Dona Spiritûs Sancti Intellectualia æquè, ac lumen propheticum sunt in intellectu viatoris per modum impressionis duntaxat transeuntis.

2. Econtrario Theologi communiter cum Sancto Thomâ *1. 2. q. 68. a. 3.* tenent; Dona Spiritûs Sancti esse habitus, quibus homo perficiatur ad promptè Spiritui Sancto obediendum. Fundamentum à Sancto Doctore deductum est. Sicut enim virtutes morales perficiunt vim appetitivam, quatenus hæc nata est moveri per rationem: sic Dona Spiritûs Sancti sunt quædam perfectiones, quibus disponitur homo ad sequendum instinctum Spiritûs Sancti. At virtutes morales sunt habitus. Ergo & Dona Spiritûs Sancti.

Confirmatur ex Ioanne à Sancto Thomâ *citato n. 3.* Quia ista Dona dantur ad hoc, ut homo operetur ex quâdam connaturalitate ad res Divinas, & ex quâdam experientiâ illarum, prout movetur ex instinctu Spiritûs Sancti. At homo non potest connaturalizari ad res Divinas, & quasi spiritualizari, & Divinizari, nisi disponatur, & afficiatur ad illas modo permanenti, & habituali, quod enim per modum transeuntis solùm datur, non connaturalizat subjectum ad id, ad quod disponit. Ergo Dona Spiritûs Sancti habitualem exigunt dispositionem ad operandum. Unde etiam Sacra Scriptura Spiritûs Sancti Dona vocat spiritum requiescentem & manentem; juxta illud *Isaiæ* 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & scientiæ &c.* Et *Ioan.* 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit.*

~:(o):~

CONCLUSIO I.

DOna Spiritûs Sancti sunt in animâ justâ per modum habitualis dispositionis elevantis, & habilitantis tum Intellectum agentem ad species intelligibiles supernaturales ex supernaturalibus, præsertim Charitatis actibus abstrahendas; tum intellectum possibilem ad res Divinas sub talibus intelligibilibus formis intelligendas; tum voluntatem ad Divinitatis Bonitatem Essentialem, aliaque Divina Mysteria, nec non operabilia Moralia sub illâ abstractiore, & depuratiore formalitate, atque sub altiori moralitatis regulabilitate prosequendam. 3.

4. Probatur. Nam Spiritus Sanctus inhabitando animam justi, adimplet omnes vires ipsius, non quidem actu, sed habitu. Hinc ipsum animæ fundum dotat Gratiâ sanctificante, Intellectum Fide & Prudentiâ infusâ, voluntatem Charitate, & virtutibus moralibus infusis. Verùm inter has virtutes ea est coordinatio, ut omnes consummentur in unâ charitate. Hujus autem flamma tantò magis crescit, quantò Divinitatis Essentialis Bonitas sub clariori luce illucescit, ac virium inferiorum à sensibilibus major ac depuratior resultat abstractio. At verò per Fidem repræsentatur Deus sub ænigmatico obscuræ revelationis ac naturalium ex auditu perceptarum specierum speculo; in quo Divinitatis Bonitas repræsentatur sub caligine & obscuritate. Quare ad charitatis flammam magis excitandam, opus erat vi quâdam intellectum agentem elevante ad depuratiorem Divinitatis, in ænigmatico Fidei speculo, licèt sub caligine illucentis, speciem intelligibilem ex Fidei, imò & Charitatis huic respondentis actu abstrahendam, sub quâ ceu puriore intelligibili luce Divinitas clariùs illucescens sapidiorem & ferventiorem excitet amorem Dei. Oportet igitur, tum in intellectu agente, tum possibili animæ justæ ponere vim quandam supernaturalem, per quam habilitetur ad depuratiorem Divinorum intelligibilitatem abstrahendam & exprimendam. At eo ipso, quòd ista vis sit ex inhabitante, ut sic omnes animæ vires, ipsummet etiam intellectum Agentem replente Spiritu Sancto, oportet talem vim esse permanenter connexam cum gratiâ sanctificante, per quam Spiritus Sanctus habitat in animâ justi. Quia verò illa supernaturalis ad depuratiores ex actibus supernaturalibus formandas intelligibiles species virtus afficit intellectûs partem non speculativam duntaxat, sed etiam practicam, sequitur; vi inhabitantis Spiritûs Sancti inesse animæ justæ habilitatem permanentem ad formandas species Honestatis objectivas sub depuratiore & altiore, ordinariam Moralitatis regulationem etiam supernaturalem excedente formalitate repræsentativas. At eo ipso, quòd isti practicæ altioris regulabilitatis moralis repræsentativæ rationi in voluntate respondere debeat quædam supernaturalis per inhabitantem Spiritum Sanctum ex Gratiâ sanctificante connaturaliter debita vis, moralitatis illius prosecutiva, oportet, istam vim ceu Spiritûs Sancti Donum in Spiritu 5.

Sancto

Sancto Permanenter inhabitante radicatum esse permanens. Consequens igitur est, Dona Spiritûs Sancti inesse animæ justæ per modum dispositionis permanentis, non autem transeuntis.

6. Dices. In hoc discursu supponi, quòd Donorum Spiritûs Sancti actus sint ab intrinseco, non autem ab extrinseco Spiritûs Sancti instinctu. Imò quòd non tam sint ex motione Spiritûs sancti, quàm ex vi Donorum. Hinc autem fieri consequens, quòd ista Dona non tam habilitent ad sequendum ductum Spiritûs Sancti, quàm quòd Dona Spiritûs Sancti intellectualia foveant instinctum, cui subdere se debeant Dona recepta in voluntate. At verò de Donis Spiritûs Sancti passim doceri à sanctis Patribus, nominatim Thomâ Aquinate, quòd per ea reddatur anima promptè mobilis à Spiritu Sancto, atque adeò principium motivum in talibus Donis sit ab extrinseco Spiritûs sancti instinctu; cùm econtra virtutum Moralium principium Motivum sit ratio tanquàm Principium *Intrinsecè* movens.

7. Contra. Nam in istorum Donorum exercitio varij interveniunt actus. *Primò* enim per modum materiæ remotæ se habet quædam Divinorum Mysteriorum per species ex auditu Fidei perceptas expressio intelligibilis. *Secundò*. Huic succedit Fidei actus, tanquam proxima & perfecta Donorum Spiritûs sancti Intellectualium materia. Hinc *tertiò* Intellectus Agens Spiritûs sancti Dono elevatus abstrahit quandam Divinorum mysteriorum sub depuratiore Intelligibilitate repræsentativam speciem. Quæ una cum intellectuali quà intellectûs possibilis perfectivo Spiritûs sancti Dono constituit adæquatum intellectionis principium. *Quartò*. Supposito isto Divinioris per Spiritûs sancti Donum intellectionis seu contemplationis principio adæquato, eatenus dicitur intellectus illo mediante per Spiritum sanctum mobilis, quatenus illud ipsum ex illâ depuratiore Intelligibilitatis specie, nec non Spiritûs sancti Donis integratum principium radicatur in Spiritu sancto per gratiam sanctificantem inhabitante. Nihilominùs ut istud in actu

8. Primo adæquatum principium erumpat in actum, opus est concursu Spiritûs sancti excitante, & ex parte actûs etiam secundi præveniente. Quare tum ratione talis in actu etiam secundo prævenientis & excitantis adjutorij; tum ratione radicalis ipsummet mediante gratiâ sanctificante inhabitantem Spiritum sanctum importantis principij intellectio, seu contemplatio per Donum Spiritûs sancti elicita rectè dicitur instinctus Spiritûs sancti. Unde omnis ex tali contempla-

9. tione intra voluntatem procedens actus dicitur etiam esse ex instinctu Spiritûs sancti. Etsi verò *Quantò* actus supernaturalium virtutum procedant ex illuminatione Spiritûs sancti, cùm tamen ista illuminatio sit secundùm quandam proportionis ad vires ordinarias commensurationem, atque adeò moralitas per intellectionem virtutibus moralibus prælucentem expressa importet quandam rationem actûs moralis secundùm vires ordinarias regulativam; idcirco nequit illuminatio ejusmodi ex parte objecti materialis nostris viribus commensurati esse ex puro Spiritûs sancti instinctu, sed ex parte saltem est ex intrinsecâ ad vires nostras ordinarias se inclinante ratione. Etsi proinde tam secundùm virtutes infusas, quàm secundùm Dona Spiritûs sancti non tantùm passivè, sed activè simus mobiles à Spiritu sancto, hoc tamen discriminis est, quòd illa per virtutes infusas mobilitas sequatur ductum rationis ad vires nostras ordinarias se inclinantis; cùm econtra altera per Donâ Spiritûs Sancti mobilitas excedendo virium ordinariarum commensurationem sequatur purum Spiritûs sancti instinctum. Qui equidem instinctus dicitur Extrinsecus tum *Radicaliter*, quatenus ejus radix Spiritum sanctum mediante gratiâ Habituali inhabitante importans est purè ab Extrinseco, licèt *Formaliter* in seipso, imò *Causaliter* quoad proximum suum in actu Primo principium sit Intrinsecus; tum *Objectivè*, quatenus moralitas objectiva per illum repræsentata virium nostrarum proportionem superexcedens non est secundùm commensurationem rationis ad vires nostras ordinarias respicientis; tum denique *Causaliter* quoad principium in actu secundo excitans ac præveniens; siquidem ista in actu secundo Donorum Spiritûs Sancti excitatio præveniens nullum intra nos, licèt gratiâ sanctificante ac Spiritûs sancti Donis instructos, habeat connaturale principium, sed purè sit ex gratuitâ Spiritûs Sancti voluntate. 10.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD *n. 1.* oppositum respondetur. Ad hoc, ut lumen aliquod intellectuale quarundam veritatum in, vel ex principio aliquo cognoscibilium manifestativum insit per modum formæ Permanentis, oportere, principium ejusmodi intellectui inexistere non semper *Formaliter*, sed *Virtualiter*. At eo ipso, quòd Dona Spiritûs sancti non tantùm sint perfectiva Intellectûs Possibilis, sed etiam Agentis, habeantque vim ex formis seu actibus supernaturalibus abstrahendi species quasi experimentales, easque sublimandi ac depurandi, & sic coaptandi ad Diviniorem Mysteriorum supernaturalium cognitionem producendam; fieri consequens, quòd principium veritatum per Dona Spiritûs sancti intellectualia noscibilium *in Esse intelligibili* repræsentativum in quocunque Gratiâ sanctificante, Donisque adeò Spiritûs sancti instructo semper maneat *Virtualiter* præsens. In quo istorum Donorum lumen intellectuale differre à lumine Prophetico; siquidem futurorum lumine Prophetico cognoscibilium principium intelligibile ex nullo, nisi luminis gloriæ ac Visionis Beatificæ statu possit esse *Virtualiter* præsens. Consequens proinde esse, quòd Dona Spiritûs sancti, non autem Lumen Propheticum debeat inexistere per modum Formæ Permanentis, eò maximè, quòd, cùm homo in statu Gratiæ sanctificantis constitutus vi Donorum Spiritûs sancti habeat vim ex actibus supernaturalibus abstrahendi species Divinorum Mysteriorum quasi *experimentaliter* repræsentativas; ad talium Mysteriorum cognitionem sit connaturalizatus, utpote ex illâ Spiritûs sancti Donorum vi habens in se *Virtualiter* veritatum intellectuali Donorum ejusmodi lumine noscibilium principium intelligibile: cujusmodi connaturalizatio non stat nisi per formam permanentem; uti probant fundamenta *n. 2.* & *3.* deducta. 11.

***

CON-

CONTROVERSIA III.

In quo conſiſtat Donum Intellectûs, & qualiter diſtinguatur à Dono Sapientiæ.

1. DIfficultatem hic movent verba Sancti Thomæ *1. 2. q. 68. a. 4.* docentis; *ad Donum Intellectûs pertinere apprehenſionem Veritatis ſpectantem ad inventionem in parte ſpeculativâ, cùm econtra Donum Sapientiæ perficiat partem ſpeculativam ad rectè judicandum.*

2. Contra quod videtur ſtare *primò.* Quia munus apprehendendi & judicandi veritates ſupernaturales poteſt ſpectare ad eundem Habitum. *Secundò.* Quia non licet dicere, quòd Doni Intellectûs ſit, judicare ac diſcernere veritates ſupernaturales ſe habentes tanquàm principia; Doni verò Sapientiæ ſit, judicare veritates ſupernaturales per modum concluſionum ex principijs de-
3. ductas & illatas. Nam Ioannes à Sancto Thomà *cit. diſp. 18. a. 3. n. 4.* opponit, veritates ſupernaturales ſe habentes tanquàm principia per habitum ſupernaturalem, non niſi cum certitudine noſcibiles, non poſſe attingi per Judicium niſi vel clarum luminis Gloriæ proprium, vel ob-
4. ſcurum ex Fide Theologicâ elicitum. *Tertiò.* Neque dicere licet, quòd Donum Intellectûs non ſit attingens veritates Fidei, ſed earum credibilitatem vel convenientiam credibilium, aut eorum apprehenſionem, quantum ad ſenſum, & intelligentiam terminorum. Etenim author *citatus n. 5.* oſtendit; Totum hoc eſſe præambulum ad fidem; ſiquidem hanc præcedat tum evidentia credibilitatis, tum notitia convenientiæ credibilium, utpote ex cujus convenientiæ apprehenſione moveatur pia ad credendum affectio, tum intelligentia articuli ad credendum propoſiti. At verò Dona Spiritûs ſancti connexa ſunt cum Gratiâ ſanctificante, nec adeò præcedunt Fidem. Nequit ergo Doni Intellectûs proprium eſſe, quòd judicet articuli ad credendum propoſiti vel credibilitatem, vel convenientiam, vel ſenſum.

5. Quibus adeò diſcuſſis, Ioannes à ſancto Thomâ *ubi ſupra n. 7.* concludit; Donum Intellectûs ſine judicio aliquo diſcretivo veritatis non inveniri, licèt etiam quaſi antecedenter rectam terminorum apprehenſionem formet in intellectu. Fundamentum *n. 11.* deductum eſt. Quia Donum Intellectûs maximè diſponit hominem ad intelligendum rectè & purè ſine admixtione errorum, & ſine immerſione ad phantaſmata, & res materiales, quibus vel maximè impeditur intelligentia ſpiritualium. Unde quamdiu non fit ſecretio rerum extranearum, non penetrantur myſteria ſpiritualia, ſed tali potiùs admixtione confunduntur & obſcurantur. Unde Dono Intellectûs, Divo Thomâ *2. 2. q. 8. a. 7.* atteſtante, reſpondet inter Beatitudines *Munditia cordis*, juxta illud *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Hæc autem munditia cordis non ſolùm fit per Depurationem ab inordinatis affectibus, quam præſtant virtutes & Dona partis appetitivæ; ſed etiam per Depurationem à phantaſmatibus & erroribus, ut ea ſcilicet, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, neque ſecundùm hæreticas perverſitates. Oportet igitur, quòd Donum Intellectûs diſcernat in Myſterijs Fidei veritatem ab erroribus, ſpiritualitatem Divinorum à formis corporalibus, cùm alioquin ruditer, & cum hebitudine, atque obfuſcatione quâdam ſeu confuſione intelligantur. Quam proinde ruditatem, hebetudinem, & obfuſcationem tollit Donum Intellectûs, mentem illuſtrando & purificando. At iſta diſcretio ſeu penetratio ac illuſtratio non fit ſine comparatione Veritatis Fidei ad errores, quos reſpuit, & ſpiritualis puritatis, atque abſtractionis cum materialitate ac fæce corporalium formarum, quas removet. Ergo Donum Intellectûs ſic acuens & diſponens mentem ad penetrandum & limpidè cognoſcendum, judicativum eſſe debet.

Et hinc author *citatus n. 22. & 23.* ait; Donum Intellectûs differre à Dono Sapientiæ, quòd ad iſtud pertineat, judicare non quocunque judicio, ſed reſolutivo & Analytico, quod eſt per cauſas; cùm econtra ad Donum Intellectûs non ſpectet judicare de rebus ſpiritualibus per cauſas, ſed tantùm penetrare veritates, diſcernendo illas à falſitatibus, & modum intelligendi ſpiritualia taliter dirigendo, ut non ad modum corporalium judicentur. Fundamentum eſt. Nam Donum Intellectûs eſt circa Prima principia cognitionis gratuitæ. At quia iſtorum termini non ſunt de ſe evidentes, & omnibus noti; oportet, uti ſpeciali Dono Intellectûs ad penetrandum & intelligendum illos, diſcernendo eorum intelligentiam à falſitatibus & erroribus, & ſpiritualia à ſenſibilibus, non quidem per intrinſecam, & poſitivam evidentiam cognoſcendo, *quid ſint*; ſed per extrinſecam, & quaſi negativam evidentiam cognoſcendo, *quid non ſint.* Ex quibus proinde terminis ſic penetratis, & per quandam comparationem, & diſcretionem cognitis formatur judicium de ipsâ veritate non per cauſas, ſed per penetrationem terminorum, & diſcretionem veritatis ab erroribus: ſicut etiam multa principia non omnibus, ſed ſolùm ſapientibus per ſe nota ſupponunt terminos illorum principiorum cognitos & penetratos non ſolâ ſimplici inſpectione, ſed judicio & comparatione ſapienter factâ, & acuto ingenio penetratâ. Quemadmodùm igitur ad Habitum Principiorum, qui etiam vocatur Intellectus, ſpectat, veritates attingere non reſolvendo in cauſas, & principia, ſed ex ſolâ penetratione terminorum; ſic ad Donum Intellectûs pertinet, veritates ſupernaturales ſe habentes in rebus Fidei tanquàm principia, judicare ex ſolâ terminorum penetratione. 6.

CONCLUSIO I.

AD Donum Intellectûs quà Intellectum Agentem perficiens ſpectat à Divinis Fide Theologicâ cognitis myſterijs abſtrahere ſenſibilitatem, & materialitatem, mediante Intelligibili per Fidei ex naturalibus ſpeciebus procedentem actum expreſſo Verbo, Myſterijs Divinis quodammodò aſperſam. 7.

Probatur. Sicut enim Primum in Moralibus naturale principium eſt lux quædam objectiva ſub abſtractâ Boni voluntatis ſatiativi, ceu cujuſ-

cujuſdam Numinis univerſalem voluntatis noſtræ commenſurationem coæquantis ratione repræſentata. Sic per Fidem cognoſcimus quidem Deum ceu Ultimum Finem voluntatis noſtræ unicè ſatiativum Bonum. Quia tamen iſta Fidei cognitio ſub Primâ per ſupernaturalem Spiritûs ſancti motionem Intellectui applicatâ Veritate, ceu Motivo Formali, Dei quà Ultimi Finis expreſſiva eſt per ſpecies naturales; Idcirco notitia ejuſmodi per alienæ Intelligibilis ſpeciei ex phantaſmatibus corporalibus formatæ ænigmaticum ſpeculum, ſub corporalibus figuris ac ſimilitudinibus ſenſibilibus Dei Ultimi Finis eſt repræſentativa. Quemadmodùm igitur Divini vultûs ſuper nos ſignatum lumen illam Divini univerſalem voluntatis noſtræ commenſurationem coæquantis Numinis ſpeciem poteſt naturali etiã perſpicacitate, per abſtractionem Metaphyſicam, ab omni materiæ non tantùm ſenſibilis, ſed Intelligibilis etiam potentialitatis concretione abſtrahere: ſic ubi per Gratiæ ſanctificantis communicationem ad Divinitatis ſupernaturalem *Analogicè* ſpecificam imaginem tranſlati ſumus, oportebat, in lineâ ſupernaturalis quoque elevationis Intellectum in ordine ad Divinitatis, ejuſque Myſteriorum cognitionem non manere affixum corporalibus ſimilitudinibus, ſed ſub altiori quâdam Intelligibilitatis à corporalibus abſtractæ formâ intendere in Divinorum notitiam. At verò iſtæ depuratiores à materialitate abſtractiores ſpecies intelligibiles ordinariè in hâc vitâ non ſolent eſſe infuſæ: cùm ipſi etiam Fidei ſupernaturali in primævo ſaltem exercitio non niſi naturales ſpecies Intelligibiles ancillentur. Quare oportuit, animæ Gratiâ ſanctificante inſtructæ eſſe Divinitùs inditam vim abſtrahendi ac efformandi ſpecies intelligibiles Divinorum Myſteriorum repræſentativas ſub altiori à figuris corporalibus ænigmatico Fidei ſpeculo deſervientibus abſtractiore ratione. At iſta vis eſt propria Doni Intel-
8. lectûs. Probatur iſtud aſſumptum. Nam Dono Intellectûs reſpondet ſexta Beatitudo, quæ eſt munditia cordis. Ex Divo Thoma *2. 2. q. 8. a. 7.* Hæc autem eſt duplex, altera *Præambula* & *Diſpoſitiva*, quæ eſt depuratio affectûs ab inordinatis affectionibus; quæque fit per virtutes & Dona pertinentia ad vim appetitivam. Altera proinde munditia mentis eſt *quaſi Completiva*, quæ eſt depuratio Intellectûs ab erroribus & phantaſmatibus, ut ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum. Ex Sancto Doctore *citato*. At iſtam munditiam facit Donum Intellectûs. *ibidem.* Eſt autem ex Philoſophiâ notum, quòd depuratio à phantaſmatibus corporalibus fiat virtute Intellectûs agentis quà puriores & abſtractiores formas intelligibiles ex phantaſmatibus abſtrahentis. Ergo Donum Intellectûs perficiendo Agentem Intellectum, huic confert ſupernaturalem virtutem ex ænigmatico Fidei à ſpeciebus naturalibus pendente, atque adeò à phantaſmatibus corporalibus minùs depurato ſpeculo abſtrahendi altiores ac puriores, ſeu Diviniores ſpecies Intelligibiles ſupernaturales, Myſteriorum Fidei ſub depuratiori à phantaſmatibus corporalibus abſtractiores Intelligibilitate repræſentativas. Unde Divinus Dionyſius *lib. de Myſt. Theo l.* dixit: ***Debere à formis corporalibus ſeu phantaſmatibus diſcedere tendentes in Divinam contemplationem.***

Dices. Impoſſibile eſſe, quòd in hac vitâ in- 9.
telligamus, niſi dependenter à phantaſmatibus. At Dona & virtutes ſupernaturales ita proportionari naturæ Intellectûs, cui inſunt, ut actus ſuos efficiant ſecundùm illius conditionem. Non igitur videri, quòd Donum Intellectûs in hac vitâ formet ſpecies intelligibiles à formis corporalibus ſeu phantaſmatibus depuratas.

Contra. Nam intellectionis ſeu ſpeciei intel- 10.
ligibilis ex phantaſmatibus dependentia alia eſt remota, alia verò proxima. Etſi verò Intellectûs noſtri conditio naturalis ſit, ut prima ejus ſpecies *immediatè* abſtrahatur ex aliquo phantaſmate, attamen ſpeciebus Intelligibilibus jam formatis, Intellectui Agenti eſt innata vis, puriores ſemper, & à materialitate abſtractiores ex præſuppoſitis formis intelligibilibus efformandi, ſeque adeò in infinitum magis magiſque depurandi ac ſubtilizandi. Ejuſmodi verò intelligibiles ſemper elevatiores ac depuratiores ſpecies etiam naturales *mediatè* ſaltem originantur ex phantaſmatibus, atque adeò ex iſtis habent dependentiam aliquam ſaltem remotam, vi cujus in nullo unquam ſtatu pertingere valeant ad puritatem Angelicarum Intelligibilium ſpecierum. Cui proinde Intellectûs Agentis noſtri ſub remotâ ſaltem à phantaſmatibus dependentiâ ſpecies abſtrahentis conditioni proportionatur tam Fides
Theologica, quàm Donum Intellectûs. Quare 11.
Fides Myſteria ex ſacræ Scripturæ lectione, vel ex auditu percepta ſecundùm intelligibiles in intellectu præexiſtentes naturales ſpecies in uno quandoque ſimpliciores ac rudiores, in alio ſublimiores ac elevatiores ſeu abſtractiores credendo, non tantùm ex parte revelationis Divinæ auditu perceptæ, ſed ex parte etiam terminorum; ſub quibus latent Divina Myſteria, quoad ſpeciem intelligibilem ſemper eſt *remotè* ſaltem dependens ex phantaſmatibus; Quamvis ipſa vis intellectrix per Fidei Habitum infuſum *formaliter* collata ſit ſupernaturalis, ſitque adeò ex ſpeciebus intelligibilibus naturalibus formativa Verbi creati ſupernaturalis Myſteriorum Divinorum in ſpeculo ænigmatico repræſentativi. At verò iſto creato ænigmatico, ſupernaturali tamen per actum fidei formato Verbo ſupervenit Donum Intellectûs, qui in vi Intellectûs Agentis ſublimiorem ac ſubtiliorem intelligibilem ſpeciem ab-
ſtrahere poteſt. Quòd ſi etiam Divinum My- 12.
ſterium Fide Theologicâ creditum affectuoſâ voluntatis appretiatione per Charitatis præſertim Theologicæ amorem ſit prægustatum, poteſt Donum Intellectûs ex hoc quoque amoris actu ceu quaſi Experimentali Divini Myſterij attactu intentionali abſtrahere intelligibilem ſpeciem. Unde tandem fit, quòd tum actus Intellectûs propter ſubtiliorem ſpeciem Intelligibilem, tum actus voluntatis Myſteriorum Divinorum proſecutivi propter abſtractiorem Myſterij manifeſtativam, & voluntati applicativam lucem ſemper depu-
ratiores procedant. Quia proinde Intellectûs 13.
Donum poteſt ex his denuò abſtrahere ſpeciem Intelligibilem, ſequitur, poſſe vi talis abſtractionis ſemper in infinitum magis creſcere puritatem tam intellectionis, quam affectionis circa Myſteria Divina verſantis, ut adeò intelligibiles per Donum Intellectûs formatæ ſupernaturales ſpecies præſertim elevatiores, non niſi *remotè* pendere poſſint ex phantaſmatibus. Quare Intelle-

ctûs noſtri Donis ſupernaturalibus inſtructi ex phantaſmatibus dependentia in hac vitâ mortali partim eſt *concomitans*, quatenus non niſi extaſi in tantum ligari poteſt phantaſia, quin ſuis phantaſmatibus impediat & diſtrahat Intellectum in Divinorum contemplatione; partim eſt quidem *cauſalis*, ſed plerumque *remota*, quatenus omnis etiam ſupernaturalis per Donum Intellectûs formata intelligibilis ſpecies, extra caſum extraordinariæ ſpecierum Intelligibilium infuſionis Divinæ *originaliter* reduci debet in aliquod phantaſma. Conſtat igitur, Donum Intellectûs perficiendo Intellectum Agentem, huic communicare vim ſpecierum Intelligibilium ſupernaturalium ex actibus tum Intellectûs, tum Voluntatis ſupernaturalibus abſtractivam & formativam.

Conclusio II.

AD Donum Intellectûs quà Intellectum Poſſibilem perficiens ſpectat unà cum Intelligibilibus ex Fidei & Charitatis Theologicæ præſertim actu abſtractis ſpeciebus producere ac formare Verbum Intelligibile Divinorum Myſteriorum ſub viâ Eminentialis præcipuè negationis expreſſivum.

14. Probatur. Nam virtus Intellectûs Poſſibilis eatenus proportionatur virtuti Intellectûs Agentis, ut, in quà lineâ iſte format virtualem, ille exprimat Formalem objecti intelligibilitatem. Quas proinde ſpecies intelligibiles ex ſupernaturalibus Divinorum Myſteriorum aliquod quaſi experimentum capientibus actibus unà cum intellectu Agente abſtrahit, iiſdem unà cum intellectu poſſibili utitur ad exprimendas Intelligibiles Divinorum Myſteriorum formationes. At licèt Divinitatis Myſteria ſint perfectiones poſitivæ, convenientiùs tamen exprimuntur per viam præcellentis negationis. Probatur iſtud aſ-
15. ſumptum. Duplex enim eſt via aſcendendi ad Divinarum perfectionum contemplationem; altera per negationem; altera per affirmationem. At de priori Divinas perfectiones cognoſcendi viâ, ſcilicet per remotionem imperfectionum, quibus immerſa eſt omnis creata perfectio, ſanctus Damaſcenus *lib. 1. de Fide cap. 4. circa init.* ait: *De Deo, quid eſt ſecundùm ſubſtantiam, dicere impoſſibile; convenientiuſque de Deo longè eſt, per omnem ablationem facere ſermonem; nam nihil eorum, quæ ſunt, eſt, non ut non Ens, ſed ut omnia entia ſupereminens, & ſuper ipſum Eſſe Ens.* Unde fit, quòd in iis etiam prædicatis, quæ nominetenus ſunt affirmativa, involvatur aliquid *præcellentis negationis. ex cit. cap. 4.* Damaſceni. Sic enim cognoſcendo Ens à ſe, apprehendimus ſub negatione omnimodæ potentialitatis. Sic Divinus Dionyſius, aliique Patres Deum vocando ſuperſubſtantiam, ſuperſapientiam, ſuperinfinitam virtutem, contendunt, inſinuare illam præcellentem negationem imperfectionis formis creatis immerſæ. In quo adeò ſenſu D. Dionyſius *cap. 1. de Divin. Nomin.* dixit: *Deum eſſe omnia, quæ ſunt, & nihil eſſe eorum, quæ ſunt.* Unde fit, nullum Dei nomen eſſe vel purè affirmativum, vel purè negativum, cùm & negationes Deo attributæ ſignificent aliquid Divinæ Excellentiæ; & affirmationes de Deo ſignificent perfectiones Dei quà depuratas ab imperfectionibus, ut proinde idem Dionyſius *cap. 7. de Divin. Nomin.* dixerit: *Deum à nobis cognoſci & ſcientiâ & ignoratione.* Hæc proinde præcellentis negationis, ſeu ignorationis via in Myſteriis Fide Divinâ creditis eatenus invenitur per depurationem ſupernaturalium ex Fidei & Charitatis præſertim actibus abſtractarum ſpecierum, ut hiſce mediantibus obtineamus contemplationem in ſimplici Divinorum Myſteriorum non quidem Intuitivo, ſed Abſtractivo contuitu, ut ſic Spectante ad Donum Intellectûs.

Conclusio. III.

DOnum Intellectûs differt à Dono Sapientiæ, quòd iſtud in Divinorum Myſteriorum contemplatione procedat modo Analytico & Reſolutorio; illud verò *Inchoativè* importet intelligibilem terminorum, ſub quibus Divina Myſteria latent, ex Fidei & Charitatis præcipuè Theologicis actibus abſtractam formationem ſupernaturalem. *Conſummativè* autem dicat ſimplicem, mediantibus illis ſpeciebus intelligibilibus expreſſum, Divinorum Myſteriorum contuitum.

Probatur. Nam Habitus ſupernaturales infuſi animæ per Gratiam ſanctificantem elevatæ inexiſtentes, ex Primo ſuæ infuſionis ſtatu eatenus ſunt in potentiâ, ut ſe habeant inſtar tabulæ raſæ, cui inſcribi debeant formationes ac ſpecies intelligibiles, ſub quibus poſſint prodire in actum. Hoc autem ſpecies intelligibiles ſupernaturales, ſub quibus Myſteria Divina obſcurè credita apprehenduntur, & ſic tanquam Termini ad limpidum Donorum Spiritûs Sancti Iudicium diſponantur, ex actibus Fidei & Charitatis abſtrahendi munus eſt proprium Doni intellectûs. At verò iſtâ ſimplici circa Myſteria Divina quaſi Terminos, apprehenſione ſuppoſitâ, connaturale eſt, quòd Intellectus procedat ad Judicium. Iſtud verò eſt duplex; alterum *immediatum*, ac *ſimplex* ut ſic ſpectans ad Habitum Principiorum, alterum *mediatum* ac *reſolutorium* pertinens ad lumen Sapientiæ ſeu ſcientiæ. At licèt Myſteria Divina, quatenus ſubſtant Fidei, non ſint evidentia, attamen ex ſpecierum ab actu Fidei per Primam Veritatem mediante ſupernaturali voluntatis imperio applicatam, & ut ſic Intellectûs captivantem certificato abſtractarum intelligibilitate oritur in intellectu novum lumen ſupernaturale. Hoc autem importat quandam Myſteriorum Divinorum evidentiam non quidem intuitivam, ut ſunt in ſeipſis, penetrativam, ſed abſtractivam, ſub illâ ex Fidei in ſe per Primam Veritatem certificato actu abſtractâ intelligibilitate penetrativam. Eo ipſo autem, quòd iſta Myſteriorum Divinorum penetratio ſit ex evidentiâ terminorum, ſub illâ intelligibili ex Fidei actu abſtractâ luce illuſtratorum, oportet, ſe habere tanquam *ſimplex* & *immediatum* circa Myſteria Divina Judicium. Atqui judicium ex terminorum evidentiâ *immediatè* excitatum eſt proprium Habitûs Principiorum. Sicuti autem in naturalibus habitus Principiorum vocatur Intellectus, ſic in ſupernaturalibus vis Myſteriorum Fide credito-

16. 17. 18.

rum

tum sub quadam per intelligibilem ex Fidei actibus abstractam speciem formatâ luce *evidenter abstractivè* penetrativa vocatur Donum Intellectûs. Quemadmodùm igitur intellectualis ex principijs per se notis, & per Habitum Principiorum cognitis modo Analytico, seu resolutorio procedens virtus appellatur scientia, vel sapientia, sic Donum Sapientiæ in suo processu habet quandam ex Dono Intellectûs ceu Habitu Principiorum dependentiam, differtque ab isto; quòd modo analytico & resolutorio procedat, cùm econtra ad Donum Intellectûs spectet simplex abstractivæ Divinorum Mysteriorum contemplationis contuitus. De quo contemplationis gradu Sanctus Thomas *2. 2. q. 180. a. 6. ad 2.* docet; quòd contemplatio Divinorum possit eò usque penetrare, ut homo à Spiritu Sancto elevatus, & à sensibus abstractus, remoto etiam rationis discursu, rapiatur ad simplicem Intelligibilis Divinæ Veritatis contemplationem.

CONCLUSIO IV.

Donum Intellectûs à Fide differt in sequentibus.

19. Nam 1. licèt hic uterque habitus infusus versetur circa Prima gratuitæ cognitionis Principia, inter ipsorum tamen actus id discriminis est, quòd Fides Mysterijs Divinis sub extrinseco Primæ Veritatis revelantis Testimonio assentiatur. At illud testimonium ex hoc dicitur Extrinsecum, quòd sub ratione Motivi non sit *intelligibiliter* præsens, nec adeò *sub Esse Intelligibili* intrinsecum sit Intellectui, sed applicari debeat mediante supernaturali voluntatis imperio intellectum in Primæ Veritatis obsequium & reverentiam captivante.
20. Secus verò est in actu Doni Intellectûs: siquidem iste procedat ab intelligibili Mysteriorum Divinorum ex Fidei seu Charitatis actibus abstractâ formatione, habente ut sic vim intrinsecam Intellectûs ex se ipsâ determinativam ad assensum. Unde per Donum Intellectûs revelat Dominus condensa, cùm econtra per Fidem veniat de monte umbroso, & condenso, nosque Intellectûs captivati oculo caligante, per fidem ambulemus in viâ deserti inviâ, & inaquosâ, adeò ut quasi siccetur anima, & faucibus adhæreat lingua, dum nudâ & siccâ fide insistimus orationi, credentes tantùm, & non penetrantes ad interiora Mysteriorum Dei. Ubi verò Spiritus Sanctus incipit intus flare spiritu suo, ut fluant aquæ, per Donum Intellectûs aperiendo nobis sensum, & reserando interiora Austri, calidiorem scilicet Charitatis suæ auram immittendo, tunc convertit captivitatem Intellectûs nostri, sicut torrens in Austro, fugantur que nubila, & surgente Aquilone venit Auster, & perflat aromata Mysteriorum Fidei, ut mittant odorem suum, sicut odorem agri pleni; tunc fiunt etiam oculi nostri sicut columbæ, & non jam in terrâ arente & inaquosâ residemus, sed juxta fluenta plenissima: neque tunc exsiccatur anima, sed sicut adipe & pinguedine repletur inundante lumine, ejusque oratio dirigitur sicut incensum in conspectu Domini.

21. Hinc 2. dicendum est; Idem quidem esse objectum Materiale Fidei ac Doni Intellectûs, adeò ut istud se extendat ad omnes tam litterales, quàm figuratos sacræ scripturæ sensus. Nihilominùs objecta Formalia esse diversa. Ratio est. Quia objectum Formale Fidei est Prima Veritas revelans non eâ quidem ratione, ut per intrinsecam Intelligibilitatis suæ vim sit motiva assensûs Fidei, sed quatenus per supernaturale voluntatis intellectum captivantis imperium applicata est movens ad veritatis revelatæ assensum. At Donum Intellectûs ubi formavit speciem intelligibilem ex actibus Fidei & Charitatis præcipuè abstractam, Mysteria Fidei repræsentat sub intelligibilitate Intellectui impressâ, habente vim ab intrinseco determinativam ad assensum talis Mysterij. Cui proinde assensui respondet lumen quoddam objectivum assensûs illius motivum & specificativum. At istud lumen objectivum non tantùm est distinctum à Primâ Veritate obscurè revelante, sed istam insuper obscuritatem abstergit, ac superinduit quandam evidentiam Mysteriorum non quidem talem, sub quâ Mysteria sint in seipsis *immediatè* manifestata, sed sub alienâ ex actibus Fidei & Charitatis abstractâ intelligibilitate. Eo ipso autem, 22.
quòd ista Mysteriorum Fidei intelligibilitas *Originaliter* saltem reduci debeat in actum Fidei, ejusque adeò speculum ænigmaticum, nequit in intellectu talem parere evidentiam rei creditæ, qualis propria est scientiarum naturalium, ut sic resolubilium in Prima Principia ex seipsis ab intrinseco nota & evidentia. Unde illa ex Intellectûs Dono illucens Mysteriorum Divinorum evidentia sub formali evidentiæ ratione inferior est evidentiâ scientiarum naturalium, sub ratione tamen certitudinis utpote radicatæ in actu Fidei, atque adeò Primâ Veritate, superior est omni scientiarum naturalium certitudine. Quia verò hæc ipsa actuum Doni Intellectûs certitudo ex objecto sui specificativo reducitur in creatam ex Fidei & Charitatis actibus abstractam Intelligibilitatem, nequit Donum Intellectûs in perfectione ac dignitate æquiparari cum Fide, utpote Essentialiter specificatâ ex Primâ Veritate tanquàm objecto suo formali.

Hinc 3. licèt Dona Spiritûs Sancti respectu 23.
virtutum Moralium circa media versantium ex suâ ratione formali objectivâ habeant superioritatem, siquidem altiori modo moveant ex motivis & objectis, in quibus virtutes ipsæ deficiunt. Nihilominùs virtutibus Theologicis correspondent non ut superiora, sed ut deservientia illis. Cujus ratio per Ioannem à Sancto Thomâ *præs. art. 2. n. 24.* deducta est. Quia virtutes Theologicæ conjungunt nos Ultimo Fini, Dona verò deserviunt ad movendum nos, & ducendum in Ultimum Finem, juxta illud *Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et *Cant. 3. Veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* At fluere ad motum pertinet, non ad quietem, & conjunctionem in termino seu Fine.

4. Fidei ac Doni Intellectûs distinctio à po- 24.
steriori colligitur etiam ex eo, quòd istud, non illa cum lumine gloriæ maneat in Patriâ, ex S. Thomâ *1. 2. q. 68. a. 6.* Cujus ratio per Ioannem à sancto Thomâ *citatum a. 3. à n. 5.* deducta est. Tum quia Dona Spiritûs Sancti perficiunt mentem ad sequendam motionem Spiritûs Sancti; cujusmodi motio præsertim locum habebit in Patriâ. Tum quia Donum Intellectûs de suâ ratione formali ordinatur ad intelligendum clarè

perfectè, vel imperfectè, non ad credendum, & in ſpeculo ænigmatico obſcurè cognoſcendum. Eſt enim illius Doni actus inſinuatus ex illo *Pſal 33. Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* At ſuper guſtum & experientiam fundatur evidentia Myſtica, affectiva & experimentalis. Etſi verò Donum Intellectûs in hac vitâ non perveniat ad perfectam viſionem, id tamen non tam eſt ex defectu propriæ rationis formalis, quàm ex defectu materiæ non ita diſpoſitæ, ut videatur in ſe, ſiquidem ambulemus per Fidem, & non per ſpeciem. Quare Donum Intellectûs ex illuſtratione Spiritûs Sancti movendo mentem ad hoc, ut penetret rectè, & intelligat ſupernaturalia Myſteria, de ſe & ex ſuo motivo Formali exigit evidentiam. Quam proinde facit juxta capacitatem materiæ propoſitæ, ita ut in viâ, dum ambulamus per Fidem, faciat evidentiam extrinſecam & negativam, ſive abſtractivam ex alienâ ab actibus Fidei & Charitatis abſtractâ Intelligibilitate relucentem; in Patriâ autem faciat evidentiam poſitivam ſuper Intelligibilitate ex luminis Gloriæ & Viſionis Beatificæ Divinitatem ut eſt in ſe attingentis, ſplendoribus abſtractâ fundatam.

26. Neque 5. dicere licet, iſtam evidentiæ in viâ & patriâ diverſitatem arguere in Dono Intellectûs Fidei ac lumini Gloriæ reſpondente differentiam ſpecificam. Etenim Ioanne à Sancto Thomâ *n. 11.* advertente, Donum Intellectûs tam in viâ, quàm in patriâ elicit ſuos actus ſub motivo Intelligendi res ſpirituales modo affectivo, & experimentali, prout ſcilicet vel per immediatum intuitum *Quid ſint*, vel per Eminentialis negationis ſeu abſtractionis contuitum *Quid non ſint*, ipſas experimur ex affectu, quo eis unimur. At iſta experientia affectiva & interna non importat diſtinctam rationem Formalem & Motivam, quando eſt in viâ, & in patriâ, licèt ibi abundantiſſimam experientiam & ſuavitatem ſuam exprimat

27. præ illâ, quam habet in viâ. Unde totum diſcrimen evidentiæ per Donum Intellectûs in viâ & patriâ expreſſæ eſt penes materiam, ſive penes Viſionis ac Fidei actum, ex quo ceu proximâ materiâ fit Intelligibilitatis experimentalis abſtractio: cùm enim intellectus Fide illuſtratus non ſit in plenâ luce, per viam Eminentialis negationis ſeu abſtractionis experitur potiùs, quid non ſint Divina Myſteria, & quomodo diſcernenda ſint ſpiritualia à corporalibus, ſeu phantaſmatibus ac imaginarijs ſimilitudinibus: in patriâ autem, cùm ſit in ſplendoribus Sanctorum Divinitatis *ut eſt in ſe* repræſentantibus, Intellectus ponit affectum in rebus ſpiritualibus, ſicut in ſe ſunt, habetque adeò experientiam affectivam de rebus in ſe viſis, & amore prægustatis, ſicque apud ipſum vitæ fontem potatur torrente voluptatis. Cùm igitur non ſit inconveniens, quòd idem lumen ac motivum, ſeu virtus diverſam habeat evidentiam ſub diverſis ſtatibus & modis juxta materiæ applicationem: ſic enim lux lunæ, licèt reſpectu luminis ſolaris videatur eſſe obſcuritas, eandem cum luce ſolis ſpecie viſionem terminat, conſequens eſt; eundem numero habitum Doni Intellectûs in viâ & patriâ eſſe, eò quòd ſub utrâque viæ & patriæ ſtatibus vi Doni Intellectûs reſplendeſcente luce fiat evidentia affectiva & experimentalis ex unione Divinâ.

Reſponſio ad oppoſita fundamenta.

AD *n. 2.* oppoſitum Reſpondetur. Duo eſſe 28.
munera Doni Intellectûs; alterum Intellectûs quà Agentis perfectivum, & à Sancto Thomâ *in 1. 2. q. 68. a. 4.* inſinuatum. Hoc autem eſſe in abſtrahendis Myſteriorum ex Fidei & Charitatis prægustato actu intelligibilibus ſpeciebus, & in terminis Myſteriorum ejuſmodi intelligibiliter expreſſivis ſimpliciter apprehendendis, & ut ſic præparandis ad Judicium. Alterum Intellectûs quà Poſſibilis perfectivum, & à Doctore Angelico *in 2. 2. q. 8. a. 6.* inſinuatum munus eſſe in penetrandis Divinis Myſterijs, per ſimplex ſcilicet Judicium ex Intelligibilitatis à Fidei & Charitatis actibus abſtractæ evidentiâ excitatum. Quod proinde Judicium differre ab actu Doni Sapientiæ, utpote *modo reſolutorio & analytico*, non autem ſub *ſimplici* Dono Intellectûs tanquam habitui principiorum conveniente *judicio* procedentis.

Ad *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. In judicio ad 29.
Donum Intellectûs pertinente eſſe claritatem non quidem intuitivam Divinorum Myſteriorum, ut ſunt in ſe, repræſentativam, ſed abſtractivam ex ænigmatico Fidei ſpeculo ſaltem *Originaliter* in viâ, & ex viſionis Beatificæ ſplendore in patriâ abſtractam. Unde tam ab actu Fidei, quàm viſione Beatificâ *ſpecificè* differre Judicium Doni Intellectûs proprium.

Ad *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Aliam 30.
eſſe credibilitatis evidentiam purè ab extrinſeco ex argumentis antecedenter ad Fidei infuſionem Myſterij revelati credibilitatem oſtendentibus; aliam verò eſſe ab intrinſeco, quatenus ab experimentali Divinorum Myſteriorum, mediante Fidei & Charitatis actibus, prægustatione abſtrahitur quædam Intelligibilitatis formatio, per quam Myſteria Divina in animâ per gratiam ſanctificantem inſtructâ recipiant quandam evidentiam, non quidem intuitivam & poſitivam in ſeipſis, ſed abſtractivam, & potiùs negativam. Quare iſtam credibilitatis ab intrinſeco evidentiam eſſe propriam Doni Intellectûs, illam verò credibilitatis ab Extrinſeco evidentiam eſſe Fidei & Charitatis, & conſequenter Donis Spiritûs Sancti præambulam.

❀❀❀❀❀❀❀(❀)❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA IV.

In quo conſiſtat Donum Sapientiæ, & Scientiæ; & qualiter tum inter ſe, tum a Fide differant?

SUarez *lib. 2. de Grat. cap. 18. n. 16.* arbitra- 1.
tur; Donum Sapientiæ & Fidem convenire in ratione aſſenſûs & judicij, ſed differre, quatenus Fidei ſit, *ſimpliciter* judicare id, quod revelatum eſt, eſſe hoc ipſo verum, quòd revelatum ſit: econtra ſapientiæ ſit, judicare non de ipſiſmet rebus revelatis, an veræ, vel falſæ ſint; ſed de rebus Divinis, prout habent convenientiam, ut amentur & credantur.

E contrario Ioannes à ſancto Thomâ *cit. diſp. 18. a. 4. a. 4.* ex Divo Thoma *2. 2. q. 45. & in 3. diſt 36. q. 1. a. 1.* affirmat; Donum Sapientiæ judican-

judicare de ipsismet rebus revelatis, de quibus est Fides. Fundamentum est. Nam formalis ratio, quâ Sapientiæ Donum procedit & judicat, est ex Causâ supremâ & altissimâ, quæ est Deus, quà cognitus ex quâdam experimentali & affectivâ unione ac gustu interiore. At Deus sic cognitus est ratio cognoscendi res ipsas Divinas & Mysteria, nec non creatas, quarum Deus causa est, quasque Fides docet, atque mediante intelligibili per ipsam expressâ repræsentatione excitat amorem seu affectum charitatis, vi cujus anima non tantùm uniatur Dèo, sed etiam diligat creaturas propter Deum. Consequens igitur est, Donum Sapientiæ attingere ipsasmet etiam res revelatas, & Fide Divinâ creditas.

3. Quare author citatus *n. 18.* specificam Doni sapientiæ à Fide differentiam probat ex sequenti fundamento. Etenim Fides habet simplicem assensum per modum credendi, assentiens authoritati & testimonio Dicentis, non inquirendo, neque intelligendo rem; quam credit, per causas, nec adeò *resolutoriè* judicando, seu *analyticè* procedendo. At eo ipso, quòd sapientia habeat rationem supremæ scientiæ, procedit per causas, easque altissimas. Nequit autem sapientiæ Donum in hac vitâ istarum causarum cognitionem habere per quidditatem ipsarum, sed per experimentalem & affectivam unionem. Unde Christus *Ioann. 7. dicit: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ, utrùm ex Deo sit.* Et *Ecclesiastici 1. Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.* Quare Donum sapientiæ, cùm dilectionem Dei supponat, & in eâ tanquàm Mysticâ, atque affectivâ Divinorum scientiâ fundetur, consequenter supponit etiam Fidem, quæ in viâ antecedit & regulat dilectionem. Patet igitur, Fidem & Donum sapientiæ distingui non quidem ex objectis materialibus, sed horum diversis rationibus formalibus.

4. Idem author *n. 24.* Donum sapientiæ distinguit à Dono scientiæ, quòd istud *resolutoriè* quidem, per causas tamen creatas & inferiores, non per altissimas procedat. Fundamentum est. Nam quia Fides *primariò* cognoscit Deum, & *secundariò* multa creata Divinitùs revelata, potest intra lineam supernaturalitatis unum esse ratio & causa alterius. Ex fide autem nascitur amor, & unio ad Deum *primariò ac per se, secundariò* autem amor ad proximum, & ad res creatas, quatenus aliquid sunt Dei. Unde fit, quòd homo unitus Deo per amorem fiat bene mobilis à Spiritu sancto tum ad intelligendum & judicandum de Divinis, tum ad judicandum de creatis. At verò de Divinis judicat secundùm affectum & unionem, & quasi experimentum ad ipsa intra se, de creatis autem judicat per experimentum de ipsis habitum, vel in ipso affectu ordinante charitatem & amorem creaturarum ad Deum, vel in ipso actu Fidei & virtutum, vel in ipso modo tendendi ad Deum per viam remotionis creaturarum. Quare in unione Gratiæ & Charitatis fundatur duplex via procedendi ad intelligendum & judicandum de Divinis, tum per Causam Primam, cui *primò & per se* charitas unitur, tum per causas humanas & creatas, quibus unitur *secundariò*, & per quas inducitur ad Primam quoque Causam intelligendam. At sub priori viâ fundatur scientia humana; quæ est sapientia: sub viâ autem posteriore fundatur scientia inferior & ordinaria, quæ sortitur simpliciter nomen scientiæ.

CONCLUSIO I.

DOni Sapientiæ ratio formalis consistit in vi quâdam ex intelligibilibus Fidei & Charitatis actu per Donum Intellectûs abstractis, & in viâ affectivâ seu unitivâ per modum Primorum Principiorum repræsentatis Divinarum perfectionum seu altissimarum Causarum expressivis formationibus discursivâ & illativâ.

Probatur ex illo sacro textu *Ecclesiastici: Dilectio Dei honorabilis sapientia. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.* Etenim Donum sapientiæ dicitur dilectio Dei honorabilis non tam in sensu Formali, quàm Causali, quatenus scilicet ex Dilectione Dei per Donum Intellectûs abstrahitur species intelligibilis, sub quâ Divinitas per actum Dilectionis prægustata quasi experimentaliter est repræsentata, & cognita, juxta illud *Psal. Gustate, & videte.* Unde ipsamet increata sapientia vi talis intelligibilis ex Dei dilectione abstractæ repræsentationis dicitur apparere in visu; *ut eruitur ex præallegato sacro textu.* At verò istâ sapientiæ Increatæ ceu altissimæ in Finalizando, Ideando, & Efficiendo Causæ quasi experimentali per charitatis affectum unitivum excitatâ visione suppositâ, emanat duplex effectus. Quorum alter ipsammet Dei ex illâ visione excitatam dilectionem importans spectat ad causalitatem finalem, insinuaturque hisce verbis: *Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione.* His enim verbis innuitur, ubi ex dilectione Dei per Fidem excitatâ vi Doni Intellectûs abstracta est quædam Divinitatis sub aliquâ quasi experimentali seu affectivâ evidentiâ *intelligibiliter* expressiva formatio, ardentiùs excitari flammam dilectionis, vi cujus Increata sapientia & Divinitas diligatur non jam sub caliginosâ Fidei lucernâ, sed sub visionis non quidem Intuitivæ, sed abstractivæ luce, ac facie quodammodò revelatâ, de quâ accipi potest illud *2. Corinth. 3. Nos revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* Hæc proinde de claritate per Donum 6.
scilicet Intellectûs efformatâ ad claritatem transformatio importat alterum in præallegato *Ecclesiastici 4.* textu sacro insinuatum effectum hisce verbis: *Quibus autem apparuerit in visu, eam* sapientiam scilicet Increatam ceu causam altissimam *diligunt in agnitione magnalium suorum.* At verò istis verbis evincitur, quòd ex increatâ Dei sapientiâ ceu Primâ in Efficiendo ac Ideando causâ agnoscantur magnalia Dei, ut in horum cognitione voluntas denuò erigatur ac excitetur ad ferventiorem Divinæ dilectionis flammam. Illa verò magnalium Dei agnitio procedit ex eo; quòd Divina Increata sapientia ceu magnalium suorum, sive Mysteriorum ad Intra Essentialium causa in cognoscendo, nec non Mysteriorum ad intra Notionalium principium in producendo; ac denique magnalium seu Mysteriorum ad extra producibilium causa in Exemplando & Effi-

ciendo Prima & Altiſſima taliter apparuerit in viſu, ut vi hujus apparitionis gloriam Domini revelatâ jam facie non quidem *intuitivè*, ſed *abſtractivè* per modum Primi Principij ſinius ſpeculantes. Iſta verò apparitio in viſu eſt claritas per Donum Intellectûs excitata & ſuperiùs expoſita. Ex iſtâ proinde claritate transformamur in claritatem, quæ eſt agnitio magnalium Dei per Increatæ ſapientiæ ceu Primæ & Altiſſimæ tum in Eſſendo, tum in Cognoſcendo Cauſæ intelligibilem lucem deducta. Iſta verò claritas agnitionis magnalium Dei per Primam Altiſſimam Cauſam demonſtrativa eſt ſapientia Myſtica, ut ſic ſpectans ad Donum ſapientiæ. Patet proinde, quòd ſapientiæ Donum importet vim Diſcurſivam ex Divinâ Increatâ ſapientiâ ſub intelligibili ſpecierum ex actibus Fidei & Charitatis abſtractarum formatione, demonſtrativam magnalium ſive Myſteriorum Dei, ceu quorundam in Eſſendo, vel Cognoſcendo effectuum, ſive principiatorum.

Conclusio II.

Scientiæ Doni ratio formalis conſiſtit in vi quâdam diſcurſivâ ex Intelligibilibus tum à Charitate non quà formali cum Deo unione, ſed quà affectuoſâ Divinæ creatæ participationis in Deum referibilis proſecutione; tum à Fide non quà Myſterij Increati, ſed veritatis creatæ Divinitùs revelatæ expreſſivâ; tum à virtutum moralium infuſarum actu aliquo per Donum Intellectûs abſtractis ſpeciebus.

7. Probatur. Nam circa Donum ſcientiæ duo ſunt apprimè conſideranda: alterum eſt quaſi genericum, & commune cum Dono ſapientiæ, quatenus utraque habet rationem ſcientiæ Sanctorum procedentis ex Dono Intellectûs ſuper Charitatem & virtutes morales infuſas eatenus fundato, quatenus ex harum actibus eſt abſtrahens claritatem *intelligibiliter* repræſentativam Myſteriorum Fidei, Charitatis, ac virtutum Moralium infuſarum actibus quaſi experimentaliter perceptorum. Alterum proinde eſt ſpecificum Doni ſcientiæ à Dono ſapientiæ diſtinctivum. Eſt autem inter ſcientiam communiter dictam & ſapientiam differentia, quòd iſta ex Cauſâ Altiſſimâ, illa verò ex cauſis inferioribus modo analytico ac reſolutorio procedat. Quare Donum Intellectûs intelligibilem ex affectivâ ad Deum ceu Altiſſimam Cauſam unione, nec non ex ænigmatico fidei primorum Divinitatis Myſteriorum repræſentativo ſpeculo abſtrahendo & formando ſpeciem, præparat principium Dono Sapientiæ deſerviens. Econtra verò intelligibilem ex virtutum Moralium infuſarum actibus honeſtatem quandam ex Divinitate participatam attingentibus, nec non ex Fidei ſpeculo quà myſteriorum creatorum repræſentativo abſtrahendo & formando ſpeciem, adaptat principium Dono ſcientiæ deſerviens.
8. Et hinc patet etiam diſcrimen inter Theologiam Scholaſticam & Myſticam, hæc enim in actibus Donorum ſapientiæ & ſcientiæ conſiſtit, illa verò eatenus procedit ex Myſterijs Fide Divinâ cognitis, quatenus ex horum inter ſe collatione reſultat lux quædam objectiva principiorum ſub obſcuro Fidei lumine collativa, & ut ſic concluſionis Theologicæ illativa.

❋❋❋❋❋❋:❋❋:❋❋:❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA V.

In quo conſiſtat Donum Conſilij, & qualiter diſtinguatur à virtute Prudentia?

Ioannes à Sancto Thomâ *cit. a. 4. n. 27.* docet; Donum quidem ſapientiæ eſſe etiam Directivum agendorum, in quantum agenda regulantur per regulas æternas, quas Divo Thomâ *2. 2. q. 45. a. 5.* atteſtante, contemplatur ſapientia. Nihilominùs præter hanc opus eſſe Dono Conſilij reſpondente Prudentiæ, quâ diriguntur virtutes morales. Fundamentum eſt. Quia prudentia in hoc diſtinguitur à ſapientiâ, quòd iſta non ſit *immediatè* regulativa actionum, ſed contemplativa, & cognoſcitiva ſuperiorum cauſarum, ex quibus dependet illarum regularum, & actionum cognitio: illa verò juxta regulas humanas dirigat, quæ in particulari hic & nunc agenda ſunt. Ergo Donum quoque Conſilij diſtinguitur à Dono ſapientiæ, quòd per iſtud non dirigamur *immediatè* in agendis, ſed contemplemur Divina non ſolùm in ſe, ſed ut eminentior, non tamen immediata ſunt regula agendorum: per illud verò dirigamur *immediate* in agendis quaſi à Spiritu Sancto acti, ut bene & rectè eligamus, ac in rebus valde dubijs medium conveniens accipiamus, ſicuti dicitur *1. Machab. 4.* *Quòd incidit illis conſilium bonum.* 1.

Gregorius Martinez *1. 2. q. 68. a. 4. dub. 2.* exiſtimat, Donum Conſilij differre à prudentiæ infuſæ virtute, quòd iſta diſcurſu & inquiſitione nitatur; illud verò procedat ſine diſcurſu & inquiſitione rationis ex ſolâ illuſtratione & inſtinctu Spiritûs Sancti. Fundamentum eſt Quia in prudentiâ, quæ eſt virtus, reſpiciuntur media proportionem cum fine ſecundùm rei naturam habentia. At in diſcernendâ iſtâ proportione opus eſt diſcuſſione ac diſcurſu, tum propter infirmitatem cognitionis noſtræ in diſcernendis naturis rerum, tum propter contingentiam applicationis earum ad finem. Econtra Donum Conſilij non reſpicit medium proportionatum ex naturâ rei, ſed ex Divinâ potentiâ. Unde ceſſat collatio, & comparatio, atque adeò diſcurſus ad determinandam ejus proportionem ad Finem. 2.

Ioannes a Sancto Thomâ *citatus a. 5. n. 6.* ait; nullo niti ſolido fundamento, quòd Conſilij Donum ſolummodò detur in nobis ſine diſcurſu & inquiſitione per ſimplicem illuſtrationem rationis. Fundamentum eſt. Tum quia non plus attribuendum eſt Dono Conſilij in practicis, quam Donis Sapientiæ & Scientiæ in ſpeculativis. Hæc verò procedunt per diſcurſum & collationem, Ergo & Donum Conſilij poteſt niti diſcurſu, maximè cùm iſte operandi modus homini quà rationali ſit connaturalis, quem Dona Spiritûs Sancti non ſolvunt, ſed elevant, depurant, & adimplent, ut hanc ob rationem Divus Thomas 3.

3. p.

3. p. q. 11. a. 5. scientiam Christi infusam dixerit etiam Discursivam. Tum quia licèt Consilij Donum quandoque procedat sine discursu per simplicem instinctum ex alto: hoc tamen etiam invenitur in prudentiâ infusâ, imò & naturali acquisitâ, siquidem in naturalibus etiam incidat aliquando fortuitò aliqua cogitatio bene directiva actionum.

4. Quare author præallegatus n. 7. Donum Consilij, vi cujus simus prudentes eloquij Mystici, ait, ex eo differre à Prudentiæ virtute infusâ, quòd ea, quæ agenda sunt, dirigat non ex rationibus humanis præcisè, sed ex Divinis non qualitercunque cognitis à Fide, aut Prophetiâ, qualiter potest esse etiam in peccatore, sed ex affectu & experientiâ Divinorum internâ, ex quâ homo interior docetur & inspiratur de omnibus ad salutem necessarijs etiam cum discursu & inquisitione, aut consultatione aliorum. Fundamentum est. Si enim pars Intellectûs speculativa sit affectiva & Mystica secundùm cognitionem & Judicium fundatum in experimentali & interno Gustu Dei, & in quâdam connaturalitate & invisceratione ad Divina, consequens est, partem etiam practicam posse perfici mysticè & affectivè ex eâdem unione & connaturalitate ad Deum. Hinc namque pars practica redditur habilior ac perfectior ad judicandum, quatenus de medijs consiliatur non secundùm rationes & modum humanum etiam ordinatum ad Finem supernaturalem, sed secundùm sapientiæ & scientiæ Donum, & confidentiam Divinam & fiduciam in Deo, qui potens est omnia media disponere, & omnes difficultates superare. Unde Consilij Donum maximè innititur spei Divinæ; siquidem disponat de multis medijs ea, quæ solùm ex Divino auxilio, & omnipotentiâ Dei possunt eligi, cui omnipotentiæ maximè innititur spes. Etsi verò spes informis sit etiam in peccatore, minùs tamen efficax est, atque sit in homine justo, qui experientiam habet de voluntate & potentiâ Dei ad auxiliandum, ejusque benignitatem in se experitur. Vi cujus adeò vivacis spei strenuè movetur ad vincendum etiam cum suavitate quæcunque ardua valde licèt extraordinaria; sicuti sunt sustinentia mortis, dolorum & afflictionum, contemptus divitiarum, nuda Christi sequela, aliaque similia Donum Fortitudinis, Pietatis & Timoris exigentia opera.

Conclusio.

Donum Consilij ordinariè procedit modo discursivo ad practicam conclusionem inferendam partim ex principio per Donum sapientiæ seu scientiæ firmato, se tenente ex parte Majoris; partim ex principio perIntelligibilem ex spei omnipotentiâ, & gratuito Dei auxilio nitentibus actibus, vi Doni Intellectûs abstractam speciem formato, se tenente ex parte Minoris.

5. Probatur. Nam ad consilium bonum resolutoriè determinandum, oportet duo circa medium consultatum stabilire; alterum est ejus proportio ad finem; alterum verò est proportio ad vires subjecti seu operantis. At verò intra lineam Mysticam, sub quâ omnia Spiritûs Sancti Dona continentur, reducimur ad Finem Ultimum non præcisè quà supernaturalem, hoc enim convenit virtutibus etiam infusis, sed quà mediantibus Fidei & Charitatis actibus affectivè unitum, & quasi connaturalizatum. Est autem Doni Sapientiæ proprium, ex ipsomet Deo seu sapientiâ Increatâ, & æternâ Deo intrinsecâ ratione tanquam Altissimâ Causâ firmare creatæ alicujus participationis proportionem cum Ultimo Fine per affectivam Charitatis unionem animæ sanctè connaturalizato: sicuti Doni scientiæ est, ex creatis ex Divinâ tamen æternâ sapientiâ derivatis per Fidem Theologicam creditis rationibus eruere actionis alicujus humanæ cum Fine Ultimo animæ justæ connaturalizato proportionem. Cùm proinde medij consultati ad finem proportio respectu Judicij resolutoriè consiliativi se habeat per modum principij seu præmissæ Majoris: sequitur, actum Doni Consilij primò reduci ad Donum sapientiæ & scientiæ, tanquàm proximum habitum primorum in Moralibus intra lineam Mysticam operabilibus principiorum, licèt ultimatè resolvatur in Donum Intellectûs, utpote respectu Donorum sapientiæ ac scientiæ se habens per modum Habitûs Principiorum. Quà proinde mo- 6.
diorum ad Finem supernaturalem intra lineam Mysticam reducibilium proportione præsupposità, opus est inquisitione proportionis ad vires subjecti operantis: siquidem frustra & ineptè consilietur de medijs non tantùm simpliciter, sed etiam respectivè in ordine ad subjectum impossibilibus. At eo ipso, quòd media Dono Consilij respondentia sint supra communem humanum operandi modum etiam supernaturalem, oportet, eorum possibilitatem investigare ex omnipotentiâ & auxilio Divino. Quia verò Spei Theologicæ proprium est, niti omnipotentiâ & auxilio Dei, sequitur; Intellectûs Donum ex suâ intelligibiles ab actibus supernaturalibus formationes abstrahendi virtute posse ex spei auxilio & omnipotentiâ Divinâ nitentis actibus in intellectu formare speciem quasi experimentalem, confidentiæ ac fiduciæ in bonis & Sanctis intentionibus erga Deum habendæ repræsentativam. At vi istius repræsentationis medium viâ ordinariâ etiam supernaturali alioquin superius ac impossibile secundùm fiduciam in Dei auxilio collocandam, repræsentatur possibile, viribusque adeò subjecti quà Divinitùs ad juvandis proportionatum. Quæ proinde ex actibus spei per Donum Intellectûs firmata medij viribus ordinarijs etiam supernaturalibus superioris possibilitas se habet per modum principij seu Præmissæ Minoris. Ex quâ proinde Minore, si combinetur cum Majore superiùs expositâ, inferri potest conclusio practica, per quam resolutoriè judicatur, medium ejusmodi sub confidentiali erga Dei omnipotentis Bonitatem firmitate possibile, ac ex sui ad finem supernaturalem Mysticum proportione apprimè proficuum & salubre esse prosequendum. In hujus igitur conclusionis practicæ resolutorio Iudicio intervenit actus Doni Consilij. Unde etiam patet, à Gregorio Martinez n. 2. præallegato malè inferri, quòd, cùm media per Donum Consilij suggesta respectu quidem Finis per naturam suam, respectu autem subjecti operantis per Divinam duntaxat potentiam sub confidentiali erga ipsius gratuitum auxilium firmitate sint

propor-

proportionata, in actu Doni Consilij nullâ opus sit collatione & comparatione discursivâ.

7. Confirmatur ex illo *Ecclesiastici 24. A mari abundavit cogitatio ejus, & Consilium illius ab abysso magnâ. Ergo sapientia effundit flumina.* Nam hisce verbis insinuatur, quòd Consilium seu Donum Consilij instar fluminis sit ex sapientiâ tanquàm abysso magnâ seu mari. Hoc autem Consilium describitur à Prophetâ Regio *Psal. 118.* sic psallente: *Consilium meum Iustificationes tuæ.* At istæ Iustificationes sunt Consilium non tantùm *objectivè* per modum objecti, vel *effectivè* per modum effectûs, sed vel maximè *Causaliter*, quatenus scilicet ex mari Doni Sapientiæ abundat cogitatio, non se habens ad instar nostrarum incertarum cogitationum & providentiarum humanis rationibus innitentium, sed quæ firmata sit ex rationibus Divinæ sapientiæ, ex quâ ad instar fluminum dimanet. Quare Consilium illud *Causaliter* radicatur in justificatione Dei. Hoc autem fit, quatenus ex actibus ab animâ per gratiam sanctificantem seu Iustificantem instructâ elicitis per Donum Intellectûs formantur principia seu intelligibiles formationes, sub quibus media ad effectivam cum Deo unionem ceu actum Iustificationis proprium repræsentantur. Istâ verò mediorum ad propriam Iustificationis viam pertinentium repræsentatione præsuppositâ, supervenit intelligibilis Formatio mediorum ejusmodi licèt Extraordinariorum possibilitatis sub Fiduciali erga Divinæ Omnipotentiæ gratuitum auxilium fundatæ expressiva. Unde tandem fit illatio Consilij super Iustificationibus Divinis, & filiali erga Deum fiduciâ fundati. Pro cujus proinde Consilij tum formatione, tum executione sapiens fugit ad orationem, juxta illud *Ecclesiastici 39. Ipse in oratione confitebitur Domino, & ipse diriget Consilium ejus, & disciplinam, & in absconditis suis* (affectuosis scilicet ac Mysticis effectibus) *consiliabitur.*

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA VI.

In quo consistant Dona Pietatis, Fortitudinis, ac Timoris Domini.

1. TRiplex latet difficultas hic eruenda, dum ea, quæ de Doni Timoris ad Theologicam Spei virtutem comparatione spectant, interim reservamus. 1. *Quomodo Donum Pietatis distinguatur à Religionis infusâ virtute?* 2. *Quomodo Donum Fortitudinis differat à virtute infusâ Fortitudinis?* 3. *Quomodo Donum Timoris Domini comparetur ad virtutem infusæ Temperantiæ?*

Referuntur Sententiæ.

2. CIrca primam difficultatem Gregorius Martinez *cit. q. 68. a. 6. dub. 3.* existimat, Donum Pietatis distingui à virtute Religionis, quòd illa respiciat Deum ut Patrem, ex speciali aliquo instinctu pro casibus extraordinarijs, in quibus etiam Prudentia infusa dictare non possit: veluti si quis ex instinctu Divino permaneat in oratione usque ad continuationem mortis, vel si quis petat à Deo miraculum, ut meliùs conservetur respublica.

Verùm Ioannes à sancto Thomâ *cit. disp 18. a. 6. à n. 9.* tenet, Religionis ac Doni Pietatis differentiam specificam in eo se tenere, quòd religio ita respiciat rationem Cultûs in Deo, ut hoc suum objectum Formale fundet in ratione Debiti mutui, respiciendo scilicet Beneficia Dei erga nos, & retributionem, quam ipsi debemus secundùm modum talium beneficiorum, juxta illud *Psal. 115. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* 3.

Econtra verò ait, Donum Pietatis relictâ hâc mensurâ retributionis & largitionis Bonorum, honorare & magnificare Dominum ratione sui, sive bona, sive mala nobis tribuat, & in quâdam nuditate, seu annihilatione omnium attendere solùm ad magnitudinem Divinam in se, & propter se. Cujus exemplum esse ex Prophetâ Regio *in Psal. 33. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*: hoc est, non in his, quæ nobis tribuit, nec juxta mensuram Beneficiorum colamus, sed propter ipsum, & in idipsum. Exemplum hujus etiam esse ex Paulo Apostolo *ad Phil. 2.* sic scribente: *Magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam, sive per mortem.*; hoc est, honorabitur & coletur, non attento Beneficio, vel damno, sed propter solam magnificentiam suam. Tali demum exemplo præluxisse Virginem Deiparam cantando: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ex hoc enim insinuari, quòd Motivum Magnificandi Dominum, & exultandi in Deo non fuerit aliud, quàm ipsa Dei celsitudo respiciens illam profundissimam humilitatem, & servilem conditionem potiùs, quàm sublimissima beneficia sibi collata etiam Maternitatis Divinæ. 4.

5. Circa secundam difficultatem nonnulli existimant, Donum Fortitudinis distingui à virtute Fortitudinis, quòd illud versetur solùm circa illas actiones, quæ sunt omninò extraordinariæ, & petunt specialem Spiritûs Sancti instinctum; veluti quando Martyres se proijciebant in ignem, aut Ionathas cum uno armigero invasit exercitum Philisthæorum, aut Samson interfecit mille viros.

6. Econtrario Ioannes à Sancto Thomâ *cit a. 6. §. de Dono Fortitudinis. n. 15.* sequens ponit fundamentum. Etenim motivum formale Donorum est altius, universalius ac efficacius motivo virtutum, quæ versantur circa arduum & difficile. At quantò motivum est universalius & efficacius, tantò magis potest se extendere, ac plura complecti. Cùm igitur motivum Fortitudinis innitatur viribus Divinis, & virtuti Spiritûs Sancti moventis, quæ ad omnia se potest extendere, omnium virtutum materias Donum Fortitudinis complectetur: siquidem omnia possumus in eo, qui nos confortat.

7. Quare author præfatus *n. 4.* concludit, quòd Fortitudo regulata modo humano, prout dictant regulæ prudentiales, faciat virtutem; regulata verò instinctu & regulâ Divinâ, juxta vires Divinas nobis assistentes, sit Fortitudinis Donum. Fundamentum est. Nam Donum Fortitudinis describitur illis verbis *Psal. 43. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos; sed dextera tua, & brachium, & illuminatio vultûs*

vultûs tui. Atqui gladius & brachium humanum indicat Fortitudinem, quæ est virtus. Quando autem operatur quis per ipsam dexterum brachium Dei non secundùm regulas ordinarias, sed secundùm illuminationem vultûs Dei, & instinctum spiritûs non prudentialiter metientis vires proprias, sed operantis juxta vires & brachium Dei, non attendendo ad infirmitatem propriam; talis fortitudo est plus, quàm virtus, estque fortitudo quasi Divina, induens virtutem ex alto, imò ipsam Dei virtutem nobis faciens quasi propriam, depulsâque naturæ infirmitate operans solà Divinitatis virtute. In quem adeò sensum Propheta dixit *Psal. 17. Diligam te Domine virtus mea; Dominus firmamentum meum & refugium meum* Item: *In Deo meo transgrediar murum*; Omne enim Divo Thomâ *in 3. dist. 34. q. 3. a. 3.* interpretante, *quod posset humanæ infirmitati obviari, hoc nomine Muri intelligitur.* Talis proinde fortitudo in virtute Dei transgrediens murum est Donum perficiens & adjuvans Fortitudinis virtutem in his, in quibus ex parte subjecti deficere potest, Divo Gregorio *35. Moral. cap. 4.* attestante, *Quòd per Dona juventur virtutes.*

8. Circa tertiam difficultatem sanctus Thomas *2. 2. q. 19. a. 12. ad. 2.* docet; Dono Timoris respondere tanquàm effectum non solùm spiritûs paupertatem, quæ est prima Beatitudo à Christo posita, sed etiam Beatitudinem Luctûs hisce verbis expositam: *Beati, qui lugent.* Fundamentum est. Quia illud Donum spiritum contrahit, & evacuat à propriâ præsumptione, faciendo recognoscere propriam parvitatem, & paupertatem, carnaliaque reprimit, & configit, quod est lugere, seu non delectari, aut dilatari; sed flere & contrahi in se.

9. Suarez *lib. 2. de Grat. cap. 21. n. 12.* existimat; hunc timorem esse actum humilitatis, prout sub Humilitate intelligitur tota Temperantia. Fundamentum desumitur ab authoritate tum sancti Augustini *lib. 1. de serm. Domini. cap. 9.* asserentis; quòd *Timor Dei congruat humilibus.* Et *serm. 17. de Sanctis. cap. 1. Quis est*, inquientis, *humilis, nisi timens Deum?* Tum Gregorij Magni *2. Moral. cap. 26.* Timorem opponentis superbiæ, cujusmodi oppositio propria est humilitatis.

10. Verùm Ioannes à sancto Thomâ *cit. a. 6. §. de Dono Timoris à n. 12.* probat; Timorem Divinum *specificè* differre ab Humilitate, operari verò effectus Temperantiæ tum generaliter per illam fugam, quâ vitat, Deum offendere in quâcunque culpâ; tum specialiter per effectum, quem causat in passionibus delectabilibus frænatione indigentibus, contrahendo scilicet & configendo dilatationem, ac vitium, quod important. Fundamentum est. Nam Timor Domini secundùm Divum Thomam *2. 2. q. 19. a. 1.* respicit duplex objectum, scilicet *Malum*, istud fugiendo & timendo, ac *Personam* seu *Principium, à quo* tale malum provenire potest, vel permitti, talem personam reverendo. Unde Timor Divinus *Formaliter* non importat amorem etiam personæ, quam respicit, ut potentem infligere malum, sed *præsuppositivè & concomitanter.* At verò Humilitas nec refugit malum, nec respicit personam superiorem ut potentem infligere malum, & sic ejus actus *Formaliter* non est reverentia, aut trepidatio de potestate superioris, sed ordinata subjectio sui ad superiorem ex consideratione propriorum defectuum, & superioris, sive etiam alterius in potestate æqualis excellentiâ. Actus igitur Timoris Domini non est *Formaliter* actus Humilitatis, quamvis humilitas à Timore possit derivari, & regulari tanquàm effectus ejus: ex eo enim, quòd aliquis revereatur Deum, & ei se subjiciat ut potenti infligere malum, nascitur; quòd non quærat magnificari in se, nec in alio præter Deum, & sic abjiciat à se omnem propriam magnificationem, quæ est superbia, etiam sine respectu ad inflictionem mali: cujusmodi abjectio est humilitas. Unde SS. Doctores Augustinus, Gregorius & Thomas attribuunt Dono Timoris, quo homo Deum reveretur, Humilitatem; seu paupertatem spiritûs, non ut actum proprium, sed ut effectum ex illo consecutum ac regulatum. Et hinc Donum Timoris non *Formaliter*, sed *Eminenter ac Virtualiter* est Humilitas ac Temperantia; aliæque huic adjunctæ virtutes: siquidem actus Timoris Domini universaliter fugiens omne malum separativum à Deo, eique se subjiciens tanquàm summæ & infinitæ Eminentiæ, habeat ex hoc, tum evacuare omnem magnificationem spiritûs, & omnem superbiam, quod est Prima *Paupertatis spiritûs beatitudo*; tum compescere omnem delectationem corporis exuberantem, & pro hac tristitiam seu luctum inducere, quod pertinet ad tertiam Beatitudinem, quâ dicitur; *Beati, qui lugent.* 11.

Quare author citatus *n. 3.* concludit, quòd Doni Timoris actus sit *Formaliter* Timor filialis, non initialis, sed perfectus & castus. Fundamentum est. Quia Timor filialis differt à servili, quòd ille sit quædam fuga peccati, quatenus est inductivum pœnæ, ille verò *primò* & *per se* fugiat culpam, non ratione pœnæ, sed ratione offensæ Dei eum injuriantis, & à Deo separantis. At iste filialis Timor quandoque est Initialis, quatenus miscet aliquid de Timore pœnæ, fugiente malum culpæ *principaliter*, prout est offensa Divina *minus* tamen *principaliter*, prout est causa pœnæ. Hic proinde initialis Timor competit Charitati imperfectæ, & statui incipientium, in quibus adhuc remanet aliquid de Timore servili, quatenus timor pœnæ operatur in eis, licèt non *principaliter*; sed *principaliter* timent culpam, & separationem à Deo, quod est in substantiâ Timor Filialis. At verò crescente charitate foras mittitur timor quoad illum modum servilitatis timentis pœnam, utpote quam non timeat perfectus, sed solùm culpam & separationem à Deo ceu malum omnium amarissimum, juxta illud *Ieremiæ 2. Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum tuum, & non esse timorem Dei apud te.* Ex quo fit, quòd, dum anima concipit in se, & cognoscit, quàm grande malum sit culpa, repleatur amaritudine, nec jam det locum ad æstimandum aliquid creatum pro bono, videns se æterno bono ex culpâ privandam, & sic oblita bonorum pro nihilo æstimet pœnas bonis ejusmodi privantes, nec illas timeat; veluti Propheta æstimans, quàm amarum sit, perdere Finem Ultimum, & spem à Domino, omnium aliorum bonorum oblitus, nec eorum amissionem ceu malum pœnæ seutiens dixit: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio, & fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere, & repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum, & dixi: Periit finis meus, & spes mea à Domino.* Unde 12. 13.

Unde tandem patet; Donum Timoris ex ratione objecti, quod reveretur, & cui ſubjicitur, correſpondere ſpei Theologicæ, reprimereq; Præſumptionem ipſi oppoſitam; ex parte verò culpæ ſeu offenſæ Divinæ, quam fugit, poſſe omni virtuti correſpondere; ex parte effectûs denique, quem ſpecialiter relinquit in animâ, correſpondere Temperantiæ, quatenus delectatio, quam reprimit Temperantia, cauſat dilatationem, cujus contrarium facit Timor, cauſando contractionem in appetitu & corpore, & ſic configendo timore carnes, & exſiccando oſſa, faciendoque fugere laſciviam.

Conclusio I.

Donum Pietatis eſt in objectis & effectibus creatis proſecutivum Cultûs Divini ſub Motivo puriſſimæ ex Dei cauſalitate emanantis participationis, vt ſic in Deum tanquam Principium Effectivum, Exemplativum, & Finalizativum purè reflexæ.

14. Probatur. Nam omni rei creatæ ex Divinâ cauſalitate procedenti ineſt Divina quædam participatio, vt ſic ſub purâ Eſſendi formalitate, abſque ullâ defectibilitatis ſibi congenitæ coinquinatione in Deum tanquam Principium ſuum reflexa. At eiuſmodi Divina participatio eſt appetibilis à voluntate noſtrâ ſecundùm aliquam ſui cum hac convenientiam. Nequit autem creata ex Deo derivata formalitas ſub purâ Divinæ cauſalitatis participatione abſque ullâ ad nos commoditatis, delectabilitatis, ſeu perfectionis & congruentiæ reflexione voluntati noſtræ conveniens eſſe, niſi huic ſit infixum pondus, Dei ſuper omnia purè abſque aliquâ ad proprium ſuppoſitum reflexione ſeu retributione appretiativum ex puriſſimâ in ſe ſubſiſtente Bonitate. Unde quarumvis etiam in malis naturæ noſtræ contrarijs rebus ex puriſſimo Divinæ cauſalitatis radio manantium formalitatum æſtimabilitas voluntatis noſtræ appetitui proportionatur per charitatis Theologicæ Dei quà in ſe ſubſiſtentis purè appretiativum actum. Ex cujuſmodi proinde charitatis appretiatione Donum Intellectûs intelligibilitatem Dei in omnes res creatas puriſſimâ ſuâ cauſalitate effundentis expreſſivam formando, habilitat & diſponit Intellectum noſtrum, vt mediante Dono Sapientiæ in omni re creatâ inquirat formalitatem Divinæ in puriſſimam Dei cauſalitatem reductæ participationis per voluntatem Charitatis Theologiæ actu fœcundatam vel maximè appetibilis, eo ipſo, quòd in ipsâ repræſentetur pura in Divinam cauſalitatem, ipſumque adeò Deum quà ex ſuâ in ſe puriſſimè ſubſiſtente Bonitate ſuper omnia appretiabilem reflexio. Hæc igitur puræ in Divinam Bonitatem reflexionis appretiabilitas per Donum ſapientiæ *ſignatè & ſpeculativè* in abſtracto, per Donum autem Conſilij *Exercitè & practicè* in individuo rei repræſentata eſt Motivū Formale Doni Pietatis.

15. Probatur iſtud aſſumptum. Quia iſtud Donum differt à virtute Pietatis & Religionis, quòd iſta gloriæ ex Divinâ cauſalitate relucentis ſit proſecutiva cum quâdam ad nos reflexione, quatenus Deus ſit noſter Creator, Redemptor, Finis Ultimus, Retributor, Benefactor, Divo Thomâ *in 3. diſt. 34. q. 3. a. 2. q. 1. ad 1.* aſſerente: *Pietatis virtutem, quæ latria dicitur, quamvis ipſi Deo exhibeatur, in hoc tamen accipere aliquid humanum pro menſurâ, ſcilicet beneficium à Deo acceptum, ratione cujus ſit ei debitor.* Unde talis virtus habet rationem Iuſtitiæ erga Deum utpote fundatæ ſuper Debitu Dei quà Principij noſtri in lineâ tam creationis, quàm Gratiæ ſeu Iuſtificationis & Glorificationis recognoſcendi. Ad cujuſmodi adeò debitum ſeu condignitatem reſpexerunt ſancti, qui *Apocalyp. 4.* canebant: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creâſti omnia.* Item *Apocalyp. 5. Dignus es Domine, accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.*

Econtra Donum Pietatis eſt Gloriæ ex Divinâ Cauſalitate reſplendeſcentis proſecutivum abſq; ullâ ad nos reflexione, ſed ſub purâ in Deum, eiuſque in ſe purè ſubſiſtentem medio Charitatis Theologicæ actu ſuper omnia appretiatam ut ſic omnis ad extra creatæ formalitatis ac realitatis Entitativæ abſq; ullâ ſui ad defectibilitatem huic innatam coinquinatione communicativam, & diffuſivam Bonitatem: Doctore Angelico *ubi ſupra* atteſtante: *Pietatem, quæ eſt Donum, accipere aliquid Divinum pro menſurâ, ut ſcilicet Deo honorem impendat, non quia ſit ei debitus, ſed quia Deus honore dignus, per quem modum etiam ipſe Deus ſibi honori ſit.* Unde iſtud Donum non habet rationem Iuſtitiæ fundatæ ſupra debitum in Divinæ erga nos participationis reflexione radicatum; ſed proſequitur Gloriam Dei relucentem, in creaturis quà ex Divinæ in ſe impreſſionis participatione reducibilib⁹ in ipſum Deū purè in ſe ſubſiſtentem, & ut ſic per Theologicæ charitatis actum purè abſque ullâ ad nos reflexione appretiabilem. Ad cujuſmodi adeò ex creaturis relucentem purè abſque ullâ ad nos reflexione in Deum ſub Charitatis Theologicæ purâ appretiatione reductam gloriam reſpexerunt ſancti *Apocalyp. 11.* cantantes: *Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepiſti virtutem tuam magnam & regnâſti.* Item *cap. 15. Quis non timebit* (per Donum ſcilicet Timoris Domini *in 3. concl.* exponendum) *te Domine, & magnificabit* (per Donum ſcilicet Pietatis) *nomen tuum, quia ſolus pius es.* In quem ſenſum canit etiam Eccleſia in Hymno Angelico: *Gratias agimus tibi propter magnam Gloriam tuam.* 16.

Conclusio II.

Donum Fortitudinis eſt proſecutivum Boni ardui, ad Finem ſupernaturalem ſub Myſticâ Donorum Intellectûs, & Sapientiæ ſeu ſcientiæ lineâ proportionati, vires noſtras gratiâ etiam Divinâ ordinariâ tamen inſtructas ſuperexcedentis: attamen ſub myſticâ erga vires ex Divinæ gratiæ auxilio Extraordinariè accipiendas confidentiâ poſſibiles.

Probatur. Nam ubi per Sapientiæ & Scientiæ Dona circa Divitiarum, vitæ, omniumq; temporalium contemptum, aliudvè ordinum ſpecialis quædam, ac ſublimior appretiabilitas ex ordine ad affectuoſam cum Deo Fine ſupernaturali unionem eſt definita, tunc varijs naturæ noſtræ vires ſuperantibus difficultatibus emergentibus, per Donum Intellectûs ex Fide in ſacris litteris ad Fi- 17.

lialem in Deo fiduciam erigente, ac inde excitatæ Theologicæ spei omnipotentiâ, & auxilio Divino nitentis firmitate, fit quædam formatio intelligibilis, sub quâ Donum Consilij concludit, in Domino spem collocandam, & sub filiali ad Divinum auxilium confidentiâ, opus aggrediendum esse, vel malum imminens tolerandum. Huic proinde per Donum Consilij formato Dictamini innititur Donum Fortitudinis, sub illâ intelligibili ordinarias & prudentiales rationes excedente formatione, ex virtuali saltem ad affectivam cum Deo unionem respectu, prosequentis illud arduum Bonum, seu tolerando malum virium licèt nostrarum gratijs ordinarijs juvandarum proportionem superans. Et hinc Divus Thomas *in 3. dist. 34. q. 3. a. 2.* ait: *Virtutem Fortitudinis respicere quidem opus difficillimum ex genere suo, non tamen secundùm comparationem ad operantem, quia non excedit vires ejus; sed Fortitudinis Donum etiam esse circa ea, quæ excedunt humanam facultatem*; innitendo

18. scilicet virtuti Divinæ. Unde etiam fit, quòd virtus Fortitudinis in objecta difficiliora tendat cum quâdam infirmitate & trepidatione ex parte operantis, & virium propriarum: econtra verò Fortitudinis Donum istam trepidationem, contingentiam, & infirmitatem ex parte operantis tollat in ordine ad opus, insistendo Divinæ virtuti per confidentialem virtutem, sive firmitatem tanquàm suæ, & operando ex motione & instinctu Spiritûs sancti solidante infirmitatem nostram & induente nos virtute ex alto, vt quasi petra solida operemur, juxta illud *Psal. 26. In petrâ exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

19. Cujus equidem exemplum monstravit nobis Christus in passione suâ ostendens primò trepidationem ad manifestationem infirmæ naturæ, quasi humano modo procedens ex virtute Fortitudinis, trepidationes ejusmodi secum compatientis, sed mox ex Dono Fortitudinis redijt in suam soliditatem, sancto Leone Papâ *serm. 8. de Passione.* attestante hisce verbis: *Depulsâ trepidatione infirmitatis, & confirmatâ magnanimitate virtutis, redijt in sententiam suæ dispositionis æternæ.*

Conclusio III.

Donum Timoris Domini ex respectu ad Divinæ Majestatis excellentiam reverendo Deum, est aversativum omnimodæ à Divinâ Infinitâ Majestate discordantis inconvenientiæ.

20. Probatur. Nam suppositâ affectuosâ Divinam Excellentiam, quoad omnes suas intrinsecas formalitates super omnia appretiante, Charitatis Theologicæ ad Deum unione, & hinc saporosâ per Donum sapientiæ in intellectu excitatâ æstimatione, respondere debet in voluntate Donum Spiritûs sancti, refugiens omne id, quod talem æstimationem Dei quoquo modo tollere, vel minuere potest. Quæ proinde reverentialis ex Divinæ Majestatis æstimatione excitata fuga mali, Deo quà secundùm affectuosam charitatis unionem *Mysticè* fruibili adversantis, *Formaliter* spectat ad Donum Timoris. At verò talis reverentialis fuga fieri potest tum ex parte Intellectûs, quatenus in ipsâ Divinitatis contemplatione perspiciendo Divinæ Majestatis supereminentem gloriam, reveretur ingredi Divinitatis abyssum, ne ab immensâ ejus gloriâ opprimatur, atque adeò fatetur, mentis suæ quantumvis lumine etiam gloriæ elevatâ aciem infinitè superexcedi à splendore Divinæ Majestatis; in cujus adeò signum Cherubini *Isaiæ 6. stantes in conspectu Throni Dei, alis velabant facies suas.* Tum etiam ex parte voluntatis fieri potest ejusmodi reverentialis Fuga, quatenus in- 21.
finitæ Dei Bonitati immersa, reveretur malum peccati Divinæ Majestatis offensivum, & vt sic à Deo per Mysticam affectionem super omnia appretiato aversativum. Quod equidem malum voluntas taliter affecta intantum horret, ut non solùm efficaciter propellat objecta ejus inductiva; sed insuper per efficaciam hujus aversativæ affectionis penitus absorpta nihili faciat quascunque delectationes, facientes cor effluere ac dilatari extra Deum. Et hinc licèt Donum Timoris sit *for-* 22.
maliter ac *specificè* diversum à virtute tam Spei, quàm Temperantiæ, configendo tamen omnes delectationes extra Deum cor effluere facientes, nec non omnimodam extra Deum gloriam quærendi appetitum contrahendo, & vt sic superbiæ exaltationem reprimendo, ac spiritûs præsumptionem coarctando, maximam cum illis virtutibus connexionem habet, per modum supereminentis Causæ actuum ab illis virtutibus procedentium imperativæ seu regulativæ, veluti pluribus ex Ioanne à sancto Thomâ *supra* deductum est.

Quod proinde Timoris Domini Donum ele- 23.
ganter describitur *in Psal. 96. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra; montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* Etenim facie Divinæ Majestatis illucescente Intellectui, instar Fulguris excitat sui reverentialem Timorem, vi cujus tum Intellectus reveretur scrutari Majestatis Divinæ splendorem, ne opprimatur ab ipsius gloriâ; tum voluntas dissolvitur præ timore, sicut cera à facie ignis, ita ut in comparatione ad Divinæ appretiabilitatis excellentiam evanescat, & pro nihilo jam reputetur omne, quod sublime est in homine, sicque depauperetur, juxta illud *Isaiæ 2. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in illâ die, & idola penitus conterentur, & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloriâ Majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.* Hisce namque verbis significatur, ex Timore Domini causari plenam depauperationem mentis, ita ut Timor Domini instar carbonis desolatorij sit conterens omnem sublimitatem spiritûs: vi cujus adeò contritionis anima quasi denudata & evacuata ab omnimodâ sui elevatione & altitudine à facie Formidinis Domini ingrediatur in speluncas & voragines terræ, hoc est, in vilitates & vacuitates terrenæ substantiæ suæ. Et hinc pertingit ad Beatitudinem Luctûs, 24.
de quâ dicitur: *Beati, qui lugent*; quia spiritus quasi mortuus à corde sepultum se reputat, & in fossam projectum à Timore Domini, *juxta illud Isaiæ 2. Ingredere in petram, abscondere in fossâ humo à facie Timoris Domini, & à gloria Majestatis ejus.* Unde caro etiam à sagittâ Timoris Domini confixa omnem vigorem, & quasi lascivientem ac ebullientem libidinem detumescere & marcescere, ac instar fœni exsiccari facit, secundùm illud *Isaiæ 40. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos (carnis) quia spiritus Domini insufflavit in eo.*

COROLLARIUM I.

De Proprietatibus Donorum Spiritûs sancti.

1. INfertur I. Dona Spiritûs sancti esse inseparabiliter connexa cum Charitate. ex sancto Thomâ *1. 2. q. 68. a. 5.* Probatur authoritate sacræ Scripturæ. Nam de Dono Intellectûs dicitur *Psal. 118. Intellectum da mihi, & vivam.* Ergo Donum Intellectûs est connexum cum vitâ gratiæ, atque adeò cum Charitate. De Dono Sapientiæ habetur *Sap. 7. Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientiâ inhabitat.* At nemo inhabitat sapientiam Increatam, nisi habendo in se sapientiam creatam, mediante quâ inhabitet sapientia Increata. Si ergo Deus diligat eum, qui sapientiæ creatæ Dono ditatus inhabitat cum Increatâ sapientiâ, sequitur, Donum sapientiæ non esse nisi in Iusto. De Dono scientiæ dicitur *Sap. 10. Dedit illi scientiã Sanctorum.* Ergo istud Donum est connexum cum sanctitate & charitate. De Dono Consilij *Psal. 18. Et Consilium meum Iustificationes tuæ.* Quia ergo istud Donum tum *Causaliter* est Iustificatio actualis, opus scilicet sanctum in Gratiâ Iustificante elicitum; tum *Radicaliter* secundùm connaturalem connexionem est Iustificatio Habitualis, oportet, esse connexũ cum Charitate. De Dono Pietatis *1. ad Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Quia ergo ista promissio radicatur in statu gratiæ, oportet, Donum Pietatis cum hac esse connexum. De Dono Fortitudinis *Prov. 31. Fortitudo & Decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo*; utique ex statu gratiæ connexo cum illo Dono. De Dono Timoris dicitur *Psal. 18. Timor Domini sanctus* (ex connexione scilicet ad Gratiam sanctificantem) *permanens in sæculum sæculi.* Denique de omnibus septem Donis dicitur *Isaiæ 11. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus Sapientiæ & Intellectûs, spiritus Scientiæ & Consilij, spiritus Pietatis & Fortitudinis, spiritus Timoris Domini.* Ergo ista septem Spiritûs Sancti Dona radicantur in requiescente super animam Spiritu Sancto. At Spiritûs Sancti inhabitatio in animâ est per Gratiam sanctificantem & Charitatem. Quia ergo radix illorum Donorum est Gratia sanctificans, oportet, esse inseparabiliter connexa cum Charitate.

2. Cujus ratio à priori per Divum Thomam *citatum* insinuata est. Quia ista Dona comparantur ad Spiritum sanctum ut Moventem. At Spiritus sanctus est per sua Dona movens non *purè Effectivè*, sed *Regulativè* & *Directivè*; sicuti etiam Prudentia est *Regulativè* Movens virtutes: hinc enim ait Sanctus Doctor; *Quòd, sicut virtutes comparantur ad regimen rationis, ita Dona comparentur ad Spiritum Sanctum moventem per modum scilicet regiminis & directionis.* Quia ergo Prudentia, quatenus dirigendo & gubernando movet, intus habitat in corde, oportet, pari ratione Spiritum sanctum, quatenus suis Donis dirigendo & gubernando movet, intus habitare & rectificare hominem. Etsi proinde Spiritum sanctum, quatenus *purè Effectivè* movet, non oporteat intus habitare, quia tamen per Dona Spiritus sanctus movet non *purè Effectivè*, sed etiam *Regulativè* ac *Directivè*; consequens est, istam motionem esse ex Spiritu sancto inhabitante. At Spiritus sanctus inhabitat in nobis per Charitatem, juxta illud. *Charitas diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ergo Dona Spiritûs sancti sunt connexa per Charitatem.

Infertur 2. Qualiter Donis Spiritûs sancti Intellectûs præsertim sit proprium, purgare mentem à passionibus & affectionibus terrenis. Nam 1. quia Dona Spiritûs sancti sunt connexa cum Charitate, nequit passio in tantum vigere, ut perducat in consensum mortiferum, nisi illa cum Charitate extinguantur. 2. Purgatio affectuum & passionum, quantum ad quietationem & sedationem, ita ut non erumpant, vel non fatigent, non requiritur ad Dona Spiritûs sancti: sed multa passionum lucta stare potest cum Dono Intellectûs & contemplatione Divinorum ac illustratione Divinâ licèt diminutâ. Lux enim ista etiam in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ioan. 1.* 3.

Infertur 3. Dona Spiritûs sancti, remotâ fide, in patriâ manere eadem secundùm substantiam, licèt depurata ab imperfectione, quam hic habent, dum peregrinantur in Fide. Ratio per Ioannem à Sancto Thomâ *præs. q. 18. a. 8. n. 6.* deducta est. Ista enim Dona quasi subalternantur Visioni Beatæ, sicut & charitas, in quâ radicantur, per se subordinatur illi. In cujus proinde Visionis absentiâ suppletur illa subordinatio per Fidem. Etsi verò cum Fide non stet rei creditæ evidentia intrinseca & positiva, haberi tamen potest evidentia credibilitatis: *Testimonia enim Dei facta sunt credibilia nimis.* Similiter licèt res creditæ ex defectu visionis nequeant penetrari in seipsis, *quid sint positivè*, potest tamen negativâ & abstractivâ seu Extrinsecâ evidentiâ de illis cognosci, *quid* secundùm Eminentialis negationis seu abstractionis viam *non sint.* Cujusmodi proinde evidentiæ insistunt Dona Spiritûs sancti, separando & segregando Mysteriorum Divinorum certitudinem ab erroribus & phantasmatibus corporalibus. Cùm proinde illa Dona non ad instar Fidei intrinsecè ex vi suæ rationis formalis habeant obscuritatem, sed circa credibilia sub evidentiâ circa credibilitatem *positivâ*, circa ipsas verò res creditas *negativâ*, per viam præcellentis negationis procedendo judicent ac penetrent, itaque ipsimet Fidei & Charitati in nobis inhabitanti quodammodò evidens testimonium reddant, *juxta illud Roman. 8. Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus Filij Dei.* Idcirco non æquè, ac Fides ex ratione suâ formali in re creditâ obscuritatem exigens, pugnant cum lumine gloriæ, sed sub eâdem ratione formali possunt in Patriâ manere, mutatâ solùm applicatione & regulatione hîc per Fidem, in patriâ verò per visionem Beatificam præstandâ: sicuti etiam Charitas non mutat Motivum formale ex eo, quòd objectum sit visum, vel creditum, sed modum duntaxat applicandi & regulandi: quemadmodùm visus quoque, qui de se est potentia *evidenter & clarè* cognoscitiva, ex defectu applicationis objecti valdè distantis *confusè* & *obscurè* videt; ubi tamen objectum erit propinquius, mox succedit visionis claritas, quin ex parte objecti formalis facta sit mutatio, sed ex parte applicationis duntaxat. 4. 5.

COROL-

COROLLARIUM II.

Qualiter Fructus & Beatitudines comparentur ad Dona Spiritûs Sancti.

1. INfertur 1. Congruè numerari octo Beatitudines *ex Math. 5. capite.* Ratio est. Quia Beatitudo etiam formalis, *Essentialiter* spectata, est quidem *Formaliter* unicus actus, in patriâ visio Intuitiva Divinæ Essentiæ, in viâ autem supernaturalis abstractiva contemplatio ex Donis Spiritûs sancti elicita. Nihilominùs quatenus diversi actus supernaturales ad illam Divinitatis abstractivam contemplationem se habere possunt *Dispositivè*, per modum præviæ dispositionis, ut sic plures *dispositivè* numerantur Beatitudines. Ejusmodi verò ad contemplationis puritatem adaptans dispositio alia est per remotionem impedimentorum, estque elongatio ab hoc mundo, eiusque voluptatibus, fastu, & divitijs. Etsi verò talis elongatio etiam per virtutes fieri possit, quia tamen prudentialis moralibus virtutibus prælucens ratio commensuratur modo operandi humano, ac viribus suppositi proportionato, nequit omnimoda, virium nostrarum proportione superior & purior elongatio obtineri per virtutes, sed opus est superiori Spiritûs sancti motione & regulatione per Dona.

2. Cujusmodi proinde Donorum operationes congruè vocantur Beatitudines, utpote simpliciter disponentes ac deducentes ad Beatitudinem, *juxta illud Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quare in viâ elongationis ab Impedimentis à Beatitudine removentibus *Prima* Dispositiva Beatitudo occurrit *Paupertas spiritûs* removens amorem inordinatum Divitiarum. *Secunda* Mititas, *juxta illud: Beati mites, quoniam &c.* removens inordinatas passiones vis irascibilis. *Tertia* Luctus, *secundùm illud: Beati, qui lugent.* removens inordinatas passiones delectationis & gaudij. Et *Octava hisce verbis expressa: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, removens favorem & applausum humanum, & eligens persecutionem potiùs, quàm recessum à Iustitiâ.

3. Verùm quia non sufficit, se disponere ad Beatitudinem quasi *Negativè* per recessum seu remotionem impedimentorum, sed opus etiam est Dispositione Positivâ per accessum. Idcirco ponitur tum *Quarta* Beatitudo in siti ac esurie Iustitiæ reddentis unicuique, tam Deo, quàm creatis Intelligentijs, quod debitum est; tum *Quinta* Beatitudo in prosecutione Misericordiæ reddentis gratuita non amicis duntaxat, sed etiam extraneis & inimicis. Quibus tandem dispositionibus quodammodò remotioribus supervenit dispositio Intellectum proximè adaptans ad Beatificam huic vitæ proportionatam Deitatis visionem, seu quandam supercœlestis Beatitudinis inchationem.

4. Cujusmodi adeò dispositio venit sub *Sextâ* Beatitudine expositâ istis verbis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hisce namque verbis intelligitur mundities mentis, consistens in puritate intelligibilis à phantasmatibus ac erroribus abstrahentis formationis Mysteriorum Divinorum eatenus repræsentativâ, ut sub talis speciei intelligibilis puritate liceat *Mysticè* contemplari Divinitatem, non jam sub ænigmatico speculo, sed sub intelligibilis ex supernaturalibus Fidei & Charitatis actibus abstractæ speciei luce non quidem intuitivâ, sed abstractivâ, Negativam sub Eminentialis negationis & remotionis viâ evidentiam præferente. In cujusmodi adeò contemplatione consistit inchoata huic vitæ conveniens Beatitudo Formalis ac Essentialis.

5. Quia verò istam Intellectûs Beatificam lucem oportet, Beatifici amoris flammam succendendo, redundare etiam in voluntatem, oportet, hanc coaptare per quandam præviam proximam dispositionem. Hæc autem exponitur sub *Septimâ* Beatitudine: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; estque illa pax, quæ exuperat omnem sensum, & inebriat spiritum. Ubi enim omnia, quæ voluntatem à Divinorum appretiatione retrahere possunt per primam, secundam, tertiam & octavam Beatitudinem è medio sublata sunt; ubi etiam voluntas heroicis Iustitiæ & Misericordiæ sub altiori etiam Spiritûs sancti Donorum regulatione est elevata, tandem succedit purissimæ Pietatis Doni exercitatio prosecutiva Cultûs Divini in omnibus objectis ac effectibus creatis, sub Motivo purissimæ ex Dei causalitate emanantis participationis, ut sic in Deum purè reflexæ. Sub cujus adeò 6.
puræ in Deum reflexæ in prosperis & adversis sub limpidâ Doni Sapientiæ contemplatione quæsitæ participationis Divinæ appretiatione, voluntas in pace in idipsum, in Deo scilicet in se *immobiliter* subsistentem, dormiendo & requiescendo, est proximè disposita ad sublimiorem ac supereminentem Charitatis actum eliciendum, mediante quo Charitatis actu eatenus assecuretur de spiritu adoptionis Filiorum Dei, ut ipse spiritus reddat ipsi testimonium, quòd sit Filius Dei. Et hinc pacificos dixit Christus *Dispositivè* eatenus esse Beatos, quatenus Filij Dei per actum Charitatis sub illâ pace vehementiùs exardescentis sint vocandi. Constat igitur, qualiter ex Donis Spiritûs sancti prodeant actus sublimiori ratione disponentes ad Beatitudinem, ut proinde tales actus meritò dicantur *Dispositivè* Beatitudines, octonario numero contentæ.

Infertur *2.* Fructus spiritûs distingui à Beatitudinis & Donorum Spiritûs sancti actibus *inadæquatè.* Ratio est. Quia fructus spiritûs nihil aliud 7.
sunt, quàm Bona opera Donorum & virtutum, prout connotant quandam delectationem & gustum ex illis consequentem. ex S. Thomâ *2.2.q.157. a.2. ad. 3.* Et hinc nihil prohibet, esse simul Beatitudinem, & fructum, & actum alicujus Doni seu virtutis. Est enim fructus ultimum, quod producitur ab arbore, quodque cum suavitate percipitur. At ultimum, quod arbor animæ sanctæ Spiritu sancto rigata producit, sunt effectus & actus eliciti, vel imperati, seu regulati ex Donis & virtutibus. Ejusmodi proinde actus, quatenus ingerunt quandam delectationem spiritûs, vocantur fructus Spiritûs sancti, quorum præcipuos, ad quos omnes virtutum & Donorum actus sint reducibiles, sub numero duodenario Paulus enumerat expositos à Sancto Thomâ *1.2 q.70.a.3.* Constat igitur, Fructus Spiritûs sancti distingui ab actibus Donorum *inadæquatè*, tum quòd ultra horum substantiam importent *formaliter* etiam connotationem Delectationis, quasi *Consecutivè* se habentis ad actus Donorum; tum quòd comprehendant actus etiam virtutum ab actibus Donorum
specificè distinctos. Deinde Beatitudo alia est *Formalis,* 8.

malis, alia verò *Dispositiva*. Hæc complectitur octo Beatitudines *supra illatione 1. præf. coroll.* deductas. Illa verò *Essentialiter* est visio Dei vel Intuitiva in Patriâ, vel *Abstractivè* contemplativa in viâ, *Completè* verò & *Integraliter* est purus amor Dei super omnia appretiativus, & ut sic Beatificativus. Hic verò est fructus Charitatis Theologicæ, ille Donorum Sapientiæ & Intellectûs. Constat proinde, quòd sub ratione Beatitudinis *Formalis*, *Integralis* tamen & *Completiva*, in viâ veniat actus Charitatis, qui sit fructus, non tamen procedens ex Donis Spiritûs sancti. Quamvis ergo omnis ex illo octonario numero Beatitudo secundùm sublimiorem operandi modum dispositiva importet actum ex aliquo Spiritûs sancti Dono elicitum, Beatitudo tamen Formalis *Integraliter* completiva in Theologicæ Charitatis actu consistens, est fructus, quin sit actus elicitus Doni Spiritûs sancti. Patet igitur, quòd Fructus Spiritûs sancti cum actibus Donorum Spiritûs sancti, nec non cum illis octo Beatitudinibus sublimiori modo ad Dei visionem & amorem Beatificum dispositivis comparati, ab hisce distinguantur *inadæquatè*.

QVÆSTIO SECVNDA
DE
NECESSITATE GRATIÆ.



1. GRATIA generaliter dicitur id, quod gratis datur, uti ex S. Augustino *Psal. 49.* advertit Martinus de Esparzà *de grat. q. 1.* Hinc Donum etiam Creationis utpote ex gratuità voluntate Dei fluens, posse generali ratione dici Gratiam, advertit Franciscus de Lugo *lib. 1. de Deo. disp. 40. cap. 6. n. 1.* Nihilominùs Gratiam Theologicæ considerationis propriam à Sanctis Augustino, alijsque Patribus adversùs Pelagianos discussam, esse illam duntaxat, quæ eatenus distinguitur à Dono creationis, ut homini nec *mediatè*, nec *immediatè* debeatur ratione suæ creationis, rectè tradit Esparza *citatus.* Est autem debitum rei, quod est illi proportionatum: indebitum verò, quod superat ejus proportionem.

2. At verò secundùm authorem præfatum *q. 6.* aliquid dicitur rei existenti proportionatum, seu rationa proportionis debitum, quod necesse est, ut ipsi superaddatur, ne aliquid perperam existat in rerum naturâ, neve Deus aliquid inutiliter fecerit. Si enim existat organizatio propria corporis humani cum omnibus qualitatibus spectantibus ad complementum perfectionis ejus, eique non superaddatur anima rationalis, oportebit, inutiliter & perperam extitisse organizationem; siquidem facta fuissent tunc instrumenta videndi, audiendi, &c. quorum nullus esset usus. Similiter existente homine, si non darentur objecta tangibilia, visibilia, frustra in eo existerent potentiæ tangendi, videndi, &c. Cùm proinde cuilibet entitati creatæ Essentiale sit, quòd existat authore Deo, cujus sapientiæ repugnat, ut perperam, atque inutiliter agat, consequens est; cuilibet Entitati esse debitum, ne perperam existat in rerum naturâ, atque adeò ipsi coexistat omne bonum sibi proportionatum.

3. Idem porro author *cit. q. 6.* talem Debiti proportionem ac Indebiti improportionem reducit in rerum præexistentium potentias activas & passivas: si enim præexistat potentia aliqua activa, aut passiva, sive principalis, sive instrumentalis, & superaddatur aliquid, sine quo impossibile est, talem potentiam reduci ad actum secundum, oportet, tale superadditum habere rationem Debiti seu Boni proportionati; si verò præexistente virtute aliquâ activâ, aut passivâ, superaddatur aliquid, ratione cujus producatur effectus, aut inducatur forma præstantior, quàm quæ sufficiat ad totius virtutis activæ & passivæ præexistentis exercitium, procul dubio erit indebitum, atque donatum, nullâ præexistente necessitate donationis ex parte earum rerum, quibus fit superadditio.

Quibus adeò suppositis, Necessitatem Gratiæ hîc inquisituri, statum quæstionis in eo ponimus: *An scilicet homini secundùm omnimodam naturæ ex Dono Creationis acceptam perfectionem considerato, necessarium sit aliquod Bonum naturalem ipsius proportionem superexcedens?* 4.

Cujus equidem taliter formatæ quæstionis tres distinguimus articulos. In 1. visuri: *An homini vel absolutè in se, vel comparatè in ordine ad publicum Humani Generis Bonum, vel in ordine ad Bonum Universi sit simpliciter necessaria aliqua Gratia?* In 2. *Utrùm in ordine ad actus moraliter bonos ordinis tamen naturalis eliciendos, nec non ad scientias comparandas opus sit auxilio gratiæ?* In 3. *Qualiter in ordine ad opera moralia supernaturalia sit necessarium gratiæ auxilium?*

ARTICULUS I.
AN,
Et qualiter homini vel absolutè in se, vel comparatè, in ordine ad Bonum Universi considerato sit simpliciter necessaria aliqua Gratia?

1. GRatia sub generali Doni indebiti ac improportionati ratione rectè dividitur in *Naturalem*, & *Supernaturalem*. Hæc importat participationem Divinitatis secundùm gradum quasi specificum non in Primâ

Primâ simul & *Quartâ Perseitatis formalitate*, velut in Verbo Divino, sed *in Quarto duntaxat modo Perseitatis sibi* communicatum, veluti *praeced. q. 1. a. 1.* deduximus. Illa verò importat Divini Esse participationem secundùm gradùm quasi genericum duntaxat, atque ut sic convenit cum formâ *Connaturaliter* proportionatâ, differt tamen ab istâ, quòd omnimodam naturalis exigentiæ proportionem ac debitum superexcedat. Iuxta quam proinde Gratiæ distinctionem procedit præsentis articuli titulus. *Primò* enim difficultas esse potest: *Utrum homini secundùm se absolutè spectato sit quædam necessitas Gratiæ supernaturalis maximè sanctificantis?* Secundò. *An, quòd in utilitatem hominis creati sint cœli, imò & Angeli, possit dici gratia seu beneficium gratuitum & indebitum?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm homini secundùm se absolutè spectato sit quædam necessitas Gratiæ supernaturalis maximè sanctificantis?

HUjus controversiæ status exponi potest per hoc: *An scilicet Homo secundùm integram naturæ suæ perfectionem spectatus subsistere potuisset in statu puræ naturæ absque ullâ supernaturalis Iustitiæ & sanctitatis elevatione?* Et quidem, primâ creationis conditione præcisè inspectâ, nulla inter orthodoxos potest de hoc esse difficultas; cùm substantia animæ rationalis cum omnimodâ sibi *Connaturaliter* proportionatâ perfectione potuisset integrè subsistere, quin opus fuisset, ipsam elevari ad statum gratiæ sanctificantis. Verùm difficultas esse potest sub Hypothesi peccati Mortiferi in puro etiam naturæ statu contracti. Etenim in hoc etiam statu imponi potuisset præceptum ex ultimi in Primâ Majestate radicati Finis Iure. Unde talis peccati transgressio tunc foret Iuris Divinæ Majestatis *moraliter* & *affectuosè* destructiva, atque adeò contineret infinitam peccati Mortalis *Formaliter* constitutivam malitiam, seu injuriam Divinæ Majestatis offensivam. At verò ista malitia ipsum animæ fundum secundùm obedientialem etiam ad Gratiam sanctificantem Elevabilitatis potentiam maculans, eatenus esset Terminativa Divini erga talem peccatorem odij, ut haberet vim de se concitativam indignationis Dei, sub quâ justè denegaret peccatori omne Bonum animæ rationalis capacitati non duntaxat naturali, sed obedientiali etiam ad gratiam elevabilitati correspondens. Quare integra illius peccati macula nullatenus deleri posset nisi per talem Dilectionem Dei, per quam non in ordine duntaxat naturali, sed etiam supernaturali Deus peccatorem efficaciter diligeret. At vi talis dilectionis infundenda esset Gratia sanctificans. Ergo non posset macula peccati mortiferi in puræ etiam naturæ statu contracta *integrè* aboleri, nisi fieret infusio gratiæ sanctificantis. At verò peccati mortiferi macula in statu puræ naturæ contracta *simpliciter* & *adæquatè* secundùm omnimodam suam Formalitatem spectata adversaretur naturæ rationali secundùm pura naturalia consideratæ. Nequit autem aliqua macula esse contraria naturæ alicui, nisi Forma tali maculæ opposita secundùm connaturalis proportionis capacitatem sit aliqualiter debita. Vel igitur Gratia sanctificans, cujus privativam maculam induceret peccatum mortiferum, in puræ etiam naturæ statu contractum, est animæ rationali secundùm pura naturalia consideratæ aliqualiter proportionata, vel oportet, quòd impossibile sit, dari peccatum mortale puræ naturæ statui correspondens.

CONCLUSIO.

INtelligentia creata eatenus posset subsistere in puræ naturæ statu, ut peccatum Mortale tunc commissum obedientialem respectu Gratiæ sanctificantis Elevabilitatem secundùm lineam ac genus Moralitatis afficeret duntaxat *Materialiter*, non autem *Formaliter*.

Probatur. Nulla enim malitia potest esse intra lineam moralitatis, nisi præcognita, & vi talis cognitionis subjecta fuerit voluntaris libertati. Neque verò malitia ejusmodi est intra genus moralis imputabilitatis, nisi fuerit Debito Morali, seu legi alicui contraria. At eo ipso, quòd creatæ Intelligentiæ obedientialis ad Gratiam sanctificantem elevabilitas afficeretur aliquo Debito morali, non subsisteret in puræ naturæ statu. Imò repugnat, ex puris naturalibus creatæ Intelligentiæ esse certò cognitam suam intrinsecam respectu Gratiæ sanctificantis obedientialem Elevabilitatem, sed lumen huius sub aliquâ saltem certitudine manifestativum superexcedit naturæ creatæ proportionem, atque adeò in terminis implicat, talem notitiam stare cum puræ naturæ statu. Quamvis proinde peccatum mortiferum in puræ naturæ statu commissum ex suâ infinitâ offensæ Divinam Majestatem *moraliter affectivè* destruentis malitiâ haberet de se vim eatenus concitandi Divinam indignationem, ut illius intuitu deinceps foret neganda omnimoda ad statum supernaturalem elevatio; hujus tamen carentia pro tunc secundùm lineam moralem se haberet per modum puræ negationis. At gratiæ sanctificantis ad statum naturalem *formaliter* elevantis carentia sub ratione negationis tum *in genere physico*, tum *secundùm lineam Moralitatis* eatenus congruit puræ naturæ statui: ut *secundùm se* sit huic ab intrinseco conveniens, secundùm quod verò intra lineam moralitatis est terminus Indignationis Divinæ ex peccato mortifero contractæ, se habeat ad illum statum *purè disparatè*, non autem *contrariè*, vel *privativè*. Unde talis naturæ conditio ab intrinseco quidem exigit maculæ peccato mortifero contractæ expulsionem, prout hæc Divinæ Moralium ordinis naturalis bonorum operum auxilia denegantis indignationis est concitativa; at tamen *purè disparatè* ac *negativè*, non autem *contrariè*, vel *privativè* se habet ad extinctionem maculæ illius, prout importat Gratiæ sanctificantis carentiam ex Divino per peccatum mortiferum concitato odio procedentem.

Dices. Illam maculam ex peccato mortifero 4
in statu puræ naturæ contractam habituram veram peccati Habitualis quidditatem ac essentiam. At de ratione omnis, atque adeò etiam Habitualis peccati esse, quòd sit disconveniens naturæ quà

rationali. Neque verò istam disconvenientiam esse intelligibilem, nisi ex parte naturæ rationalis secundùm ipsummet rationalitatis gradum sit repugnantia respectu peccati, atque adeò maculæ peccaminosæ. Vel igitur Gratiæ sanctificantis negationem in puræ naturæ statu non fore per modum peccati Habitualis, vel debere disconvenire ipsimet rationalitatis proprio gradui, cui proinde respectu negationis Gratiæ fore intrinsecam repugnantiam, & ex consequenti fore in animâ quà rationali intrinsecam exigentiam, vi cujus exigeret maculæ illius, utpote peccati sibi repugnantis expulsionem. At ista expulsio *Formaliter* esset facienda per Gratiam sanctificantem. Ergo vel respectu istius esset animæ rationali in puris naturalibus constitutæ exigentia quædam intrinseca, vel macula Gratiæ sanctificantis *Formaliter* destructiva non contineretur tunc sub ratione peccati Habitualis.

5. Contra. Nam peccatum Habituale nihil aliud est, quàm peccatum præteritum *Moraliter* perseverans. Hæc autem moralis perseverantia subsistit, quamdiu peccatum mortiferum eatenus est concitativum odij Divini, ut Deus animam peccatricem execrando, simpliciter sit denegans Divinam in genere morali participationem. Quare peccatum Habituale duo importat, peccatum scilicet præteritum tanquàm objectum illius Divini odij concitativum, & eius moralem perseverantiam sitam in effectu Divini odij, sive in Divinæ intra genus morale participationis denegatione. At verò ista moralis in effectu peccati subsistens perseverantia non *Formaliter*, sed *Effectivè* est peccatum. Unde licèt omne in statu etiam puræ naturæ perpetratum peccatum *formaliter* debeat naturæ quà rationali disconveniens esse, debeatque adeò naturali animæ rationalis intra lineam moralem exigentiæ *privativè* adversari, ejus tamen perseverantia Moralis seu Habitualis importat effectus non tantùm cum naturali animæ quà rationalis exigentiâ, sed cum ejus obedientiali etiam elevabilitate repugnantes.

6. At sicuti formæ Elevabilitati duntaxat obedientiali convenientes non sunt secundùm intrinsecam positivam animæ quà rationalis exigentiam seu proportionem, sed secundùm convenientiam duntaxat negativam, sive secundùm non repugnantiam; sic talium formarum carentia non *privativè*, vel *Quasi contrariè*, sed secundùm repugnantiam *Negativè* disparatam duntaxat est disconveniens. Constat proinde, peccatum in puræ naturæ statu contractum habiturum fuisse sui quandam Moralem perseverantiam in ipsâ etiam formarum supernaturalium Elevabilitati obedientiali secundum quandam Non repugnantiam convenientium negatione, ex Divino per peccatum ejusmodi concitato odio decretatâ, hanc tamen moralem perseverantiam ut sic naturæ rationali non *privativè* secundùm exigentiam seu proportionem connaturalem, sed secundùm *Non repugnantiam Negativam purè disparatæ* repugnaturam fuisse.

Ad *n. 1.* oppositum Fundamentum

7. Respondetur. Verum quidem esse, quòd peccati in statu puræ naturæ contracti macula non foret *integrè & adæquatè* extinguenda, quamdiu odium Dei exinde concitatum subsisteret adhuc in aliquo sui effectu. At verò quamdiu non infunderetur Gratia sanctificans, Divinum odium subsistere in istius denegatione, non jam puræ negationis, sed effectûs ex illo Divino odio causati rationem habente. Unde quamdiu Deus in ratione Divinæ participationis non inciperet animam taliter peccatricem in tantum diligere, ut vi hujus dilectionis infunderet Gratiam sanctificantem, non posse intelligi, peccati in puræ naturæ statu perpetrati maculam *adæquatè & totaliter esse* sublatam. Et hinc dato puræ naturæ statu, si quis in illo peccâsset mortiferè, non posse jam tale peccatum *adæquatè* tolli intra puræ naturæ statum, licèt extingui posset quoad omnimodam sui maculam naturali animæ rationalis proportioni repugnantem. Etsi proinde peccati Mortiferi in puræ naturæ statu contracti macula, prout Bonitatis Moralis naturalis ex Divino per peccatum concitato odio denegatæ carentiam importaret, intra puræ naturæ statum extinguibilis, esset *privativè* repugnans animæ rationali, eiusque proportioni ac exigentiæ; attamen ejusdem peccati macula prout Divinæ supernaturalis participationis ex prætacto odio Divino denegandæ deinceps carentiam importaret, non nisi secundùm repugnantiam *purè Negativè* Disparatam esset repugnans animæ rationalis Elevabilitati obedientiali. Patet igitur, ex argumento opposito non evinci aliquam animæ rationalis respectu Formæ sanctificantis proportionem, sed elevabilitatem duntaxat obedientialem.

CONTROVERSIA II.

An, quòd in utilitatem hominis creati sint cæli, imò & Angeli, nec non corpora sublunaria, imò quòd ipsi etiam homines sub uno capite politico sint coordinati, possit dici Gratia seu Beneficium gratuitum & indebitum?

1. MOvemus istam controversiam, ad Gratiæ rationem penitiùs intelligendam, ex occasione doctrinæ per Martinum de Esparza *cit. q. 6.* deductæ. Hic enim author *ibi* sequentem format discursum: Contingit, inquiens, aliqua secundùm naturalium potentiarum tum activarum, tum passivarum proportionem seu exigentiam & capacitatem deberi *Vagè & determinatè*; alia verò omnino *determinatè*: Alia rursus *mediatè*, alia verò *immediatè* tam in genere Causæ Efficientis, quàm in genere causæ Passivæ. Cuicumque enim causæ sublunari debetur existentia corporum cœlestium, utpote quorum virtute activâ non cooperante, nulla causa sublunaris possit exercere suam virtutem activam. Quia verò Corpora cœlestia non magis possunt totam suam virtutem activam ullo pacto exercere, quin existat omne genus effectuum producibilium per quaslibet causas sublunares; atque ideò suppositâ existentiâ Corporum cœlestium, necessaria ac debita est existentia omnium causarum sublunarium; propterea unicuilibet causæ sublunari debetur saltem *Mediatè*, cæterarum omnium causarum sublunarium, quæ de facto dantur, existentia.

2. Similiter Principatus, bona Indoles præclarum Ingenium, Animi & Corporis vigor militaris egregius,

egregius, & similia nulli hominum secundùm suam præcisè substantiam considerato *determinatè* debentur. Quia tamen cuivis homini debetur ex naturâ rei *determinatè* existentia plurium hominum, quorum rursus multitudini debetur aliquis Princeps, quo non dato, non possunt homines exercere totam dirigibilitatem, & vim Directivam mutuam, quæ ipsis inest in ordine ad communem utilitatem; propterea principatus debetur unicuique hominum *vagè* & *indeterminatè*. Ea-
3. dem ferè ratio est de ratione Debiti respectu bonæ Indolis, &c. Quia unicuique *determinatè* debetur existentia Causarum cœlestium & sublunarium, cum motu & diversis inde mutuis ipsarum aspectibus, ex quibus simili necessitate proveniunt inæquales corporales dispositiones omnis generis in alijs, atque alijs Individuis. Atque ex his cum ejusmodi diversitate existentibus necessariò proveniunt bona & mala indoles, obtusum & acutum ingenium, complexio robusta & debilis, & similia in alijs, atque alijs Individuis. Quæ-
4. cunque igitur sunt ejusmodi, habent absolutam rationem Debiti, quatenus existente aliquo, cui aliquid aliud saltem *mediatè* & *vagè* debetur modo dicto, necesse est, hoc aliud existere in rerum naturâ; sive in illo ipso Individuo, aut specie. Concluditur igitur, non esse Indebitum *simpliciter*, nec ultra limites naturæ constitutum respectu alicujus, quod est debitum eidem saltem *vagè* & *indeterminatè* sumptum, aut *Mediatè* tantùm.

5. Quibus conformiter author præallegatus *infra ad 4.* ait: Accidentia & proprietates Angelorum non deberi quidem homini cum unione ad ipsum hominem; deberi tamen eidem, ut existant Angeli cum suis accidentibus & proprietatibus; siquidem cuilibet parti Universi debeatur *Mediatè*, vel *Immediatè* existentia omnium & singularum partium constituentium peculiarem aliquem gra-
6. dum Entis. Ex quo fundamento etiam inferri, tum quòd, si, quæ sunt propria substantiæ superiori, accommodarentur substantiæ inferiori, nihil horum esset *simpliciter* Indebitum, ideoque nec supernaturale *quoad substantiam*. Tum quòd substantia perfectior omnibus substantijs de facto existentibus, nec diceretur supernaturalis, nec connaturalis, nec infranaturalis respectu hujus Universi: sed præcisè præternaturalis, & *disparate* se habens, cum ea, quæ congruunt huic Universo, omnia de facto dentur.

CONCLUSIO.

OMni rei creatæ, quatenus sub respectu ad hominem ex Divinæ Causalitatis efficaciâ præsefert aliquid perfectionis & bonitatis, in tantum convenit, esse Gratiam, in quantum excedit Debitum seu proportionem hominis intrinsecam.

Probatur. Nam Doctor Angelicus *1. 2. q. 109.*
7. *a. 2. & 5.* totam gratiæ pro aliquo statu seu opere Morali necessitatem ac indigentiam videtur reducere in improportionem virium hominis. Hæc autem improportio in operibus Moralibus alia quandoque est secundùm modum duntaxat individuationis seu exercitij; alia verò secundùm formalem actûs specificationem. Alia porro in genere Entis secundùm gradum specificum duntaxat, alia denique secundùm gradum etiam genericum. Etenim ex eo, quòd Elementis connaturale sit, in suis primis qualitatibus *intrinsecè* esse subjecta influxibus cœlestibus, consequenter omnibus Mixtis qualitates elementares participantibus ex generico Mixti corporis gradu inest intrinseca quædam subordinatio ad influxus cœlestes. Similiter connaturalis est inter Intelligentias creatas communicatio & ad Divinam irradiationem Mysteriorum non quidem supernaturalium, sed creatis intelligentijs proportionatorum manifestativam subordinatio. Sicuti ergo specialis quæ-
dam ex aliquo cœlesti primarum qualitatum bene coordinativo influxu promanans in aliquo homine impressio est proportionata homini, secundùm genericum Mixti cœlestibus influxibus *intrinsecè* subjecti gradum spectato; sic specialis quædam irradiatio vel Divina, vel Angelica veritatis tamen naturalis illustrativa est naturalis animæ rationali, secundùm genericū Intelligentiæ creatæ gradū consideratæ; quamvis specificâ hujus ab intelligentijs Angelicis differentiâ inspectâ, possit esse indebitum, quòd circa intelligibilem se sublimiorem veritatem sub lumine altiori illuminetur: sicuti ex individuali cujusque animæ rationalis gradu vix est assignabilis exigentia seu proportio connaturalis ad determinatas Angelicas, vel Divinas irradiationes. In quantum igitur istæ respectu animæ rationalis quoad gradum vel specificum, vel Individualem, & in quantū impressiones cœlestes, mediante congruâ primarum qualitatum attemperatione bonæ indolis præclari ingenij, & sanioris corporis constitutionis causativæ, respectu hominis in particulari important aliquid indebitum, in tantum participant de gratiâ, id est, de gratuitâ Causalitatis Divinæ effectuum ejusmodi præfinitivæ donatione: licèt econtra in comparatione ad Genericum vel Intelligentiæ creatæ, vel corporis ex elementaribus cœlestium corporum influxui connaturaliter subjectis qualitatibus mixti gradum, non habeant rationem gratiæ, sed effectûs connaturalis seu proportionati. Et hinc,
quia Entia *secundùm substantiam* supernaturalia duntaxat omnis substantiæ creatæ & creabilis 10.
omnimodum tam specificum, quàm genericum gradum sunt superexcedentia, sequitur; hæc tantummodò *simpliciter* & *absolutè* in genere tam *Moris*, quàm *Entis* esse gratiam; cùm econtra Dona *secundùm substantiam* naturalia, hic tamen & nunc in individuo indebita, & specifico alicujus substantiæ, non autem Generico Entis creati gradui *simpliciter saltem* improportionata, non *absolutè*, sed *respectivè* duntaxat, & *comparatè* mereantur nomen gratiæ. Unde etiam fit, quòd, cùm bona ordinis
naturalis moralia opera, & vires ad ea elicienda 11.
indebitæ immissæ, imò efficax ad ea exercenda auxilium: non *secundùm specificationem*, sed *secundùm exercitium*, seu *circumstantias*, vel etiam *respectivè* duntaxat in ordine ad istum, vel illum hominem in particulari pro determinato aliquo naturæ humanæ statu sint improportionata creatæ rationali naturæ, consequenter non *absolutè*, sed *comparatè* duntaxat sortiantur nomen gratiæ.

Et hinc facilè patet etiam responsio ad ea, quæ ex F. Sparzâ *sup. n. 1. ac seq.* deducta sunt; siquidem ef-
fectus ibi recensiti sub uno respectu eatenus possint 12.
esse debiti, ut sub altero tamen respectu possint esse indebiti, atque adeò ea, quæ solum *comparatè* sunt indebita, possint diverso respectu habere rationem Gratiæ, & Debiti.

ARTICULUS II.

DE

Necessitate Gratiæ ad scientias naturales comparandas, nec non ad Moralia ordinis naturalis opera exercenda.

1. IN ordine ad diversos hominis status procedere potest difficultas. Primus erat Innocentiæ, seu Iustitiæ Originalis status, cujus effectus formales erant, mentem tum *Habitualiter* per Gratiam sanctificantem, tum *Actualiter* mediantibus virtutum ac Donorum supernaturalium actibus Deo subdere, inferiores animi vires eatenus in officio continere, ne contra rationis & voluntatis imperium ad illicita ferrentur, & corpus ab omni corruptione immune servare. De quo proinde statu constat, eatenus importâsse Gratias *secundùm substantiam* supernaturales, tam actualem auxilij Divini sufficientis, quàm habitualem Formæ sanctificantis, ut tamen ad perseverandum indigeret auxilio Gratiæ efficacis, seu ut Sanctus Augustinus *lib. de Corrept. & grat. c. 12.* loquitur; *Adjutorij cum Quo*; cujus adeò defectu decidit primus homo ex illo statu. 2. Quòd si tamen ille status mansisset, atque adeò homo in statu Gratiæ confirmatus esset, tunc status ejusmodi carens concupiscentiâ & rebellione carnis, imò super hujus passiones dominium & imperium perfectum habens, præter illas supernaturales Gratias involvisset varia Dona *Quoad substantiam* naturalia, quibus homo expeditus fuisset ex parte intellectûs quoad functiones rationis, & ex parte voluntatis quoad Moralia honestatis tam naturalis, quàm supernaturalis opera, ex quorum exercitio earemus fieret quædam in potentias inferiores redundantia, ut difficultates ex hac parte oriri solitæ ad functiones rationis in intellectu, & voluntate impediendas præverterentur. Et sic non tam eguisset gratiâ, quàm istam ex suâ conditione status sibi conjunctam habuisset in ordine ad scientiarum & operum bonorum moralium exercitium & consummationem ac perfectionem.

3. Secundus status dicitur naturæ integræ, secundùm quem nulla esset in homine supernaturalis elevatio, intra naturalis tamen Moralitatis lineam ea foret hominis perfectio, ut superior rationis portio esset subjecta Deo tanquam principio & Fini naturali, pars autem sensitiva eatenus subordinaretur rationi, ut per virtutes, & auxilia specialia *secundùm substantiam* licèt naturalia impediretur, ne contra rationem insurgeret. In quo adeò statu Gratia *absolutè* dicta *secundùm substantiam* supernaturalis nullum haberet locum, nec consequenter pro tali statu posset esse exigentia seu necessitas talis gratiæ, quin potiùs ex hujus collatione non staret purus integræ naturæ status, sed ad sublimiorem sanctitatis statum transveheretur.

4. Verùm Dona quoad *substantiam naturalia* naturæ humanæ secundùm pura naturalia spectatæ omninò indebita, ejusque proportionem connaturalem excedentia in ipsâ illius statûs conditione intrinsecâ involverentur. Quibus adeò suppositis, in ordine ad scientias naturales & Moralia Honestatis naturalis opera non posset esse necessitas Gratiæ dantis vires, licèt ex præcisâ illius statûs ratione non esset connaturale Debitū ad omnimodum concursum Divinum, vi cujus datur ipsum operari, ut proinde in ordine ad istud posset Gratiæ locus esse.

Tertius status vocatur *Puræ Naturæ*, secundùm quem homo in suis puris naturalibus relictus non tantùm non haberet aliquam supernaturalem elevationem, sed nec illam Fomitis & Concupiscentiæ carnis inclinationem, sed passionum cùm perfectâ ad rationem subjectione restænativam integritatem. In quo proinde statu non tam aliquando existente, quàm possibili non posset esse necessitas Gratiæ supernaturalis, utpote statum illum solventis. Insuper homini ad quaslibet scientias naturales acquirendas, ac moralia honestatis naturalis opera exercenda præstò tunc essent vires, non modicè tamen impeditæ passionum turbis rationem præoccupare solitis, & voluntatem ad objecta illicita allicientibus, ut adeò ad istas difficultates superandas, opus esset speciali Divini influxûs auxilio; sicuti proportionaliter loquendo mox dicemus etiam de statu naturæ lapsæ. 5.

Quartus igitur hominis status de facto existens est *Naturæ in Primo Parente lapsæ*, ac exinde in peccato Originali cum Fomite & Concupiscentiâ Carnis, necnon ignorantiâ, varijsque animi & corporis infirmitatibus notæ. Quem statum Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Iustif. cap. 1.* nervosè explicat his verbis: *Ad iustificationis doctrinam probè & sincerè intelligendam, oportet, ut unusquisque agnoscat, & fateatur, quòd, cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & ut Apostolus inquit, naturâ filij iræ, usque adeò servi erant peccati, & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysis inde liberari, aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, viribus licèt attenuatum & inclinatum.* 6. In quo proinde statu, cùm vigeant præcepta Divina, & de Mysteriorum Divinorum sive supernaturalium notitiâ seu Fide, & de actuum Moralium supernaturalium exercitio; imò cum peccati Mortalis tam Originalis, quàm Actualis extinctio, eodem sacro Concilio *cap. 7.* attestante, non fiat nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, consequens est; subesse Gratiæ tam Habitualis, quàm Actualis necessitatem. 7. De hac igitur Gratiæ necessitate pro statu naturæ lapsæ deinceps disseremus, si tamen priùs in hoc articulo deciderimus: *Qualiter auxilio gratiæ secundum substantiam naturalis opus sit ad scientias naturales obtinendas, & moralia naturalia opera exercenda?* Circa quam quæstionem sequentes occurrunt controversiæ discutiendæ. 8. *1. Utrùm ad scientias & veritates naturales sive Practicas, sive Speculativas sit necessaria aliqua gratia? 2. Utrùm in ordine ad omne Morale opus ordinis licèt naturalis homo indigeat aliquo gratiæ auxilio? 3. Utrùm ad excellentiores ordinis naturalis actus, dilectionis v. g. Dei super omnia; opus sit Gratiâ speciali? 4. Utrùm ad vincendas omnes tentationes saltem graviores, atque totam legem adimplendam intra limites naturalis Honestatis sit necessaria gratia specialis?*

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA I.

Utrùm in ordine ad scientias & veritates naturales, sive Practicas, sive Speculativas sit necessaria aliqua Gratia?

1. ANtiquiores aliquià Divo Thomâ *in 2. dist. 28. q. 1. a. 5.* relati existimabant; non sufficere lumen nostri intellectûs ad intelligendum aliquod verum, sed ulteriùs requiri aliquod lumen superadditum, sicuti ad quamcunq; visionem opus est lumine solis.

2. Vasquez *1. 2. q. 118. cap. 2* circa præsens punctum docet, si sermo sit de notitiâ veritatis, quæ aliquo modo movere potest affectum ad rectè vivendum, vel ad vincendas tentationes, ad ejus comparationem æquè necessariam esse Gratiam Christi, atq; ad ipsummet opus *Moraliter* bonum, atque ad victoriam tentationis. Si vero sermo sit de cognitione veritatum quæ ita in speculatione sunt positæ, ut earum speculatio suapte naturâ non moveat affectum ad virtutem, posse quidem dici Donum Gratiæ, tamen dici non posse Donum Gratiæ per Christum. Fundamentum est. Quia sicut gratia & Donum Dei est ipsa natura, quam liberaliter per creationem & generationem à Deo accepimus, ita etiam dici potest Gratia distincta à Dono Creationis quælibet notitia veri, & scientia liberalis, quam adquirimus ad ornamentum
3. naturæ nostræ. Probatur istud assumptum. Tum quia sine Dei protectione & directione auferentis impedimenta, quæ esse possent, & offerentis ea, quæ possunt conducere, similes disciplinas adipisci non possumus. Tum quia licèt hæc omnia per aliquas causas naturales nobis subministrentur, tamen, quia Deus has omnes disposuit suâ æternâ providentiâ; idcirco intellectum nostrum ad hæc potiùs, quàm ad illa objecta applicari, Providentiæ suæ ratione non pœnitendâ direxit. Ex cujusmodi adeò gratuitâ Divinæ Providentiæ directione omnis disciplinarum & veritatum naturalium notitia est gratia Dei, non tamen per Christum.

4. Probatur istud assumptum. Nam gratia per Christum est secundùm Divum Augustinum *Epist. 45.* illa, ad quam nobis promerendam Christus mortuus est. At non est mortuus, ut Mathematici, aut Philosophi, aut Rhetores, sed ut justi essemus, & rectè secundùm virtutem viveremus. Ergo quantumvis in his facultatibus proficiamus, illud gratiæ Christi non est deputandum, nisi hæ disciplinæ ad hoc à nobis addiscantur, ut Ecclesiæ Dei proficiamus.

5. Cajetanus *1. 2. q. 109. a. 1.* Suarez *lib. 1. de Grat. cap. 1. & 2.* Sotus *lib. 1. de Grat. cap. 4.* Lorca *præf. disp. 2.* Amicus *præf. disp. 26. n. 33.* Ysambertus Sorbonicus *ad cit. q. 109. a. 2. 4. 5. 7. & 9.* Ioannes à Sancto Thomâ *præf. disp. 10. a. 2. n. 4. 8. 9. & 11.* Serra *cit. q. 109. a. 1. dub. vii.* tenent; hominem non indigere specialis gratiæ auxilio ad veritates naturales sive speculativas, sive plerasque saltem practicas *Divisivè* seu *Distributivè*, bene tamen *Collectivè* cognoscendas. Fundamentum est. Quia illa perfectio, ad quam natura per se ordinatur, se habet per modum Debiti ex ipsâ naturæ proprietate resultantis, atque adeò pertinet ad generalem Dei concursum. Atqui naturæ etiam indifferenter operanti, sicuti est noster intellectus & voluntas, debetur ex proprietate naturæ objectum aliquod proportionatum, ad quod inclinat, licèt cum aliquâ contingentiâ, & fallibilitate. Hoc autem in intellectu est verum, & in voluntate bonum. Ergo in ordine ad tale objectum in intellectu sufficit generalis Dei concursus, ut sic habens rationem Debiti fundati in ipsâ proprietate naturæ licèt indifferentis & contingentis, nisi quoad aliquam circumstantiam specialem in illâ naturæ proprietate, seu debito naturali non fundatam; veluti respectu omnium veritatum *collectivè* sumptarum indigere potest Intellectus speciali gratiâ.

Verùm in quo radicetur ista respectu omnium veritatum naturalium specialis gratiæ indigentia, needum convenit inter authores proximè citatos, Lorcà *citato concl. 1.* existimante; id provenire ex intrinsecâ Intellectûs infirmitate per peccatum inductâ: econtra Suarezio *cit. cap. 1.* & Ioanne à Sancto Thomâ *n. 12.* asserentibus, non ex defectu virtutis intrinsecæ, sed ex impedimentis extrinsecis oriri illam difficultatem seu impotentiam. Quam proinde Ysambertus Sorbonicus *cit. a. 4. & 5.* dicit; esse Moralem, non autem Physicam. Fundamentum est. Quia per peccatum non magis est diminuta virtus Intellectûs ad speculativè cognoscendum, quàm erat in Purâ naturâ; siquidem peccatum non opponatur lumini intellectivo, sed ordinationi rectæ ad Finem. Et hinc Divinus quoq; Dionysius apud Divum Thomam *1. p. q. 64. a. 1.* ait; virtutem naturalem & lumen intelligibile in Angelo non esse diminutum per peccatum. Quare non ab intrinseco est illa per Gratiam specialem sublevanda ad omnes veritates naturales *collectivè* cognoscendas imbecillitas nostra, sed ratione impedimentorum extrinsecorum, prout ad omnes veritates & scientias acquirendas opus esset longissimo vitæ tempore, liberatione à curis & passionibus, magno ingenio ac studio, quæ omnia concurrere simul in uno aliquo, esset extra cursum naturæ ordinarium. 6.

Denique præcitatus Ioannes à Sancto Thomâ *n. 11.* affirmat, circa veritates Practicas idem dicendum esse, quod circa speculativas, nisi quoad illas veritates practicas, quæ efficaciter & primò movent ad actus voluntatis, velut sunt Dilectio Dei, & gravissimæ tentationis victoria indigentes speciali gratiâ. Fundamentum est. Nam quoad veritates speculativas ratio vulnerata non est in ipso lumine, & in principijs, quibus movetur ad cognoscendum, sed solùm ab extrinseco manet impedita. At in ordine ad veritates practicas vulnerata est ratio in ipso lumine. 7.

Probatur istud assumptum. Quia ratio Practica non solùm est cognoscens, sed etiam Efficiens & Movens. Unde non solùm habet pro principijs ea, quæ pertinent ad bene intelligendum, sed etiam ea, quæ pertinent ad bene movendum: omnis namq; motio incipit à Fine tanquàm principio omnium Moralium agibilium, & à virtute prudentiæ ordinabilium. At verò per peccatum homo fit aversus ab ultimo Fine recto. Ergo est vulneratus & diminutus in ipso principio Movendi ad Bonum Efficaciter. Et hinc Sanctus Thomas *2. 2. q. 47. a. 13.* ait; Prudentiam veram & simpliciter dictam, quæ scilicet ordinat ad Bo- 8.

num Finem totius vitæ, non manere in peccatoribus, licèt in ipsis manere possit Prudentia imperfecta inclinans ad unum, vel alterum opus rectè faciendum; non tamen dirigens perfectè ad Finem totius vitæ, & ad rectificationem circa Ultimum Finem. Quamvis igitur fine speciali gratiâ etiam à peccatore possit intelligi aliqua veritas Practica, non tamen omnes etiam *Distributivè* spectatæ.

Conclusio I.

AD cognitionem veritatum naturalium speculabilium *per se loquendo* nõ est necessaria Gratia supra Donum creationis adæquatè spectatum, *per accidens* tamen quoad remotionem impedimentorum & applicationem objectorum opus est Christi gratiâ, ad scientias ejusmodi in gradu saltem *Intensivè* ac *Extensivè* subliniore obtinendas.

9. Probatur. Nam Donum creationis non tantùm importat universas creatas substantias cum ipsarum Proprietatibus & accidentibus connaturalibus, sed sub ipso etiam continentur effectus in Causarum naturalium vi creationis in Universo existentium potentijs virtualiter contenti. Ejusmodi verò potentiæ sunt partim Activæ, partim Passivæ. Si proinde sermo sit de potentiâ scientiarum naturalium Effectivâ, opus est lumine tum intellectuali, tum intelligibili. At verò intellectus humanus ex naturâ suâ habet lumen Intellectuale, potens extendere se ad omnimodæ veritatis naturalis cognitionem, licèt instar tabulæ rasæ indigeat informatione intelligibilium specierum, ut hisce mediantibus actuetur in ratione completi ac perfecti principij Intellectivi. Est autem ipsimet intellectui innata vis, ex phantasmatibus abstrahendi intelligibiles species, easque eatenus sublimandi, ut nulla sit veritas naturalis, quin intellectui inexistat vis formandi intelligibilitatem ipsius repræsentativam. Quantum igitur ad vim quarumlibet naturalium scientiarum effectivam, hæc sufficienter ex Dono creationis

10. competit omni creato Intellectui. Etsi verò ista vis intellectrix eo ipso, quòd creata sit, quoad actum secundum subordinetur causalitati ac Motioni Divinæ Gratuitæ, ad istam tamen ex conditione naturæ suæ per creationem acceptæ habet quandam proportionem connaturalitatis, non quidem in vi Debiti seu exigentiæ ab intrinseco determinati, sed in vi actuabilitatis ab intrinseco proportionatæ ad sui ex Divinæ Causalitatis motione determinativam actuationem. Quæ proinde per Divinæ præmotionis determinationem imprimenda actuatio, licèt saltem *quoad Exercitium* indebita sit, ac ex gratuitâ voluntatis Divinæ præfinientis causalitate descendens, necdum supergreditur lineam creationis. Cùm igitur tota naturæ humanæ intrinseca vis per peccatum non sit destructa, sed perinde ac in statu puræ naturæ maneat integra cum omnibus suis viribus & proprietatibus connaturalibus; consequens est, attentâ ipsâ substantiâ scientiarum naturalium, ad earum acquisitionem nullâ opus esse Gratiâ lineam Doni creationis excedente: quamvis quoad circumstantias seu remotionem impedimentorum, seu applicationem objectorum plerumque interveniat aliquis Divinus influxus supergrediens proportionem lineæ creationis, atque adeò spectans ad specialem Christi gratiam.

Probatur istud assumptum. Nam specialem Christi gratiam vocamus non quemlibet Humanitatis Christi sive moralem ac meritorium, sive physicum influxum in creaturas: ex quo enim Deus Christo homini subjecit omnia, non absurdè dici potest, Christi hominis influxum etiam physicum (veluti de effectibus miraculosis dicetur *in tomo de Incarn.*) se extendere unà cum Divino concursu in omnes naturales quoque actiones hominum præsertim, ut proinde ipsummet etiam Donum creationis ab instanti Totius quasi Universi per Christum instaurati reduci possit in Christi gratiam: quæ tamen non nisi Generalis dici meretur. Quare sub speciali Christi gratiâ censemus illa duntaxat Dona, quæ sive connaturalis exigentiæ, sive actuabilitatis *Connaturaliter* ex Dei influxu determinabilis proportionem lineæ creationis propriam superexcedunt. At verò in scientiarum acquisitionibus interveniunt extraordinariæ motiones lineam creationis supergredientes. Probatur istud assumptum. Etsi enim homines inter & angelos sit connaturalis communicatio conceptuum, sæpe tamen extraordinariæ ex Christi nutu pendentes fiunt, *in substantiâ* licèt naturales illustrationes in ijs, qui sublimioribus scientiarum radijs perficiuntur. Et verò quis applicationem ad studia, remotiones impedimentorum & similia Providentiæ Divinæ specialem ordinationem præsciferentia adscribat lineæ Doni creationis? Imò si teste Aristotele *lib. 7. Moral. cap. de Bonâ fortunâ.* speciali Divino instinctui adscribenda sint bona consilia fortuitò inspirata, an non idem dicemus in ijs, qui in studijs adeò felices habent successus, & inter tot labores firmo animi & corporis vigore ultra vires quasi extraordinarias proficiunt in tantum, ut admirationi esse possint? Quia proinde effectus etiam naturales in hominum beneficium præsertim extraordinarium collati, in Christi hominis influxum ab instanti naturæ etiam per ipsum instauratæ reducuntur, consequens est, illa beneficia eatenus censeri inter gratias Christi, ut eo ipso mereantur nomen specialis gratiæ, quòd excedant proportionem lineæ creationis. 11.

Conclusio II.

COgnitio practica veritatum naturalium in genere Morali ad Bonum incitativa specialiter reducenda est in gratiam Christi.

Probatur. Nam cognitio ejusmodi spectari potest tum secundùm suam substantiam, tum secundùm vim moraliter incitativam & Motivam ad Bonum honestum. Etsi verò talis cognitio quoad substantiam non supergrediatur lineam Doni creationis; siquidem viribus naturalibus, atque adeò innato Intellectuali lumine per peccatum non destructis, integræ maneant vires ad principia Moralia repræsentanda, & conclusiones practicas circa agibilia moralia exinde inferendas. Nihilominùs quia cognitio Boni moralis practicè repræsentativa de suâ ad Honestatem moraliter 13.

incita-

incitativâ vi non parùm amittit, ubi ex Carnis incitamento suggeruntur motiva ad delectationes sensitivas valde ponderosè allicientia. Idcirco vires humani arbitrij in ordine ad Bonum morale etiam naturale, licèt non sint peccato extinctæ, sunt tamen extenuatæ & ad delectabilitatem sensualem inclinatæ. ex Concil. Trident. *cit. sess. 6. de Iustif. cap. 1. in fine.* Et hinc Ioannes à Sancto Thomâ *supra* adductus nervosè probat, rationem in ipso lumine quoad veritates non quidem speculativas, sed practicas esse vulneratam. Quare ut illa carnalis Concupiscentiæ vis allectiva per honestatis moralis oppositum Motivum efficaciter reprimatur, opus est efficaciore ac ponderosiore Boni Moralis repræsentatione, Doni Creationis lineam supergrediente, & consequenter spectante ad specialem Christi gratiam.

Ad Vasquezij *n. 2.* oppositum fundamentum

14. RÉspondetur. In eo displicere, tum quòd acquisitionem scientiarum reducat ad Gratiam à lineâ Doni Creationis omninò distinctam; tum quòd ejusmodi gratiam subtrahat ex lineâ Gratiæ per Christum datæ. Nam utrumque falsum esse, constat ex dictis *concl. 1.* Neque verò absurdum esse, si non tam dicatur Christus mortuus, ut essemus Philosophi, hic enim loquendi modus significat principalem Christi pro aliquo effectu merita sua applicantis intentionem, cujusmodi erat in ordine ad Redemptionem & Iustificationem hominis; quàm merita Christi dicantur ex applicatione secundariæ intentionis habuisse vim promerendi non Angelis duntaxat glorias aliquas accidentales seu revelationes extraordinarias, quàm ipsimet Christi Humanitati Gloriam Restauratoris Mundi, non tantùm quoad effectus supernaturales, sed etiam naturales, ita ut Christi Humanitati vis esset influendi etiam in naturales effectus, eos præsertim, quibus homo perficeretur in suo lumine Intellectuali per scientiarum naturalium acquisitiones; ut proinde istæ ab instanti præfinitæ omnium rerum ad Christi hominis tanquàm Mundi Instauratoris pedes subjectionis, sint gratiæ Christi, *Generales* quidem, quatenus lineam Doni creationis non egrediuntur, *Speciales* verò, secundùm circumstantias illas, sub quibus illam Doni Creationis lineam & proportionem excedunt.

❁❁❁❁❁❁❁(❁)❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA II.

Utrùm in ordine ad omne morale ordinis etiam naturalis opus indigeat homo gratiæ auxilio?

1. FRanciscus de Lugo *1. p lib. 1. de Deo Uno. disp. 4°. cap. 6. n. 1.* duplex moralium etiam naturalium bonorum operum genus ex Divo Augustino *lib. 3. Hypognosticon* distinguit. In primo genere collocat, quæ pertinent ad Deum vel *immediatè*, vel *mediatè*, proximè tamen ut ad Finem, authoremque naturæ: veluti sunt dilectio Dei naturalis, actus religionis, obedientiæ, patientiæ, continentiæ, justitiæ, & quotquot à virtutibus moralibus acquisitis eliciuntur, dicunturque opera pietatis, & honesta simpliciter, perfectaque in genere moris, à quocunque fiant. In secundo genere ponit, quæ licèt aliquàm honestatem habeant, pertinent tamen ad vitam præsentem, valdeque remotè respiciunt Deum Finem, authoremq; naturæ, cujusmodi à Sancto Augustino citato, & Divo Thomâ *1. 2 q. 109. n. 5.* numerantur, velle laborare in agro, edere, bibere, habere amicum, indumenta consuere, fabricare domum, ducere uxorem, artem discere, & similia.

2. Quibus adeò suppositis, idem de Lugo *n. 2.* existimat, deberi homini *Physice* in naturâ nudâ, vel lapsâ ex Dono Creationis, & Conservationis illius extra damnationis statum auxilia sufficientia ad opera bona naturalia primi & secundi generis; siquidem naturæ rationali non minùs, quàm cuilibet alij naturæ debita sint concursus & auxilia necessaria ad operationes connaturales possibiles. Insuper deberi auxilia congrua ad opera secundi generis saltem ut plurimùm, ex debito congruentiæ; licèt uni, vel alteri nonnunquam detur solùm sufficiens. Ad opera verò primi generis econtrà uni solùm, vel alteri homini interdum & *indeterminatè* debere Deum ex congruentiâ dare auxilium efficax, ne frustra esset illa potentia naturalis, si nunquàm prodiret in actum. Unde quamvis excitationem congruam ad opera primi generis in particulari esse speciale beneficium simpliciter, saltem quoad substantiam.

3. Fundamentum primum de operibus secundi generis est. Quia vita hominum præsens, & politica, & propria naturæ humanæ non potest conservari sine operibus illis secundi generis; quippe si nollent homines edere, bibere, interdum quiescere, interdum laborare, valetudini consulere, contraria propulsare, mediaque necessaria ad istas operationes adhibere, perirent penitus. Ergo dum voluit Deus homines condere, ac conservare in statu vitæ præsentis, nec ad ultimam illico damnationem relegare, debuit non solùm sufficientia (quid enim prodesset posse, si nunquam reducerentur ad actum) sed etiam congrua auxilia & media providere. Unde excitatio congrua ad opera ejusmodi, cùm hîc & nunc posset non dari, habet aliquid favoris & beneficij; hoc tamen est quasi appendix, & annexum Dono Conservationis, ad illius integritatem spectans.

4. Fundamentum secundum de operibus primi generis est. Quia natura humana potest conservari cum perfectione physicâ sibi connaturali in suo Esse, & in vitâ Politicâ, sine his operibus primi generis saltem frequenter factis. Ergo ex Dono Creationis, & Conservationis non tenetur Divina Providentia conferre auxilia efficacia ad illos actus, sed satisfacit tali dono, providendo sufficientia, & ad summum rarò & indeterminatè nonnulla efficacia. Et sic locum habet illa communis vox Sanctorum Patrum asserentium, ad opera Pietatis (cujusmodi sunt actus illi primi generis) requiri specialem gratiam.

5. Vasquez *1. 2. disp 190.* cum pluribus Theologis *ibi cap. 2.* citatis negat, posse humanum arbitrium solis naturæ viribus sine gratiæ auxilio per Christum dando facere ullum opus moraliter honestum. Fundamentum desumitur 1. ex sacris litteris; apertè enim dixit Christus *Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.* Et *1. Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti?*

cepisti? 2. ex Authoritate Patrum, speciatim Augustini *lib. de Hæresibus. cap. 88. ubi* de Pelagianis ita loquitur: *Illam verò gratiam Dei, sine quâ nihil boni possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura: ad hoc tamen ipso adjuvante per suam legem, atque doctrinam, ut discamus, quæ facere, & quæ sperare debeamus.* Et *Epist. ad Hilarium 89. Valet,* inquit, *itaque liberum arbitrium ad opera bona, si Divinitùs adjuvetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo: desertus verò divino adjutorio, quantumlibet scientiâ legis excellat, nullo modo habebit Iustitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem.* Item *serm. 13. de Verbis Apostoli circa medium.* contra Pelagianos, qui dicebant, Gratiam Dei nobis dari tantùm ad faciliùs, non ad simpliciter operandum, sic scribit: *Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritûs sancti, prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem, illo non adjuvante, liberâ voluntate, sed malè.* Et subjungit statim. *Cùm dico ubi, sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico: nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.*

6. Amicus *præs. disp. 26. sect. 3. à n. 108.* ex sententiâ plurimorum Doctorum *ibi* allegatorum censet, posse hominem viribus proprijs cum solo concursu generali efficere aliquod opus virtutis moralis. Fundamentum 1. est ex sacris litteris, nominatim *ex Roman. 2. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* 2. ex Authoritate Patrum, nominatim Sancti Augustini *lib. de Spiritu. cap. 28. Veruntamen quia non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsâ impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Item cùm priùs dixisset, illos, qui Deum verâ pietate non colunt, habere tamen quædam opera bona in vitâ impiâ, rationem hujus reddens, paulò pòst subjiciens ait: *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, quâ legitimum aliquid natura rationalis & sentit & facit; sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam; legem habet immaculatam, & convertentem animas, ut ex illo lumine renoventur.* 3. Ex Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. in quâ inter alias propositiones Baij damnatas ordine septima extat. *Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

7. E Thomistarum Scholâ Ioannes à sancto Thomâ *præs. disp. 19. a. 3. n. 5.* concludit, hominem non indigere ad quodcunq; opus morale Bonum speciali gratiâ Dei. Fundamentum ex ratione *n. 16.* deductum est. Quia datur lex naturalis in nobis etiam post peccatum. Ergo promulgatio & propositio talis legis debita est ex vi creationis & impositionis legis naturalis. At promulgatio & propositio legis ejusmodi fit mediâ cognitione & cogitatione, quæ utique sancta & honesta est habens rationem auxilij voluntatis innatæ ad Honestatem naturalem inclinationis sufficienter excitativi. Ergo non est indebitum nostræ naturæ auxilium sufficiens ad bene operandum aliquod bonum opus. At nulli formæ, vel naturæ debitum est sufficiens principium ad operandum & indebitum omne auxilium congruum ad operandum de facto. Probatur istud assumptum. Nam inde est aliquid indebitum. Quia est præter concursum ordinarium. Quòd autem auxilium sufficiens, sed principio & forma potès operari, aliquando de facto operetur, non est præter concursum ordinarium, nisi taliter impediatur, quòd ad tollenda impedimenta sit necessarium auxilium extraordinarium. Ergo sine gratiâ speciali voluntas habens sufficiens auxilium, de facto habebit efficax, nisi ratione alicujus impedimenti per accidens non autem ex vi naturæ contingentis præcisè, indigeat extraordinario concursu.

CONCLUSIO.

AD omne opus morale necessaria est gratia Generalis non improbabiliter per Christum conferenda: Gratia tamen Specialis Christi non per se, sed per accidens ratione circumstantiarum saltem ut plurimùm est necessaria.

Probatur. Nam 1. licèt per Donum Creationis homini collata sint tum principia moralis naturalis Honestatis in intellectu repræsentativa, tum connaturalis ad Honestatem taliter repræsentatam in voluntate inclinatio, & vis prosecutiva: vi cujus adeò intelligibilis repræsentationis, & innatæ ad Honestatem in intellectu expressam propensionis ac vis prosecutivæ, potest per vires ex Dono Creationis acceptas homini sufficiens esse auxilium ad actus in ordine naturali moraliter bonos eliciendos. Attamen ut actu operetur morale bonum, requiritur præterea adjutorium Dei dans velle & operari, juxta illud *ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Hinc enim sanctus Augustinus contra Pelagium *lib. 1. de Gratiâ Christi. cap. 5.* sic argumentatur. *Et ut ferrent, quia non tantùm in eo, quòd operari possint, (hoc enim in naturâ, & in doctrinâ jam acceperant.) sed etiam in eo, quòd operantur, Divinitùs adjuvantur.* Non ait, Deus est, qui operatur in vobis posse, *tanquàm ipsi jam velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adjutorio ejus indigeant:* sed ait: Deus est, qui operatur in vobis & velle & operari, *vel sicut in alijs & maximè Græcis Codicibus legitur,* & velle operari. 8.

9. Ex quibus adeò patet, supra vires ex Dono Creationis acceptas in ordine ad omnem ordinis etiam naturalis moraliter bonum actum opus esse adjutorio Dei dante ipsum velle, & operari. Hoc autem adjutorium descendens ex alto à Patre Luminum est gratia. Consequens igitur est, ultra vires moraliter bene intra Honestatis naturalis lineam operandi, necessariam esse Gratiam; Divo Thomâ *2. 2. q. 136. a. 3. ad 2.* sic attestante: *Ad secundum dicendum, quòd bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ, & ideo absque auxilio gratiæ gratum facientis potest voluntas humana in illud tendere, licèt non absque auxilio gratiæ Dei.* Nihilominùs hoc gratiæ adjutorium venire adhuc sub gratiâ Generali, sic ostenditur. Etenim sub istâ Generali gratiâ venit non primæ duntaxat creationis Donum, naturalium ad Bonum Morale Politicum, & Naturale virium collativum. De ejusmodi namque Dono Sancti Patres, nominatim Augustinus super illud *Psal. 144. Et justitiâ tuâ exultabunt, ait: Attendamus ergo gratiam Dei non solùm, quâ fecit nos, verùm etiam, quâ refecit.* Et *epist. 95. Etsi enim quædam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, quâ creati sumus.* Verùm insuper sub generali gratiâ venit, quidquid gratuiti ac indebiti beneficij adhuc continetur intra lineam proportionis potentiarũ activarum & 10.

Passiva-

passivarum ex creationis conditione *Connaturaliter* inexistentium. At verò licèt nullus hominum habeat ex innatis suis viribus intrinsecam ex se determinatam connaturalitatis exigentiam Divini ipsum velle, & operari moraliter honestum alioquin naturale conferentis adjutorij; attamen istud adjutorium est intra lineam proportionis viribus creati arbitrij intrinsecæ non quidem *Formaliter* ex se determinatæ, sed quà potentialis & actuabilis. Ergo saltem quoad substantiam censeri adhuc debet sub Gratiâ Generali ad lineam proportionis creationis spectante.

11. Hoc tamen haud obstante, *tertiò* verosimiliter dicere licet, istam Generalem Gratiam posse reduci in Christum quà naturæ etiam Instauratorem. Nam uti *supra* dicebamus, ex quo Christi Humanitati omnia entia etiam naturalia sunt subjecta, credere fas est, nihil beneficij etiam naturalis contingere nobis, nisi per Christum, hinc enim quæcunque etiam naturalia bona non tantùm *Indirecte* in ordine ad Beatitudinem, sed etiam *Directe* secundùm se spectata petimus per Christum, hinc etiam Missæ sacrificium habet valorem Bonorum temporalium *Directe* impetratorium, hinc denique dicere licet, Verbum Divinum Incarnatum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, quatenus nullus etiam infidelium non aliquâ luce honestæ alicujus operationis in istâ vitâ donatur per Christum. Ejusmodi porro honestatis naturalis Divino ipsum velle & operari Moraliter Bonum dantis adjutorio donatam
12. participationem asserimus *Quartò* in suâ quidem substantiâ spectatam per se loquendo reduci debere ad gratiam Dei Generalem, attamen per accidens ratione circumstantiarum ut plurimùm saltem intervenire aliquid de speciali gratiâ Christi. Etenim sub istâ speciali Christi quà Naturæ etiam Instauratoris gratiâ venit, quidquid excedit creationis lineam, ejusque proportionem. Ejusmodi verò est, quod in nullâ naturæ creatæ potentiâ vel activâ, vel passivâ eatenus radicatur, ut in ordine ad Beneficium ejusmodi habeat ex se proportionem alicujus saltem actuabilitatis potentialis. At verò licèt ex peccato Originali non contraxerimus debitum carendi ullâ Puræ naturæ statui secundùm lineam tum *Esse Physici*, tum *Esse Moralis* cõgruente perfectione: quia tamen peccatum actuale præsertim mortale non solùm supernaturali ad gratiam elevationi, sed Honestati etiam naturali adversatur, ac intra moralitatis quoque naturalis lineam Divinæ offensæ malitiam simpliciter infinitam continens de se natum est concitare Divinam indignationem omnis ad moralem naturalem etiam honestatem auxilij præsertim efficacis denegativam. Idcirco vi talis peccati eatenus infecta est anima rationalis; ut non nisi secundùm gratiam alicujus de Debito per peccatum mortale actuale contracto reatûs remissivam Deus immittere jam possit efficax ad naturalia moraliter honesta opera auxilium. At nullum peccati mortalis debitum est remissibile, nisi secundùm gratiam specialem Christi. Consequens igitur est, efficax ad opus naturale *moraliter* honestum adjuvans auxilium saltem ut plurimùm esse secundùm specialem Christi gratiam, maximè cùm multa plerumque ad morale Bonum interveniant impedimenta, quorum remotio creationis, ac virium ex hac acceptarum lineam & proportionem sit excedens, atque adeò pertinens ad Christi specialem gratiam.

Responsio ad opposita Fundamenta.

AD Francisci de Lugo *à n. 1. usque ad 4. inclusivè* 13.
expositam doctrinam, ejusque fundamenta Respondetur. Displicere, tum quòd opera Pietatis naturalis, seu actus bonos primi generis simpliciter videatur reducere ad lineam specialis gratiæ Christi, tum quòd opera moraliter bona secundi generis videatur omnìmodè subtrahere speciali Christi gratiæ. Nam quia illa Pietatis opera secundùm substantiam sunt intra lineam & proportionem naturæ per creationis Donum acceptæ, non simpliciter, ac per se, sed per accidens ratione circumstantiarum sunt reducenda ad specialem Christi gratiam. Ut sic autem sub hujus specialis gratiæ lineâ comprehendi possunt etiam opera secundi generis, cùm videamus aliquem singulari fortunâ juvari in administratione Oeconomicâ secundùm veram prudentiæ, non autem astutiæ cujusdam rationem peragendâ, ut in removendis quibusvis obvijs impedimentis ad singularem sane admirationem felicissimè procedant, in cujusmodi adeò casibus & consilijs per omnia fortunatis lineam ac proportionem creationis, seu virium ex hac acceptarum excedentibus intervenire debet aliquando specialis naturalis licèt gratia, quam ab instanti omnium ad Christi ceu Universi & Naturæ Instauratoris pedes subjectionis jam esse per Christum, *supra* ostendimus.

Ad Vasquezij *n. 5.* opposita fundamenta re- 14.
spondetur. Illos sacros textus, & authoritates plus non probare, nisi quòd in omni opere moraliter bono interveniat necessariò adjutorium gratiæ supra vires moraliter bene operandi ex Dono creationis acceptas dans ipsum velle & operari. Hoc autem, respectu operum moraliter Bonorum naturalium tamen, Gratiæ ipsum velle & operari dantis adjutorium esse quidem per Christum, necdum tamen secundùm substantiam esse excedens lineam & proportionem creationis seu potentialitatis ex creatione subsistentis connaturaliter actuabilis. Ergo adhuc censeri debere sub Dono Gratiæ Generalis, non autem specialis; veluti *supra* ostensum est.

Ad Amici *n. 6.* proposita fundamenta Re- 15.
spondetur. Nos quoad præsens punctum haud discordaturos ab Amico, si Divinum ad illa opera intervenientem concursum eatenus negaret saltem quoad substantiam contineri sub speciali Christi gratiâ, ut tamen concederet, ejusmodi adjutorium Dei dans ipsum velle & operari, in vi causalitatis efficientis esse antecedens voluntatis nostræ liberam etiam conditionalem determinationem, seu hujus futuritionem.

Ad Ioannis à sancto Thomâ [illegible] 7. propositum 16.
fundamentum Respondetur. Id nobis omnino probari, si tamen cum moderatione congruâ intelligatur illa propositio, quâ dicitur: Nulli formæ, vel naturæ, cui debitum est sufficiens operandi principium, esse indebitum omne auxilium congruum ad operandum de facto. Hujus enim enuntiationis duplex potest esse sensus; alter *Positivus*, quòd scilicet naturæ habenti ex se sufficiens operandi principium sit *positivè* debitum aliquod auxilium congruum ad operandum de facto. Alter verò sensus est *quasi Negativus*, quòd scilicet Naturæ habenti ab intrinseco sufficiens principium operativum; sit, respectu Divinæ ipsum velle & [illegible] operari

operari dantis causalitatis proportio potentialitatis per velle & operari Divinitùs donatum eatenus actuabilis, ut hoc ipsum tamen operari procedat etiam ex voluntate, ceu Causâ secundâ secundùm vim suam Dominativam ac Electivam, atque adeò liberè cooperante. In quo proinde posteriore, ex parte nostræ per naturalia principia ad Honestum naturale de se sufficientis voluntatis non tam aliquod respectu congrui ipsum velle & operari conferentis auxilij debitum, quàm potentiali atem ex tali Divino adjutorio, liberâque nostrâ cooperatione actuabilem importante sensu accipimus illam ex Ioanne à sancto Thomâ deprompt;am propositionem, atque sic cum isto authore circa præsens punctum optimè concordamus.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

Utrùm ad excellentiores ordinis naturalis actus morales v.g. dilectionis Dei super omnia opus sit speciali gratiâ?

1. SCotus *in 3. dist. 27. q. un. n. 21.* Lychetus *ibi.* necessitatem gratiæ specialis ad Deum super omnia diligendum videtur eo ipso negare, quòd asserat, posse Deum super omnia diligi non solùm ex charitate infusâ, sed ex naturalibus in statu naturæ saltem integræ. Fundamentum asserri potest. Quia Deus tanquàm summum super omnia diligibile Bonum & Finis naturalis se habet in moralibus per modum Primi Principij. Sicut ergo Intellectus ex innatâ suâ virtute ferri potest in sua Prima Principia, sic videtur dicendum, posse voluntatem viribus suis naturalibus tendere in Deum quà diligibilem super omnia.

2. Adstipulatur saltem ex parte Amicus *præs. cit. disp. 26. sect. 5. à n. 26.* docens; Hominem lapsum viribus proprijs posse Deum ut Authorem & Finem naturæ diligere non tantùm amore Concupiscentiæ, sed imperfecto Benevolentiæ amore, imò cùm perfectus amor amicitiæ in Deum Finem naturalem sit quoad substantiam naturalis, contineri intra sphæram facultatis naturalis creaturæ rationalis, proindeque possibilem esse physicè ex solis naturæ viribus. Fundamentum est. Quidquid enim naturale est intellectui in cognoscendo, naturale est voluntati in appetendo. At istud Dictamen: *Deus est super omnia diligendus*, cuilibet intellectui creato est naturale: fluit enim ex duobus principijs naturalibus, vno *speculativo*; *Deus est summè Bonus*: ex quo elicitur hæc conclusio. *Ergo est summè amabilis*: altero *practico, Deus est communicativus omnium bonorum naturalium*: ex quo eruitur ista conclusio; *Ergo est summè diligendus à creaturis.* Quia ergo illa duo principia naturaliter cognoscuntur à creaturâ rationali; consequens est, ab hac *naturaliter* formari istud dictamen practicum. Ergo voluntas huic dictamini se conformando, ex suis proprijs viribus *physicè* loquendo, potest Deum super omnia diligere.

3. Divus Thomas *præs. q. 109. a. 3* docet, homini in statu naturæ integræ non futurum fuisse necessarium Divinæ gratiæ gratuitum auxilium, viribus naturalibus super additum, ad Deum super omnia naturaliter diligendum: quamquàm Dei ad hoc moventis auxilio ipsi opus fuisset: at in statu naturæ corruptæ indigere ad hoc gratiâ naturam ipsam sanante. Fundamentum est. Quia unicuique naturale est, quòd appetat & amet aliquid, secundùm quod aptum natum est esse. Manifestum est autem, quòd Bonum partis est propter Bonum Totius. Unde naturali appetitu, vel amore unaquæque res particularis amat bonum suum proprium propter bonum commune totius Universi, quod est Deus. Div. Dionys. *de Div. Nom. cap. 4.* attestante; *quòd Deus convertat omnia ad suipsius amorem.* Quare homo in statu naturæ integræ relaturus fuisset suipsius, omniumque aliarum rerum dilectionem ad amorem Dei, sicut ad finem, & ita Deum fuisset dilecturus plus, quam seipsum, & super omnia. At verò in statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit secundùm appetitum voluntatis rationalis, utpote propter naturæ corruptionem sequentis bonum privatum, nisi sanetur per gratiam. Quamvis igitur homo in statu naturæ integræ non indiguisset dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum super omnia naturaliter, sed auxilio duntaxat Dei ad hoc moventis: attamen in statu naturæ corruptæ indiget auxilio gratiæ naturam sanantis.

4. Ioannes à sancto Thomâ *præs. disp. 19. a. 1. à n. 16.* illam Doctoris sui Angelici doctrinâ accipit de amore Dei ex parte tam effectûs, quàm affectûs efficaci. Fundamentum est. Quia amor Dei dicitur efficax in effectu, quando in nullo opere, quod exequitur, præfert bonum privatum Deo, sed omnia mandata implet, & nulli tentationi cedit. Hoc autem est super cursum ordinarium voluntatis lapsæ, quæ secundùm suam naturam est valde mutabilis, & non potest resistere gravibus tentationibus & propensioni appetitûs sensibilis. Unde habere tantam firmitatem, quòd vincat omnem mutabilitatem suam, & omnes tentationes, ac rebelliones passionum, est opus hominis maximè sani, & sic indiget gratiâ superante ordinarium cursum, atque adeò gratiâ speciali. Hinc autem fit, quòd etiam efficacia in affectu & intentione ad omnia ista superanda propter dilectionem Dei, sit amor excedens ordinarium naturæ infirmæ cursum. Probatur istud assumptum. Quia talis efficacia ex parte voluntatis & intentionis firma: animum ad implenda omnia mandata, & ad non peccandum ex quàcunque tentatione, sed referendum omnia in Deum. At vi talis firmitatis voluntas firmatur contra omnem mutabilitatem ex objectis graviorum etiam tentationum accidere solitam. Ejusmodi verò firmitas superat ordinarium modum naturæ infirmæ & lapsæ: imò est supremus actus inter morales hominis sani & roborati cùm sit amor *Virtualiter*, sed *Efficaciter* intendens implere omnia mandata. Consequens igitur est, in statu naturæ corruptæ ad illam dilectionis Dei efficaciam habendam opus esse speciali gratiâ Christi. Unde Divus Augustinus *l. b. de Grat. & libero arbit. cap. 18.* cùm illam naturalem utpote in Decalogo virtualiter contentam legem, *Diliges Deum, &c.* explicuisset, sic ait: *Unde est in hominibus Dei charitas & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.*

CON-

CONCLUSIO.

Adjutorium Dei, vi cujus datur efficax Dei super omnia *virtualiter* saltem appretiativa dilectio naturalis in statu naturæ corruptæ, eo ipso habet rationem gratiæ specialis, quòd practica & affectiva ad Dilectionem Dei cognitio naturæ corruptæ proportionata nequeat sufficiens esse ad efficacem ejusmodi dilectionem excitandam, seu *specificativè* movendam.

5. Probatur. Quia efficacia dilectionis Dei super omnia appretiativæ importat immobilitatem affectûs taliter firmati in Deo tanquam Bono super omnia appretiabili, ut vincat omnis alterius objecti vim allectivam & attractivam. At verò ad talem affectûs immobilitatem habendam ex parte voluntatis præter vim Dei quà summi Boni naturaliter appretiativam ex parte potentiæ seu actûs primi se tenentem, requiritur Divinus concursus, sive adjutorium dans ipsum velle in Deo quà summo Bono summæ appretiationis immobilitate firmatum. Eo ipso autem, quòd nihil sit volitum nisi quà præcognitum, oportet ex parte intellectûs esse repræsentatam Dei quà Boni super omnia appretiabilis rationem objectivam. Quia verò hæc ipsa boni ratio debet esse *finaliter* motiva, & ut sic specificativa dilectionis, oportet, illam Dei quà summi Boni rationem objectivam non *speculativè*, sed *practicè* sub vi *moraliter* allectivâ, & voluntatis excitativâ esse propositam. Unde cùm Deus voluntati ex suâ quidem naturâ vim Dei quà summi Boni & Ultimi Finis naturalis appretiativam habenti conferendo adjutorium dans ipsum Velle, secundùm cursum saltem ordinarium accommodet se naturæ voluntatis: hæc verò nullam ex Essentiæ suæ conditione habeat vim prosecutivam objecti nisi quà secundùm intelligibilem sui repræsentationem motivi; consequens est, secundùm cursum ordinarium non dari à Deo adjutorium dans voluntati nostræ velle Dei quà Finis naturalis prosecutivum, nisi in quantum ista Dei prosecutio & appretiatio sit proportionata Intelligibili Dei summi Boni repræsentationi. At eo ipso, quòd natura corrupta secundum partem etiam rationalem sit immersa portioni sensitivæ, nequit ex proprijs viribus habere cognitionem Dei quà summi super omnia appretiabilis Boni non *tantùm speculativè*, sed *practicè & motivè* & quoad specificationem efficaciter repræsentativam.

6. Probatur istud assumptum. Quia corruptæ naturæ statum omnino excedens est partis sensitivæ ad supremam rationis portionem perfecta subordinatio. At sub illâ practicâ quoad specificationem efficaciter motivâ Dei quà summi Boni ratione importatur inferioris sensitivæ partis ad supremam rationis portionem subordinatio secundùm lineam specificationis omnino perfecta. Minor ista probatur. Nam eo ipso, quòd ex parte intellectûs taliter sit repræsentata Dei quà *practicè* & *motivè* summi Boni ratio, ut stante ejusmodi repræsentatione nullum creatum Bonum Deo Ultimo Fini quomodolibet disconveniens possit repræsentari sub aliquâ appretiabilitatis *practicè* motivâ Bonitate, sequitur, supremam rationis Ultimum Finem *practicè* repræsentantis portionem adeò perfectam esse, ut omnia bona creata sub ratione appretiabilitatis sibi subordinet. At hoc ipsum est, quòd secundùm talem subordinationem pars sensitiva secundùm omnia objecta sibi proportionata & appetibilia secundùm lineam specificationis, id est, appretiabilitatis actuum amoris specificativæ, sit omnimodò subjecta supremæ rationis portioni. Cùm igitur ista perfecta partis sensitivæ ad rationem subordinatio sit propria naturæ integræ, sitque excedens statum naturæ corruptæ; evidenter sequitur, in hoc statu intervenire gratiam specialem, dum alicui ex parte intellectûs conceditur Dei quà Ultimi Finis repræsentatio proportionata ad efficacem Dei super omnia dilectionem *specificativè* movendam. At eo ipso, quòd ista ad dilectionem Dei etiam *virtualiter* super omnia appretiativam proportionata Intelligibilis repræsentatio sit superexcedens proportionem naturæ corruptæ, sequitur, etiam adjutorium Divinum dans ipsum in Deo quà super omnia appretiato firmatum velle, esse supra lineam proportionis status illi naturaliter congruentis. Ergo tale quoque adjutorium erit gratia specialis. Ergo in statu integræ, non autem corruptæ naturæ potest homo Deum super omnia appretiatione efficaci diligere.

Responsio ad opposita fundamenta.

7. Ad *n.* 1 & 2. opposita fundamenta Respondetur. Deum tanquam summum super omnia diligibile Bonum posse repræsentari ex parte intellectus tum *speculativè*, tum *practicè*. Insuper practicam Dei quà summi Boni repræsentationem aliam esse perfectam, in lineâ motivi voluntatis actuum specificativi subordinantem omnia Bona creata: aliam verò esse imperfectam non sub tantâ appretiabilitatis quà *practicè* motivæ vi & efficaciâ Dei quà summi Boni expressivam, quin stare possit cum cognitione Boni creati Deo licèt subordinati quoad appretiabilitatis suæ vim allectivam, & *specificativè* motivam. Quare inspecto naturæ corruptæ statu, hanc, non verò illam practicam Dei quà summi Boni intelligibilem repræsentationem censendam esse in Primo Moralium agibilium Principio. Unde etiam voluntatem sub connaturali ad talem intelligibilem repræsentationem proportione prosecutivam Dei quà summi Boni, non posse in naturæ corruptæ statu habere dilectionem Dei super omnia sub efficaciâ specificationis *simpliciter* & *omnimodè*, sed *secundum quid* duntaxat perfectâ appretiativam; veluti probant fundamenta *n.* 3. & 4. deducta.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTROVERSIA IV.

Utrùm ad vincendas omnes tentationes saltem graviores, atque ad totam legem adimplendam intra limites naturalis honestatis sit necessaria gratia specialis?

1. Circa primam de tentationum victoriâ difficultatē Bellarminus *lib. 5. de grat. cap. 7.* Vasquez *t. 2. disp. 189. à cap. 8.* existimant, & su-

& fusissimè probant, nullam, ne minimam quidem tentationem vinci posse absque speciali gratiæ per Christum dandæ auxilio. Fundamentum primum peti potest ex sacris Litteris, in quibus omnis victoria tentationum adscribitur Deo *Psal. 17. In te eripiar à tentatione.* Et *Matth. 6. Ne nos inducas in tentationem.* Unde Concilium Arausicanum *Can. 22.* definit: *Quod nemo habeat de suo nisi mendacium & peccatum.*

Secundum ab Authoritate Patrum, præsertim Augustini *lib. 22. de Civit. cap. 13.* ubi sic habetur: *Ne in hoc bello laborum, periculorumque plenissimo, vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur, sed ejus gratiæ, de quo ait Apostolus, Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Tertium ex ratione. Cùm enim natura rationalis ad suos actus eliciendos non solùm egeat cooperatione Causæ Primæ, ut cæteræ res creatæ, sed etiam peculiari motione ex parte intellectûs, quâ ad hoc potiùs, quàm ad illud opus applicetur; cùmque in ejus potestate non sit, hac potiùs cogitatione, quàm aliâ præveniri, peculiare Dei beneficium erit, reipsâ moveri ad resistendum tentationi ex motivo honesto virtutis mediâ congruâ cogitatione, quam Deus vel per seipsum, vel per causas naturales ab eo dispositas & ordinatas exhibet ut indebitam naturæ, atque adeò per Christum.

2 Scotus *in 2. dist. 28. q. un.* & alij inducuntur ab Amico *præs. disp. 26. sec. 4. n. 106.* quasi docuisset; posse hominem lapsum sine gratiâ cum solo auxilio generali vincere omnes tentationes etiam graves provocantes ad transgressionem Iuris naturalis. Verùm ex Authore Scholiorum *in cit. locum n. 7.* videre licet, subtilem Doctorem vel non loqui de omni peccato cavendo, atque adeò de omni tentatione vincendâ *Conjunctim*, sed *Divisim*, vel si sic, intelligi debere de potentiâ physicâ, non morali.

Iuxta quam expositionem Doctor *citatus* non omnino discordat ab Amico *citato n. 109.* docente, non posse hominem lapsum absque speciali per Christum auxilio vincere omnes tentationes etiam leves contra præcepta naturalia, non defectu potentiæ physicæ, sed moralis. Fundamentum est. Nam licèt tota lex naturalis, omnesque tentationes contra illam etiam *collectivè* sumptæ contineantur intra objectum naturale liberi arbitrij creati, quia tamen voluntas in operando regulatur ab intellectu, medianre sensu varia illi objecta sensibilia varijs temporibus proponente. Idcirco naturâ suâ instabilis est, ut *moraliter* sit ipsi impossibile, diu servare eundem rectè operandi modum.

3 Ysambertus Sorbonicus *præs. disp. 5. a. 1. & a. 4.* Marcus Serra *ad præs. q. 109. a. 8. dub. 1.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 19. a. 3. n. 5. & a. 4. n. 7.* docent: hominem non indigere quidem gratiâ speciali ad quamcunque tentationem levem vincendam, attamen ad resistendum tentationibus gravibus, sine speciali gratiâ Dei non esse vires in voluntate. Fundamentum est. Nam tentatio est propositio objecti allicientis, & attrahentis voluntatem. Ex ejusmodi autem objecti propositione enervantur illæ vires, quas voluntas sumit ex objecto conveniente sub ratione honesti repræsentato. Et hinc vehementia passionis in hoc consistit, quòd non sinat apparere & considerari objectum conveniens: veluti insinuatur *Psal. 9. Auferuntur judicia tua à facie ejus.* Exinde verò sequitur, quòd, cùm actus voluntatis dependeant ex motivo per intellectum repræsentato, per tentationem debilitetur affectus voluntatis erga bonum honestum. Unde non manet principium intrinsecum, positâ gravi tentatione, per quod possit superari. Ergo oportet, id conferri ab Extrinseco, tum proponendo efficacius motivum contra objectum tentationis; tum confortando affectum voluntatis, ut firmiter perseveret. At concursus & auxilium dans istas vires non operatur juxta principia subjecti, cùm potiùs subjectum sit inclinatum à vehementi tentatione in oppositum. Ergo non est debitum ipsi subjecto, sed pertinebit ad speciale auxilium.

Circa secundam, de solius legis naturalis, quoad substantiam & modum naturæ secundùm puræ naturalia consideratæ debitū, adimpletione, difficultatē; ex parte Negativâ moveri potest duplex fundamentū. *Primum* Quia Deus non præcipit impossibilia. Ex Concilio Tridentino *Sess. 6. de Iustif. cap. 11.* At inspectis puris etiam naturalibus, secundùm hanc præcisam lineam in statu naturæ etiam corruptæ adhuc tenet obligatio omnium præceptorum naturalium. Nequit autem intra præcisam purorum naturalium lineam intelligi aliqua gratia specialis, sed generalis duntaxat spectans proportionem naturæ quâ terminantis creationem. Oportet igitur, omnia naturalia præcepta posse absque speciali gratiâ servari in statu naturæ etiam corruptæ. *Secundum.* Nam quatenus vitare possumus omnia peccata, possumus adimplere totam legem. At intra lineam puræ naturæ possumus vitare omnia peccata, cùm alioquin non possent intra hanc lineam peccata esse, siquidem nullum sit peccatum, quatenus ejus fugiendi in nobis non est potentia. Ergo intra lineam puræ naturæ possumus uti potentiâ adimplendi totam legem. Ergo ut sic non egemus speciali gratiâ. 4 5

Verùm his non obstantibus, conformiter ad ea, quæ circa primam hujus controversiæ difficultatē deducta sunt, Martinus Esparza *de grat. q. 12.* Ioannes à S. Thomâ *cit. disp. 19. a. 4.* concludunt, in statu tam puræ, quàm corruptæ naturæ requiri gratiam specialem, ut tota lex adimpleatur. Fundamentum desumitur ex naturali mutabilitate voluntatis, & debilitate rationis proponentis, & rebellione appetitûs ad spiritualia; unde insurgunt graves tentationes contra rationem. Quæ omnia vincere præsertim perseverando (siquidem perseverantia etiam cadat sub legem) est supra naturale debitum, & cursum ordinarium nostræ naturæ. Ergo petit specialem gratiam, quæ sanet istam infirmitatem. Et quia ista infirmitas interna est, atque vires, quæ deficiunt, intrinsecæ sunt, licèt distinctæ ab entitate potentiæ, oportet, illam gratiam sanantem esse internam, & non solùm externam protectionem Dei tollentis impedimenta extrinseca. 6

Conclusio.

Ad vincendas tentationes graves, & totam legem naturalem adimplendam, ex parte adjutorij seu concursûs Divini ipsum velle in actu secundo conferentis est *simpliciter* necessaria gratia specialis: ex

ex parte verò potentiæ seu virium in actu Primo non *simpliciter*, sed *secundùm Quid* est necessaria gratia specialis.

7. Probatur. Nam urgente gravi tentatione potest quidem ex parte Intellectûs adhuc stare infirmior quædam repræsentatio honestatis tentationi ad malum incitanti oppositæ, eo ipso tamen, quòd gravis sit tentatio, oportet, motivum tentationis ex suâ repræsentatione intelligibili sub ratione motivi attractivi, & allectivi notabiliter præponderare motivo virtutis seu honestatis oppositæ. At stante ejusmodi objectivâ duplicis oppositi motivi Intelligibiliter expressivâ indifferentiâ, simpliciter stat in voluntate vis Dominativa & Indifferentia Electiva, seu potentia in actu primo ad utrumlibet sui determinativa. Hac verò Electivâ in actu primo indifferentiâ præsuppositâ, pro actuali ad Motivum virtutis determinatione liberâ, ceu tentationis oppositæ victoriâ, opus est adjutorio Divino, ipsum velle & operari, sive actualem liberam determinationem, atque adeò tentationis victoriam conferente. Ejusmodi verò adjutorium sicut in omni actu *moraliter* bono licèt naturali est gratia, veluti constat ex *supradictis*; sic est gratia specialis, quoties superexcedit lineam & proportionem creationis. At eo ipso, quòd motivum ex parte tentationis per sui intelligibilem longe efficaciorem repræsentationem sit notabiliter ponderosius motivo ex oppositâ honestatis parte confusè proposito, sequitur, adjutorium dans velle Bonum, atque adeò tentationis victoriam esse gratiam, quæ superexcedat lineam & proportionem creationis.

8. Probatur istud subsumptum. Nam duplici modo intelligi potest Deus, stante illâ gravi tentatione, conferre tentationis victoriam: *Primò* dando velle Bonum tentationi oppositum, quin secundùm aliquam naturæ prioritatem priùs infunderet vel intellectui illustrationem internam motivi tentationi contrarij repræsentativam, vel voluntati affectionem aliquam ad motivum illud inclinativam. In hoc autem casu, licèt ex parte voluntatis illâ gravi tentatione pulsatæ sit vis super tentationis Motivum Dominativa, atque adeò actûs virtutis tentationi adversantis in actu primo liberè electiva: attamen ista vis eatenus stat sub ratione potentiæ in actu primo *physicè* liberæ, ut tamen ex suâ essentiali ad Divinum concursum subordinatione non possit prodire in actum, nisi Deus immittat adjutorium dans ipsum velle & operari. At eo ipso, quòd motivum tentationis ex suâ per intelligibilem expressionem excitatâ allectivâ vi fortius sit oppositæ virtutis motivo, fit consequens, quòd voluntas taliter incitata, licèt in actu primo vim habeat super istâ allicientiâ Dominativam, ex quâdam connaturalitatis propensione potiùs exigat actum ex motivo tentationis allectum. Unde si Deus tunc immittat adjutorium dans velle Bonum tentationi oppositum, superat quandam connaturalitatis, non quidem necessitantis, sed inclinantis voluntati intrinsecam exigentiam. At eo ipso, quòd adjutorium Dei dans velle Bonum tunc esset superexcedens istam connaturalitatis exigentiam, excederet lineam proportionis creationi præcisè respondentis, atque adeò haberet rationem gratiæ specialis. Patet proinde, in illo priori casu ad victoriam tentationis *simpliciter* requiri gratiam specialem non quidem supernaturalem, sed in substantiâ naturalem, superiorem tamen illâ connaturalitatis inclinativæ exigentiâ.

Secundò igitur, stante gravi tentatione, posset intelligi Deus conferre victoriam eatenus dando velle Bonum tentationi oppositum, ut secundùm prioritatem naturæ priùs infudisset intellectui illustrationem motivi tentationi oppositi repræsentativam, & voluntati fortiùs applicativam. Ejusmodi verò illustratio, vel etiam voluntatis ad motivum tentationi oppositum inclinativa affectio divinitùs impressa, licèt ad actum primum, sub quo stat physica tentationem ejusmodi vincendi potentia libera, non sit *simpliciter* necessaria, sed *secundùm quid*, ad hoc duntaxat, ut illi potentiæ physicè liberæ secundùm quandam connaturalitatis in actu primo inclinantis exigentiam Deus immitteret velle liberum motivi tentationi oppositi prosecutivum. Nihilominùs ex hoc ipso arguitur, quòd adjutorium Dei velle Bonum, ceu tentationis victoriam conferens in illo etiam casu respectu actûs secundi se habeat ut gratia specialis *simpliciter* necessaria. 9.

Probatur istud subsumptum. Nam licèt velle Bonum in illo casu sit secundùm quandam connaturalitatis voluntati Divinitùs impressæ, & ad motivum Bonum inclinativæ exigentiam, præsupponit tamen illam Divinam in actu primo se tenentem impressionem, tanquam gratiam lineâ & proportione creationis superiorem. Unde oportet, ipsum etiam adjutorium Dei volitionem Bonam, ceu victoriam tentationis, ex præsuppositâ illâ connaturalitatis inclinantis gratiosè concessæ exigentiâ conferens habet rationem gratiæ specialis. At verò illud ipsum adjutorium dans velle Bonum est *simpliciter* necessarium ad actum secundum ceu actualem tentationis victoriam. Manifestum igitur est, urgente gravi tentatione, (idem est de legis Divinæ naturalis adimpletione quà creationis lineam & proportionem excedente vel ex sublimitate excellentioris ejusmodi actûs, v.g. dilectionis Dei super omnia, vel ex gravitate contrariæ tentationis posse duplicem intervenire gratiam Christi specialem in substantiâ licèt naturalem; alteram ex parte actûs primi, alteram verò ex parte actûs secundi se tenentem: e quibus hanc posteriorem *simpliciter* necessariam esse, priorem verò tantùm *secundùm Quid*, non in ordine ad potentiam *physicè* liberam, sed in ordine ad potentiam moralem voluntatis quà operativæ dependenter à majori convenientiâ seu congruitate objecti *moraliter* motivi. Atque hoc est, quod Ioannes à Sancto Thomâ *citatus à n. 3.* prudenter monet, oportere scilicet in præsenti circa morale ordinis naturalis bonum materiâ duo contra Hæreticos confiteri, unum contra Lutheranos negantes in nobis potentiam liberam ad bona opera moralia, alterum adversùs Pelagianos affirmantes, nullâ nos ad opera bona moralia indigere gratiâ. Priorem proinde Lutheranorum errorem devitamus, ponendo in casu etiam gravis tentationis vim in voluntate super motivo tentationis Dominativam, & indifferentiam oppositi etiam in actu primo Electivam: posteriorem verò Pelagianorum errorem repellimus, ponendo adjutorium Dei velle Bonum seu victoriam tentationis conferens, per modum specialis Christi gratiæ *simpliciter* necessariæ. 10. 11.

Responsio ad fundamenta ex parte primæ difficultatis opposita.

12. AD n. 1. opposita fundamenta Respondetur. Illis quidem probari, in omni etiam levis tentationis victoriâ intervenire gratiam Divinâ sive adjutorium Dei gratuitum velle Bonum seu victoriam tentationis conferens: hoc tamen adjutorium eo ipso posse adhuc subsistere intra lineam proportionis creationi respondentis, quòd, cùm levis tentationis motivum etiam secundùm connaturalitatis exigentiam, vel ex solo libertatis in contrarium exercendæ motivo sit superabile, nulla debeat in ejus victoria excedi proportio lineæ creationis respondens. Unde adjutorium Dei velle Bonum ceu tentationis victoriam tunc conferens se habet quidem ut gratia Christi, generalis tamen, non autem specialis, uti probant fundamenta à n. 2. deducta.

Responsio ad fundamenta ex parte secundæ difficultatis opposita.

13. AD primum n. 4. oppositum Respondetur. Divina legis naturalis præcepta intelligi posse sub duplici comparatione. 1. in ordine ad Divinum proportionem & lineam creationis etiam excedens auxilium. 2. in ordine ad vires naturæ rationali secundùm præcisam creationis lineam & proportionem convenientes. Sub priori adeò comparatione legis etiam naturalis præcepta subsistere de facto. Ut sic autem manifestum esse, quòd omnia legis naturalis præcepta non tantùm *physice* possibilia sint tum in actu primo, tum in actu secundo secundùm vires libero voluntatis nostræ arbitrio *naturaliter* inditas; tum secundùm Dei adjutorium velle Boni in nobis liberè cooperantibus causativum: sed insuper juxta præsentem statum in actu etiam primo esse *moraliter* possibilia secundùm vires illustrationis præceptorum Motiva honesta ceu voluntatis incitativa in intellectu repræsentantis, & hinc in voluntate excitatæ inclinationis divinitùs immissæ. Imò si quæ lineam creationis superexcedens v. g. sub perfectâ appretiationis firmitate Dei super omnia prosecutiva dilectio ex vi legis etiam naturalis sint præcepta, Deum in instanti obligationis præcepto respondentis immittere gratiam specialem ex parte actûs saltem primi seu potentiæ liberæ virium nostrarum confortativam. Cùm igitur secundùm sanctos Ecclesiæ Doctores Augustinum & Thomam Aquinatem sit possibile nobis, quidquid vel per nos, vel per amicum, gratiam scilicet Divinam assistentem possumus, consequens est, Deum non præcipere impossibilia, licèt non omnia præcepta Divina in quibuslibet saltem casibus & circumstantijs absque speciali Christi gratiâ valeremus adimplere. Verùm nec sub posteriore possibili comparatione Deus præciperet impossibilia, siquidem sub tali ad præcisam creationis lineam coarctato respectu, Deus non posset intelligi præcipere, nisi quæ secundùm actum primum essent in vi Dominativâ voluntatis nostræ: atque adeò eorum omissio utpote secundùm voluntarium Interpretativum liberè procedens ex tali Dominativâ virtute meritò imputaretur ad culpam.

14. Ad n. 5. oppositum fundamentum Respondetur. Aliud esse, si sermo sit de actu primo Dominativæ ad omnia peccata saltem *distributivè*, vel *divisivè* evitanda virtutis: aliud verò esse, si sermo sit de actu secundo actualis omnium peccatorum evitationis. Etsi verò inspecto præciso naturalium virium nostrarum statu, nullus sit excogitabilis casus, in quo ex parte voluntatis nostræ etiam citra specialem gratiam non stet physica libera potentia ad quævis statui illi respondentia peccata evitanda; posse tamen in ordine ad actum secundum opus esse speciali gratiâ, dum in casu gravis v. g. tentationis supra connaturalitatis ex motivo efficaciùs proposito tunc in voluntate excitatæ proportionē concedendum foret adjutorium Dei, conferens velle Bonū tanquàm victoriā illius tentationis. Quod proinde adjutorium Dei licèt extraordinarium ac speciale in substantiâ tamen naturale, necdum extraheret hominem è statu puræ naturæ. Ergo in tali etiam statu ad evitanda peccata fore possibilitatem ex parte quidem actûs primi, quæ secundùm physicam liberam potentiam esset connaturalis. Attamen ex parte actûs secundi fore illud adjutorium non omnimodè proportionatum connaturali voluntatis ex motivo opposito fortiùs inclinatæ exigentiæ, uti probat fundamentum n. 6. deductum.



ARTICULUS III.

DE

Necessitate Gratiæ ad opera moralia supernaturalia lineæ Iustificationis proportionata.

IN præcedentibus diximus, duplicem in Christo distinguendam esse Dignitatem. Reparatoris scilicet naturæ maximè rationalis quoad moralem huic naturæ ut sic congruam rectitudinem, & Redemptoris ac Iustificatoris. Sub priori verò consideratione intra lineam reparatæ moralis rectitudinis naturalis eatenus in omni actu etiam naturali *moraliter* bono opus esse adjutorio Dei ipsum velle & operari *moraliter* Bonum nobis liberè cooperantibus conferente, ut ipsum tamen adjutorium quandoque obtineat rationem gratiæ duntaxat generalis, dum scilicet proportionem lineæ creationis respondentem non excedit, quandoque verò subeat rationem gratiæ specialis, dum nimirum est superexcedens creationis lineam. 1.

Quibus adeò expeditis, progredimur ad gratiam Christi spectantem ad lineam Iustificationis. De quâ solemnis hic moveri posset difficultas: *Utrum omnis actus etiam remotè disponens ad Iustificationem indigeat gratiâ supernaturali?* Verùm quia hoc *in 1. Tomo. q. 9. a. 2. cont. 1.* jam discussimus, eò Lectorem remittimus. Unde supersunt duntaxat sequentes controversiæ. 1. *Utrum reparatio à peccato quoad omnes effectus suos requirat gratiam supernaturalem? 2. Utrùm ad evitanda omnia mortalia & venialia opus sit gratiâ supernaturali?* 2.



CONTRO-

CONTROVERSIA I.

Utrùm reparatio à peccato quoad omnes effectus ſuos requirat gratiam ſupernaturalem?

3. DIvus Thomas *præſ. q. 109. a. 7.* docet; hominem peccando triplex incurrere detrimentum. Maculam ſcilicet gratiâ ſanctificante *formaliter* privativam, Corruptionem Boni naturalis, & Reatum pœnæ. Eſt autem indubitatum, quin illa macula ac pœnæ æternæ reatus tolli non poſſint, niſi mediante gratiâ ſanctificante, debeatque adeò actus ad remiſſionem talis maculæ ac reatûs pœnæ æternæ *formaliter* expiativam diſponens procedere ex ſupernaturalis gratiæ auxilio.

Quare difficultas reſtat decidenda de corruptione Boni naturalis. *An ejus reparatio exigat gratiam ſupernaturalem?*

Referuntur ſententiæ, & fundamenta oppoſita.

4. EX parte affirmativâ ſequens adſtrui poteſt fundamentum. Nam duplex quoad Boni moralis naturalis corruptionem peccato lethali convenit malitia; altera ſecundùm oppoſitionē cum honeſtate morali naturali: altera ſecundùm formalitatem averſionis à Deo Fine Ultimo naturali. At prior videtur ſufficienter reparari per actum virtutis, cui peccati malitia *formaliter* eſt oppoſita: poſterior autem videtur reparari per Dei authoris naturalis ſuper omnia dilectionem. Probatur iſtud aſſumptum. Nam ad tollendam aliquam privationem ſufficit forma oppoſita. Ergo per ſolam naturalem converſionem ad Deum Finem Ultimum naturalem, atque adeò per Dei authoris naturæ ſuper omnia dilectionem ſufficienter reparatur averſio ab illo.

5. Econtrario Ioannes à ſancto Thomâ *præſ. diſp. 20. a. 2. à n. 4.* de mente ſui Angelici Doctoris tenet; in ſtatu elevationis ad Finem ſupernaturalem, & de facto non poſſe hominem ſanari etiam quoad corruptionem Boni naturalis, niſi per gratiam ſupernaturalem. Fundamentum eſt. Quia poſitâ illâ elevatione, non poteſt homo averti à Deo Fine naturali, quin avertatur etiam à Fine ſupernaturali. Hæ verò duæ averſionis malitiæ in uno peccato *indiviſibiliter* inter ſe connexæ ſunt, ita ut una tolli non poſſit ſine alterâ; nam teſte Divo Auguſtino *lib. de pœnit.* & S. Thomâ *3. p. q. 86. a. 3. Impium eſt, dimidiam à Deo ſperare veniam.* Cùm igitur averſio à Deo quà Fine ſupernaturali non ſit reparabilis niſi per gratiam ſupernaturalem; conſequens eſt, nec averſionem à Deo Ultimo Fine naturali eſſe reparabilem ſine gratiâ ſupernaturali.

6. Idem author *n. 5.* docet; in ſtatu puræ naturæ, remotâ elevatione ad Finem ſupernaturalem, vel ſi modò vellet Deus de abſolutâ ſuâ potentiâ reparare peccatorem, quantum ad averſionem naturalem, & non quantum ad ſupernaturalem, tunc ad ejuſmodi reparationem quoad effectus phyſicos, quos facit peccatum, non fore neceſſariam formam ſupernaturalem, opus tamen fore actione ſupernaturali quantum ad modum, ſicut eſt ſupernaturalis reſuſcitatio mortui & illuminatio cæci. Fundamentum eſt. Cùm enim privatio formæ, ſeu rectitudinis naturalis ſolùm repararetur, ſufficeret forma naturalis, vel dilectio Dei, vel alia converſio naturalis ad Deum. Quia tamen in illo caſu voluntas per peccatum mortale eſſet averſa à Deo Ultimo Fine: hic verò ſit principium vitæ moralis, totiuſque ad Finem Ultimum ordinis, conſequens foret, principio converſionis ad Deum tunc deſtructo, non niſi per motionem Divinam poſſe voluntatem moveri in Deum. Unde talis converſio æquipararetur reſuſcitationi ex mortuis, eſſetque adeò actio quoad modum ſupernaturalis.

Author præcitatus *n. 7.* docet; Effectum moralem in reparatione à peccato quantum ad remiſſionem culpæ, & reatûs pœnæ æternæ, etiamſi fiat in ſtatu puræ naturæ, requirere gratiam ſupernaturalem ſaltem extrinſecam ipſius voluntatis Dei ut authoris ſupernaturalis, licèt de potentiâ abſolutâ non requireretur infuſio formæ ſupernaturalis. Fundamentum eſt. Quia licèt peccatum in ſtatu puræ naturæ non ſit contra Deum Finem ſupernaturalem *privativè* ſeu *poſitivè*, ſed ſolùm *negativè*, tamen ſi Deus velit gratis remittere illud, talis condonatio non menſuratur penes id, quod peccatum eſt in ſe, ſed penes id, quod potuit Deus juſtè exigere in recompenſam illius. At pro peccato facto in purâ naturâ poſſet Deus juſtè exigere ſatisfactionem ſupernaturalem, poſſet etiam inferre tormenta æterna. Ergo ſi totum hoc gratis remitteret tanquàm author ſupernaturalis remitteret, utpote remittendo ſupernaturalia, quæ juſtè poſſet exigere. 7.

CONCLUSIO.

PEccati mortalis quoad averſionis ab Ultimo Fine duntaxat naturali malitiam remiſſio non *abſolutè*, ac *ſimpliciter*; ſed tantùm *ſecundum quid* fieri poteſt abſque formâ ſupernaturali ſanctificante.

Probatur. Quantumvis enim præſcindatur; ſive ſeparetur averſio ab Ultimo Fine ſupernaturali, manet in peccato mortali ratio offenſæ Divinæ ut ſic infinitam in morali & affectivâ Divinæ Majeſtatis deſtructione ſitam malitiam *formaliter* importans. Iſta verò malitia *Habitualiter* ſeu *Moraliter* perſeverat, quatenus concitando Divinum erga peccatorem odium, hoc mediante eſt cauſans maculam omnis perfectionis moralis *formaliter* corruptivam. Unde ſub iſtâ maculâ *integraliter adæquatè* ſpectatâ continentur privationes tum omnis Divini auxilij rectitudinem ſive naturalem, ſive ſupernaturalem conferentis, tum omnimodæ formæ Divinam *in quarto perſeitatis modo* ex ipſomet quaſi ſpecifico Divinitatis gradu ſpecificatam participationem habentis privationem ſeu negationem. Si proinde Deus loco odij tales negationes ſeu privationes, non quidem poſitivo, ſed negativo potiùs influxu cauſantis, habeat reſpectu peccatoris dilectionem alicujus rectitudinis ſeu auxilij ad hanc moventis cauſatricem, eo ipſo fit partialis remiſſio reatûs ex peccato con- 8.

tracti, utpote importantis in peccatore quandam ex peccato præterito condignitatem, intuitu cujus concitetur Deus ad odium, atque adeò hujus efficaciâ licèt negativâ mediante peccatum fit inductivum illius privationis. Quando igitur Deus talis ex peccato contractæ condignitatis in tantum oblivisceretur, ut per totam æternitatem nullo ampliùs vellet illius peccati intuitu peccatorem privatum auxilio, rectitudinis alicujus moralis specificæ collativo, tunc hac in parte fieret inadæquata peccati illius remissio. At indubitatum est, quin Deus, non attentâ peccati mortalis ad omnimodam rectitudinis moralis tam naturalis, quàm supernaturalis *Habitualis* & *Actualis* privationem ex Divino per se concitato odio inducendam condignitate, posset eatenus hoc suum Divinum odium in dilectionem Moralis Honestatis in uno determinato genere causativam commutare, ut tamen in alio, & quidem primario genere vellet talem peccatorem adhuc privatum morali rectitudine: sic enim, licèt peccatum mortale de se mereretur privationem etiam Fidei, Deus tamen non eousque concitatur in furorem, quin hunc misericordiâ suâ attemperando, conservet infusum Fidei habitum, quamdiu peccatum non directè pugnat cum fide. Sic formâ sanctificante ceu prima supernaturalis moralis rectitudinis Essentiâ & quasi substantiâ necdum restitutâ, sed ejus privatione per Divinum ex peccato concitatum odium adhuc permanente, Deus immittit gratiæ actualis auxilia ad actus Fidei, Spei & attritionis, aliorumque supernaturalium actuum. Quia igitur peccatum mortale non tantùm in statu puræ naturæ, sed etiam in statu naturæ elevatæ est *moraliter* perseverans in moralis etiam naturalis rectitudinis privatione, cur non posset Deus in ordine ad istam *simpliciter* reconciliari peccatori, suum scilicet ex peccato isto concitatum, & ut sic omnimodæ moralis etiam naturalis rectitudinis de jure denegativum odium convertendo in dilectionem omnigenæ rectitudinis moralis causatricem. In hoc autem casu est manifestum, quoad corruptionem Boni naturalis non quidem sine speciali secundùm substantiam naturali, & solùm quoad modum supernaturali Christi gratiâ; attamen sine infusione formæ *Entitativè* supernaturalis fieri omnimodam peccati mortalis corruptionem. Unde cum hoc addito quoad Boni naturalis quà naturæ rationalis intra moralitatis lineam intrinsecè perfectivi corruptionem dici posset, fieri tunc *simpliciter* remissionem peccati mortalis. Nihilominùs dici non posset, tunc fieri peccati mortiferi remissionem *adæquatè* & *absolutè* quoad formalem offensæ Divinæ reatum.

9. Probatur istud assumptum. Quia iste Divini contra peccatorem odij concitandi condignitatem importans reatus, tamdiu subsistit, quamdiu istud justum Dei odium non convertitur in dilectionem. At dilectio Dei utpote quædam Boni cummunicatio efficax non subsistit sine Bonitatis suæ ad extra participatione. Inter Divinæ autem participationis bona, quorum privatio, vel negatio ex justo Dei per peccatum concitato odio decernitur, est linea Divinæ secundùm gradum quasi specificum participationis. In istâ verò lineâ rationem Primæ quasi Essentiæ Gratia sanctificans, rationem verò consummatæ Essentialis perfectionis Visio Beatifica obtinet. Unde quamdiu Deus ex odio per peccatum concitato est denegans istas participationes Divinas, tamdiu nequit dici Deus fuisse oblitus peccati præteriti, sed hujus vel maximè recordari sub talis participationis per peccatoris execrationem denegatione. Quamvis proinde Deus posset loco sui Divini ex peccato mortali concitati odij habere Decretum, per quod definiret, jam non ex motivo Iustitiæ ad peccatum præteritum respicientis, sed ex motivo absoluti sui Dominij velle deinceps gratiæ sanctificantis, & aliarum Divini quasi specifici gradûs participationum denegationem. In quo adeò casu fieret merè Extrinseca, non autem Intrinseca peccati mortalis condonatio. Nihilominùs in hoc casu jam interveniret Gratia non quidem Intrinseca, sed purè Extrinseca, attamen *simpliciter* supernaturalis, utpote Divinæ quasi specificæ non quidem *positivè* & *absolutè* decretatæ, sed ex respectu saltem peccati deinceps non negandæ participationis lineam respiciens. Constat igitur, *absolutè* & *simpliciter* non posse ullius peccati mortalis in statu etiam puræ naturæ perpetrati remissionem fieri absque Gratiâ supernaturali saltem Extrinsecâ.

Ad fundamentum *n. 1.* oppositum

Respondetur. Aversionem à Deo quà Fine etiam naturali aliter spectandam esse sub ratione habitudinis ex Deo quà objecto specificatæ, aliter verò sub ratione offensæ Dei quà Ultimi Finis secundùm voluntarium saltem Interpretativum *moraliter* destructivæ. Etsi verò aversio à Deo Ultimo Fine naturali sub priori formalitate *simpliciter*, ad æqualitatem sit reparabilis per naturalem Dei super omnia dilectionem: sub formalitate tamen posteriori malitiam infinitam importante non est secundùm æqualitatē reparabilis nisi vel per satisfactionem infinitâ Personæ Divinæ, vel per Odij Divini ex illâ infinitâ malitiâ concitati conversionem in Divinam ex Bonitate infinitâ *formaliter Identicè* motam & specificatam dilectionem suæ quasi specificæ erga peccatorem participationis vel causativam, vel saltem ex præteriti peccati respectu non ampliùs denegativam.

CONTROVERSIA II.

Utrùm ad evitanda omnia Mortalia & Venialia opus sit gratiâ supernaturali etiam Habituali?

Duplex hîc movetur difficultas. Prima ex doctrinâ sancti Thomæ *1. 2. q. 109. a. 8.* docentis; *In statu naturæ corruptæ indiget hominem gratiâ Habituali sanante naturam ad hoc, quòd omninò a peccato abstineat.* 1.

Nam Vasquez *præs. disp. 196. cap. 3.* explicando illam doctrinam asserit; ad hoc, ut homo diu servet præcepta, & ab omni peccato mortali abstineat, nō requiri habitualem gratiam tanquàm principium, sed ideo totam Decalogi legem non posse extra statum Iustificationis diu servari, quòd, si quis illam legem ex auxilio gratiæ observet, eo ipso sit futurum, ut spiritum pœnitentiæ & compunctionis a Deo consequatur & Iustifice- 2. 3.

stificetur. Fundamentum est. Quamvis enim rectè dicamus, hominem lapsum non posse servare præcepta Dei, nisi sanetur, hæc tamen infirmitas, ob quam non potest servare præcepta, non est ipsa macula & status peccati, sed privatio sanctæ cogitationis, quâ ejus voluntas movenda esset: nam si hæc desit, quantumvis homo sit sine peccato, & gratiâ Habituali Iustificatus, est admodùm debilis. At illud auxilium gratiæ subsistere potest sine statu gratiæ habitualis; non enim rarò contingit, ut homines in peccatis existentes ad insignia opera virtutum subitò moveantur, quæ non efficerent, nisi sanarentur, sed infirmi manerent, siquidem opera ejusmodi non sint infirmi, sed sanati auxilio scilicet Divinæ gratiæ per vocationem.

3\. Econtra Ioannes à sancto Thomâ *cit. disp. 20. a. 3. n. 2.* ex sententiâ Thomistarum eatenus exponit præallegatum Doctoris sui Angelici textum, quatenus Gratia Habitualis ad peccata mortalia per longum aliquod tempus evitandum se teneat ex parte Principij, ita ut scienter constitutus in statu peccati mortalis non possit diu stare sine novâ culpâ lethali. Fundamentum est. Quia principium operandi in voluntate est Finis, cui inhæret voluntas, & ex illâ sumit vires & efficaciam ad operandum ea, quæ sunt ad Finem, nec non ad resistendum Fini contrario. Cùm ergo aliquis non habet cor firmatum in Deo, sed in altero Fine, & interim ex Fine præconcepto maximum pondus voluntati infigatur, inclinetur & moveatur, facilè avertetur demum à Fine Ultimo, dum illud voluntatis pondus non removetur, eò vel maximè, quòd homo in repentinis, teste Philosopho 3. *Eth. cap. 8.* operari soleat secundùm finem præconceptum. At illud pondus est amor sui, quo quis seipsum eatenus amat, ut Deum *virtualiter* contemnat. Hic verò sui ipsius amor, ejusque pondus non tollitur ex voluntate, nisi Deum supra se, & omnia diligat. Hic verò amor Dei perfectus supernaturalis est justificans. Ergo sine formâ Iustificante non potest diu quis abstinere ab omni novo peccato mortali.

4\. Secunda difficultas circa Venialia peccata evitanda movetur ex Concilio Tridentino *Sess. 6. de Iustif. can. 23.* sic decernente: *Si quis hominem semel justificatum dixerit, ampliùs peccare non posse, aut posse in totâ vitâ peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatissimâ Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

5\. Hinc enim *primò* Ioannes à sancto Thomâ *citatus cit. n. 2. n. 5.* existimat, posse quidem absque censurâ alicujus erroris admitti, quòd aliquis sanctorum pro aliquo determinato tempore habuerit illud de omnibus Venialibus evitandis privilegium, attamen nulli extra Beatissimam Virginem id concedi posse pro totâ vitâ suâ, ut adeò, quando sancta Ecclesia de Sancto Ioanne Baptistâ canit, fugisse eum desertum, *ne levi saltem maculare vitam famine posset*, esse accipiendum de famâ omnis etiam levis peccati, non verò de omnium venialium evitatione, nisi fortè pro aliquo determinato non valde longo tempore; maximè cùm ne Apostoli quidem Spiritus primitias habentes post missum etiam Spiritum sanctum habuerint illud privilegium; siquidem Petrus fuerit à Paulo reprehensus: *Quia reprehensibilis erat. ad Galat. 2.* Et

6\. Ioannes apertè testetur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* *Secundò*, Rationem, cur omnia peccata venialia *collectivè* evitari non possint, author *præallegatus n. 7.* sic deducit. Etenim ad vitandum omnia peccata Venialia etiam ex subreptione provenientia, requiritur auxilium gratiæ impediens, ne insurgat motus aliquis in appetitu sensitivo contra rationem: ad vitandum autem omnia peccata venialia ex deliberatione provenientia requiritur auxilium præveniens rationem, ne in materia etiam levi deliberet contra, vel præter rationem. At in priori importatur ligamen seu extinctio fomitis, in posteriori autem rationis inferioris ad superiorem subordinatio perfecta. Cujusmodi privilegium pro totâ vitâ non alteri purò homini, nisi Beatissimæ Virgini concedendum est. Quare quidem omnibus datur auxilium sufficiens ad evitanda omnia Venialia *Divisive*, non tamen ad omnia *Collectivè*; siquidem ad hoc requireretur non tantùm evitatio omnium secundùm se, & seorsim spectata, sed secundùm continuatione unum evitandi post aliud, vel multa simul, quæ insurgit. Unde cùm in istâ continuatione specialissimâ continuumibus auxilijs insuperabilis subsit difficultas, citra speciale privilegium deest moralis omnia venialia *collectivè* evitandi potentia, utpote consistens tum in continuâ boni honesti & finis applicatione ad omnem deliberationem rationi repugnantem in materijs etiam levissimis evitandam, tum in continuâ protectione partis sensitivæ, ne insurgat contra rationem etiam ante omnem deliberationem. Cùm igitur ista moralis potentia superet statum hominis etiam justi, nequit ulli convenire nisi ex specialissimo privilegio.

CONCLUSIO I.

AD hoc, ut quis ab omni soli etiam legi naturali repugnante peccato diù abstineat, status gratiæ sanctificantis non quasi *concomitanter*, seu *consequenter* duntaxat, sed per modum principij *antecedenter* est necessarius.

7\. Probatur. Nam istud est discrimen inter peccati mortalis & gratiæ sanctificantis statum, quòd in isto nō solùm nō habeat principiū intrinsecum *moraliter* bene operandi, sed insuper careat debito carendi adjutorio Divino Velle Bonum conferente; in illo verò quis habeat quidem vires naturales in actu primo *physicè* saltem sufficientes ad opera bona moralia ordinis naturalis facienda, attamen ex vi peccati mortalis habeat debitum intrinsecum carendi omni ad *moraliter* bene operandum gratuito adjutorio Divino. At indubitatum est, quin absque Divino ex parte actûs se tenente adjutorio quis lapsurus sit in peccatum. Consequens igitur est, statum peccati mortalis, quantum est de se, & abstrahendo à Divinæ misericordiæ aliquale peccati lethalis debitum remittentis liberalitate, trahere indubitanter ad novum peccatum. Etsi verò Deus illo omnibus gratuitis adjutorijs carendi debito non attento, per misericordiam suam plerumq; conferat auxilia gratiæ tum sufficientia, tum quandoque efficacia ad opera *moraliter* bona non naturalia duntaxat, sed etiam supernaturalia elicienda, istius tamen Divinæ liberalitatis non tantùm nulla in peccatore est congruitatis ratio, sed potiùs ex vi peccati mortiferi quasi resistentia positiva. Unde *per accidens*

tantùm

tantùm est, quòd peccator divinitùs adjuvetur ad opera bona moralia ordinis etiam naturalis; quin, imò ille ipse Divinæ largitatis auxilia gratiæ actualis peccatori concedentis Fons vel maximè obstrui potest ex hoc, quòd diu quis scienter maneat in statu peccati mortalis, ut proinde ex hoc etiam capite necessum sit, quempiam ruere in novum peccatum mortale, si extra statum gratiæ scienter sit constitutus, utpote destituendus etiam auxilio statui suo per accidens quandoque conferri solito. Econtra ex vi gratiæ sanctificantis ad Divina non sufficientia, sed efficacia etiam adjutoria est intrinseca proportio & capacitas. Et sic in homine justo est principium & causa per se cavendi peccata mortalia. Constat igitur, gratiæ sanctificantis statum *simpliciter* necessarium esse, ad peccata mortalia ex principio per se & intrinseco evitanda.

Conclusio II.

Omnium Venialium etiam *collectivè* consideratorum evitatio non tantùm *radicaliter* reducitur in gratiam sanctificantem, sed importat *Formaliter* specialissimum Gratiæ actualis efficax supernaturale adjutorium.

8. Probatur. Nam ista evitatio importat perfectam & continuam omnium animæ virium reductionem ad supremam mentis portionem. Eo ipso autem, quòd anima in statu elevationis habeat debitum, seipsam per actus supernaturales Fidei, Spei & Charitatis reducendi in Deum, oportet, illam reductionem omnis etiam venialis peccati *collectivè* exclusivam subsistere in supremâ animæ portione quà secundùm virtutes supernaturales & Dona Spiritûs sancti continuò operante, & ut sic in omnes sibi subordinatas vires jugiter influente. At per se manifestum est, talem ad supremam Divinæ elevationis portionem omnium animæ virium reductionem ac in has redundantiam eatenus radicari in Gratiâ sanctificante, ut *formalissimè* importet supernaturalem specialissimam Gratiam efficacem, statum naturæ corruptæ superexcedentem, & homini non nisi ad statum luminis gloriæ elevato extra speciale privilegium competentem. Unde omninò verum est, quòd ad omnia venialia *collectivè* evitanda eatenus sit opus specialissimâ gratiâ, ut hæc extra specialissimum privilegium, quale agnoscimus in Beatissimâ Virgine, nulli sanctorum fuerit concessa. Et sic approbamus ea omnia, quæ per Ioannem à sancto Thomâ deducta *supra n. 5. ac 6.* retullimus.

Responsio ad fundamenta ex parte primæ difficultatis opposita.

9. Ad Vasquezij *n. 2.* oppositum fundamentum Respondetur. In eo displicere *primò*, quòd putet, moralia ordinis naturalis opera bona posse conducere ad Iustificationis gratiam obtinendam; siquidem *in to. 1. q. 9. a. 2. conj. 1.* fusè deduximus, hisce naturalibus pietatis operibus non posse ullum alicuius congruitatis esse influxum positivum in ordine ad gratiam sanctificantem impetrandam, sed influxum merè negativum ad peccati ex præceptorum naturalium non observantiâ perpetrandi obicem taliter removendum, ne justa Dei indignatio concitetur ad denegandas gratias sufficientes, vi antecedentis omnes salvandi voluntatis Divinæ omnibus præparatas.

Secundò displicere, quòd statum gratiæ sanctificantis quasi consequenter dicat, ad evitationem peccatorum mortalium, necessarium. Hoc enim in eo per Vasquezium insinuato sensu accipiendum foret, quasi facienti quod est in se, & ut sic omnia legi naturali adversantia mortalia naturæ viribus evitanti esset infallibiliter concedenda gratia excitans ad fidem, aliosq; actus supernaturales, quibus mediantibus consequeretur Iustificationis gratiam. At istud haud subsistere, patet ex ijs, quæ *in prætitatâ tomi 1. controversiâ* deduximus. Quare *tertiò* concedimus quidem Vasquezio, quòd evitatio peccatorum mortalium proximè sit ex actualis gratiæ auxilijs homini etiã peccatori concedi solitis: attamen ista gratiæ auxilia, attento peccati mortalis statu, non tantùm esse *Negativè* indebita, sed Positivum ijs carendi debitum morale inexistere peccatori, ut non nisi *per accidens* sit, quòd in tali statu ex Divinæ misericordiæ largitate conce-dãtur talia auxilia. Unde gratiam sanctificantem, per quam homo in ordine ad actualis gratiæ auxilia ab intrinseco est habilitatus, per modum Causæ ac principij per se omnino necessariam esse, ne in nova peccata quis labatur, quamvis hæc necessitas ex gratuito Dei auxilio ad peccatoris statum omninò per accidens se habente, suppleri possit. 10.

11. Ad Ioannis à sancto Thomâ *n. 3.* propositum fundamentum Respondetur. In eo latere adhuc aliquid difficultatis, eò quòd illa voluntatis peccatricis ad Bonum commutabile adhæsio habitualis eatenus videatur tolli posse per Dei super omniâ appretiativum amorem in substantiâ naturalem, ut consequenter totum illud ex affectu mortaliter peccaminoso infixum pondus videatur efficaciter sublatum, quin tamen vitalis amoris fiat gratiæ sanctificantis infusio. Imò verò, licèt illa per affectum peccaminosum voluntati infixi, & ad novum peccatum lethale trahentis ponderis efficacia vnicè tolli posset mediante supernaturali Dei super omnia appretiativâ dilectione, ad Iustificationis gratiam proximè dispositivâ; hinc tamen non plus evinceretur, nisi quòd gratia sanctificans quasi *concomitanter* esset necessaria ad novi peccati mortalis evitationem; siquidem non tam per se, quàm ratione supernaturalis, quam concomitaretur seu subsequeretur, dilectionis foret tunc necessaria. Quare ut gratia sanctificans ad novi peccati mortalis pro longiori aliquo tempore evitationem dicatur per modum principij per se necessaria, recurri debet ad aliam rationem *in concl. 1.* deductam.

QVÆ-



QVÆSTIO TERTIA DE GRATIA ACTVALI.

1. DVAS quasi lineas Gratiæ ſupernaturalis diſtinguere oportet; altera eſt gratiæ inexiſtentis per modum Formæ Permanentis, diciturque gratia Habitualis, ad quam non ſolùm reducitur Forma Iuſtificans, ſed Dona Spiritûs ſancti, omneſque virtutes ſupernaturales infuſæ, utpote, dum peccato Mortali non deſtruuntur, Formæ *permanenter* inexiſtentes. Altera linea eſt Gratiæ actualis inexiſtentis *tranſeunter*, ſeque habentis ad inſtar motionis tranſeuntis.

De quâ proinde Actuali & Tranſeunte Gratiâ in præſenti diſſeremus, de Habituali acturi in ſequenti quæſtione.



ARTICULUS I.

DE *Naturâ & diviſione Gratiæ Actualis.*

1. OPeræpretium duximus, ſingulari induſtriâ indagare omnia illa auxilia Divina, quæ nomine gratiæ actualis ſeu Tranſeuntis veniunt. Et exinde poſt gratiæ actualis diviſionem ſtudioſè inquirere, ſub quo diviſionis membro ſingula ejuſmodi auxilia ſint ponenda.

CONTROVERSIA I.

In quo conſiſtat primum Gratiæ Actualis auxilium?

1. EX Patribus, & Concilijs Theologi paſſim adſtruunt duplex gratiæ Actualis auxilium; alterum, Divinam Intellectûs illuſtrativam, & ſic ad Bonum incitativam inſpirationem; alterum, piam voluntatis excitativam affectionem. Cujuſmodi internum gratiæ auxilium aliqualiter ſaltem admiſiſſe tandem Pelagianos, conſtat ex Sancto Auguſtino *lib. de Grat. Chriſti. cap. 10.* ubi Pelagius inducitur gratiam ſic explicare. *Operatur Deus in nobis velle, quod bonum eſt velle, quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in Dei deſiderium ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne, quod bonum eſt.*

Verùm præcitatus Eccleſiæ ſanctæ Doctor illâ Divinæ illuminationis gratiâ, utpote per quam non niſi legis & doctrinæ gratia demonſtrativa aſſereretur, haud contentus, *in cit. lib. de gratiâ Chriſti. cap. 11. & alibi* laboravit adhuc pro gratiâ, *quâ Deus donat, & adjuvat, ut agamus.* De hiſce proinde gratiæ auxilijs hîc in principio ſtatim duximus inquirendum non quidem in ſpecie, ſed in genere, *in quo conſiſtant?* 2.

Referuntur ſententiæ.

IOannes à ſancto Thomâ *præſ. diſp. 23. art. 1. n. 7.* negat; Illam priorem Divinæ illuſtrationis & affectionis piam gratiam conſiſtere *formaliter* in actibus Intellectûs & Voluntatis ſive deliberatis, ſive indeliberatis, ſed in duplici motione Dei, quâ ipſe ſolus movet & tangit duplicem potentiam ordine quodam, Intellectum quidem per illuſtrationem ſubitam, quæ cauſetur ex illâ motione, voluntatem verò per ſubitum affectum ad objectum mediante intellectûs illuſtratione propoſitum. Unde hunc affectum voluntatis, & præviam intellectûs illuſtrationem non eſſe *formaliter* gratiam operantem, ſed eius effectum ab intellectu & voluntate cauſatum ex illâ motione. 3.

Fundamentum eſt. Quia non poteſt dici auxilium Dei internum, quod eſt effectus creaturæ; ſed quod eſt actio immediata Dei, quamvis enim requiratur motus cœli, ut moveantur hæc inferiora, non tamen actio cœli poteſt dici, quòd ſit auxilium & concurſus Dei. Similiter quia voluntas & intellectus moventur de uno in aliud v. g. à præmiſſis ad concluſiones, à fine ad media, ad aſſentiendum concluſioni prærequiritur quidem aſſenſus præmiſſarum, & ad electionem mediorum intentio Finis, nequit tamen aſſenſus præmiſſarum reſpectu concluſionis inferendæ, & intentio finis reſpectu Electionis mediorum dici concurſus Dei. Quamvis igitur illuſtratio intellectûs & affectus voluntatis indeliberatus prærequirantur ad deliberatum voluntatis actum bonum, quia ta-

men ſunt actus ab intellectu & voluntate eliciti, nequit in his *formaliter* conſtitui Primum internum Dei auxilium, ſed in aliquâ motione procedente ex ſolo Deo, & cauſatrice illius illuſtrationis & affectionis præviæ.

CONCLUSIO.

ILla ad intellectûs illuſtrationem, & pium voluntatis indeliberatum affectum prævia, & ab hiſce diſtincta motio prædeterminativa non videtur admittenda.

4. Probatur. Si enim ad illam primam intellectûs illuſtrationem, & affectionem voluntatis prærequiratur aliqua Dei motio non elicita, ſed recepta in intellectu, & voluntate, idem erit dicendum de omni actu etiam peccaminoſo ac erroneo *Entitativè* ſpectato. At conſequens eſt falſum, & abſurdum. Ergo & id, ex quo ſequitur. Sequela majoris facile admittitur *à præcitato authore in ſolut. argum. n. 6.* Minor autem probatur. Quia illa ex ſolo Deo procedens per modum qualitatis ad actum intellectûs, ſeu voluntatis prædeterminativæ in hiſce potentijs recepta motio debet eo ipſo per ſuam eſſentiam importare aliquid potentialitatis, per quam *intrinſecè* ac *Eſſentialiter* limitetur & coarctetur non ad Eſſe *ſimpliciter*, ſed ad taleitatem Eſſendi. Eo ipſo autem, quòd talis motio ſit *formaliter* ac *eſſentialiter* limitata ad potentialitatem & Taleitatem Eſſendi, non poſſet jam in ſuo effectu reſpicere Eſſe ut ſic tanquàm ſuum effectum formalem, ſed Tale Eſſe, ſive Eſſe potentialitati im-

5. merſum. Probatur iſtud aſſumptum. Ipſemet enim Ioannes à ſancto Thomâ *in 1. parte* cum alijs Thomiſtis rectè probat, creationem non poſſe eſſe actionem extra Deum Tranſeuntem, ſed purè Immanentem, eò quòd in ſuo effectu ſecundùm quartum perſeitatis modum *Formaliter* reſpiciat Eſſe ut ſic, nec adeò poſſit in ſuâ eſſentiâ involvere Taleitatem Eſſendi, ſed purum ſubſiſtens Eſſe: cujuſmodi ſolius Dei ac formalitatis ipſi intrinſecæ ſit proprium. Pari ergo ratione, ſi illa prima motio Dei in actibus intellectûs & voluntatis per ipſam effectis *in Quarto perſeitatis genere* per modum Effectûs formalis reſpiciat Eſſe ut ſic, oportebit, ipſam in ſuâ Eſſentiâ nō importare *formaliter* Taleitatē Eſſendi, ſive Eſſentialitatē potētialitati im̄erſam, ſed purū ſubſiſtens Eſſe. Hinc autē, Thomiſtis adſtipulantibus, rurſus erit conſequens, talē motionē eſſe Deo *formaliter* immanentem, non verò tranſeuntem. Nequit ergo prima ad gratiæ actualis auxilium pertinens Dei motio in intellectu & voluntate eſſe recepta, niſi dicatur, in ſuâ Eſſentiâ importare Taleitatem Eſſendi, ſive Eſſentialitatem potentialitati immerſam. At hoc dato, ſequeretur, in illam Dei motionem reduci debere actionis peccaminoſæ ſeu erroneæ aliquam ſaltem fundamentalem defectibilitatem.

6. Probatur iſtud ſubſumptum. Quia actio per ſuam eſſentiam non importans Eſſe ut ſic, ſed eſſe Tale, ſeu potentialitati immerſum *ſecundum Quartum perſeitatis modum* in ſuo effectu *formaliter* non reſpicit Eſſe ut ſic, ſed Eſſe quà Tale, ſive Eſſe quà immerſum potentialitati: veluti conſtat ex illâ argumentatione, quam de creatione conformiter ad mentem Ioannis à ſancto Thomâ, aliorumque Thomiſtarum *ſupra* deduximus. At motio Dei ad entitatem actûs peccaminoſi vel erronei prædeterminativa, ſi in hoc ſuo effectu *ſecundùm Quartum perſeitatis modum formaliter* non reſpiciat Eſſe ut ſic, ſed hujus ſpecifici *intrinſecè ac eſſentialiter* mali ſeu erronei actûs Eſſe quà tale, ſeu quà im̄erſum potentialitati, ſequitur, in illam motionem *ſecundum Quartum perſeitatis modum* reduci debere fundamentalem actûs peccaminoſi ſeu erronei malitiam. Probatur iſta ſequela. Quia ex illâ Taleitate Eſſendi, ſeu potentialitatis immerſione actus eſt *formaliter* coarctatus ad ſuam ſpecificam differentiam. Hæc verò in actu *intrinſecè* malo *Eſſentialiter* importat fundamentalem malitiam. Ergo eo ipſo, quòd motio Dei *ſecundùm Quartum perſeitatis modum* in ſuo effectu *formaliter* non reſpiceret Eſſe ut ſic, ſed Taleitatem Eſſendi, ſeu Eſſentialitatem potentialitati immerſam, ſequeretur, in ipſam reduci debere actûs, ad quem prædeterminat, quemque per ſe efficit, malitiam fundamentalem. Ne igitur incidamus in hoc omnium maximum abſurdum, oportet dicere, motionem Dei prædeterminativam in ſuo Effectu *ſecundum Quartum perſeitatis modum* ad inſtar creationis reſpicere *Formaliter* Eſſe ut ſic. Hinc autem deniò infertur, talem Dei motionem importare *formaliter* Purum Eſſe ſubſiſtens, eſſeque adeò Deo *formaliter* immanentem. Ergo Dei motio prædeterminativa non eſt ponenda, niſi quà Deo *formaliter* immanens, & *virtualiter* tantùm tranſiens, quæ, ut ſic in ſuis Effectibus, licèt potentialitati Eſſentialiter immerſis, *ſecundum Quartum perſeitatis modum formaliter* reſpiciat Eſſe ut ſic, non autem Eſſendi Taleitatem. Nequit ergo Primum Dei tranſiens intellectui & voluntati noſtræ impreſſum auxilium eſſe Motio purè recepta à Deo, ſed eſt elicita à voluntate & intellectu, prout iſtæ potentiæ per im̄anentem voluntatis Divinæ motionē *Cauſaliter*, per ipſoſmet autem actus indeliberatos ab hiſce potentijs *vitaliter* elicitos, Divinitùs tamen immiſſos *Formaliter* moventur. In quâ etiam motione *realiter* indiviſibili intervenit virtualis quædam diſtinctio, ita ut reſpectus ad Divinam cauſalitatem *ratione ratiocinata* ſeu *virtualiter* ordine naturæ ſit prior, quàm reſpectus ejuſdem ad cauſam ſecundam.

Dices. Intellectus & voluntas pro aliquo priori naturæ, antequam actu operentur, debere eſſe applicatos ad Cauſam primam, cùmque ipſorum vis cauſativa *Eſſentialiter* importet potentialitatem ex Divinâ præmotione actuabilem, debere pro eodem naturæ priori eſſe actuatos. At verò ex vi Decreti Divini præfinitivi, atque adeò motionis prædeterminativæ Deo *formaliter* immanentis, non poſſe intellectum & voluntatem dici ad Cauſam Primam applicatos, niſi in menſurâ æternitatis. Neque potentialitatis intellectui & voluntati *Eſſentialiter* inexiſtentis actuationem poſſe *formaliter* fieri per Decretum Deo immanens. Ergo opus eſſe aliquâ motione Divinâ extra Deum tranſeunte, Intellectûs & Voluntatis *intrinſecè* prædeterminativâ, & ut ſic pro illo priori naturæ antecedenter ad actûs ſecundi elicientiam applicativâ ad Cauſam Primam, ac potentialitatem virtutis creatæ actuante. 7.

Contra. Nam Cauſæ ſecundæ ad Cauſam Primam pro inſtanti naturæ actum ſecundum ab illâ elicitum antecedente applicatio alia eſt Cau- 8.

ſalis,

falis, alia verò Formalis. At prior nihil aliud importat, quam causalitatis influxum Causæ Primæ immanentem. Etsi verò secundùm hanc omnia sint præsentia in æternitate, ut adeò causa secunda ex vi præcisæ illius causalis applicationis non in mensura temporis, sed in mensura æternitatis videatur dici posse applicata ad Causam secundam. Nihilominùs in tali denominatione forma *formaliter* denominans eatenus est mensura æternitatis, ut tamē materiale hujus denominationis possit esse mensura tēporis quà ipsa non tantùm in sua Effectrice causalitate coexistentis æternitati. Probatur istud assumptū. Verè enim dico, vi Divinæ causalitatis Deo purè immanentis, atque adeò æternitatem *formaliter* importantis cœlum & terram esse creata in primo instanti temporis. At in hac denominatione forma *formaliter* denominans est creativa actio Deo purè immanens ac æterna; licèt materiale denominatum sint ipsæ res creatæ secundum existentiam non purè in seipsâ spectatam, sed quà temporaneæ durationis mensura denominatam. Pari proinde ratione causa secunda potest intelligi Divinæ immanenti motioni ad actionem ex tali causâ secundâ eliciendam prædeterminativæ *causaliter* esse applicata seu præsens, quatenus in istâ denominatione forma *formaliter* denominans est quidem actio Dei æterna, materiale tamen denominatum est Causa secunda quia affecta operatione per illam Divinam immanentem causalitatem in tempore effectâ. Ut sic autem causæ secundæ ad Causam Primam applicatio non importat præcisè æternitatis mensurâ, sicut in illa prædicatione, quâ futura dicuntur Deo in æternitate præsentia, sed insuper ex parte denominati materialis involvit mensuram actionis creatæ ex illâ immanente Dei causalitate effectæ, & ab ipsamet Causâ secundâ elicitæ. Constat igitur, qualiter Causæ secundæ ad Causam Primam applicatio causalis intelligi possit in mensura etiam temporaneâ, licèt *formaliter* importet solam Divinæ voluntatis immanentem motionem præfinitivam. At verò ne quidem ad Formalem Causæ secundæ cum Primâ conjunctionem, illiusque actuationem pro aliquo signo naturæ, Actu secundo quà per Causam secundam elicito priorem necessaria est motio Divina impressa Causæ secundæ, & ab hujus actu secundo distincta.

9. Probatur. Quia in ipso causæ secundæ actu secundo secundum prioritatem naturæ, non quidem realem, sed virtualem, & rationis ratiocinatæ, per prius est assignabilis ordo ad Causam Primam, quàm ad Causam secundam. Hic verò ordo importat *Essentialiter*, non tantùm formalitatem realitatis à Deo effectæ, sed ex Divinâ causalitate receptæ in causâ secundâ. Ut sic autem intelligitur sub ratione motûs seu motionis à Deo impressæ; hic enim actus etiam charitatis ex Divo Thomâ dicitur motus Dei, seu Spiritûs sancti, licèt *realiter* indistinctus à formalitate actionis quà à voluntate nostrâ elicitæ. Ergo in ipso actu secundo per causam secundam elicito, quatenus prioritate naturæ virtuali, seu rationeratiocinatâ per prius est respiciens Divinam causalitatem, ut sic est assignabilis ratio motionis Divinæ, vi cujus causa secunda dici potest *formaliter* applicata seu taliter cōjuncta cum Causâ Primâ, ut virtute ordinis ab hac impressæ pro aliquo signo naturæ prius actuata sit ad actū secundum ab illâ ipsamet causâ secundâ elicitum. Sicut ergo finis dicitur voluntatem movere ad sui prosecutionem non in sensu Transitivo, ita ut debeat ex hinc voluntati esse impressa motio ab elicito voluntatis actu finis prosecutivo distincta, sed in sensu Intransitivo, quatenus Finis appretiabilitas est allectiva sui prosecutionis, habentis ut sic rationem motionis ex Fine excitatæ, ac in Causæ Finalis genere voluntati impressæ: sic de Formalitate motionis ex Divinâ immanēte præfinitione impressæ, à causæ tamē secundæ operatione *realiter* indistinctæ non quidē in sensu Transitivo, sed Intransitivo dici potest, quòd Causam secundam cum Causâ Primâ in ordine ad actum secundum *Formaliter* sit conjungens, actuans & applicans.

Ad Ioannis à sancto Thomâ *n. 2.* oppositum fundamentum

10. RESpondetur. Verum quidem esse, quòd effectus Causæ secundæ in sensu reduplicativo *Formaliter* non possit dici concomitans influxus Dei, posse tamen in sensu specificativo quà motionem ex Divinâ immanente causalitate impressam, & ut sic causæ secundæ in ordine ad operationem, in sensu non quidem Transitivo, sed Intransitivo *formaliter* & *intrinsece* determinativam, dici auxilium Dei intrinsecum respectu nostræ cooperationis, non concomitans duntaxat, sed antecedens, & pro aliquo virtuali naturæ prioritatis signo ratione nostrâ ratiocinatâ prædeterminativum.

❊❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

Qualiter distinguantur Gratia Dei Operans & Cooperans?

1. SOtus *lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 17.* existimat, gratiam Operantem pertinere ad liberam volitionem, sive intentionem Finis, Cooperantem verò ad Electionem mediorum, ita ut dicatur gratia operans, quatenus causat in nobis, quòd liberè velimus & intendamus Finem nostræ salutis; cooperans verò dicatur, quatenus causat in nobis, quòd liberè eligamus media salutis.

2. Cajetanus *1. 2. q. 3. a. 2.* cum aliis à Zumele *to. 3. disp. 2 circa initium* allegatis censuit, gratiam operantem referri ad actus subitos, & indeliberatos, quos ex impulsu Dei ad Bonum habemus absque prævio consilio & deliberatione; cooperantem verò referri ad alios actus provenientes ex imperio & deliberatione voluntatis operantis cum gratiâ Dei.

3. Vasquez *1. 2. disp. 185. cap. 9. n. 40.* existimat, eandem vocationem & cogitationem sanctam, & primum voluntatis subitum motum dici gratiam operantem & prævenientem & cooperantem & concomitantem, ita ut quatenus consensum nostrum antecedit, sit operans & præveniens, quatenus verò permanens in nobis efficit nobiscum consensum, sit Cooperans & Concomitans. Fundamentum est. Nam ita consensus noster est à Deo, & à nobis, ut non solùm *immediatè physicè* ad illum concurrat, sed etiam mediâ cogitatione illam in nobis efficere dicatur eo modo, quo intel-

lectus voluntatem movet, & allicit. Quare quemadmodum *Iacobi 2.* & in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 10.* dicitur Fides cooperari bonis operibus, ac proinde ipsa Fides dici debet gratia cooperans; ita
3. sancta cogitatio, quatenus nobiscum cooperatur, dici debet gratia Cooperans. Cæterùm Vasquez *citatus n. 41.* addit, se nolle per hoc affirmare, quòd gratia cooperans sit eadem omnino gratia cum operante, sed quòd fit nova & diversa à gratiâ operante, & præveniente in genere gratiæ, doni, & beneficij, utpote habens novum aliquid in genere rei, nempe effectum. Unde infert, tum quòd influxus vocationis in consensum spectet ad gratiam cooperantem & concomitantem, sicut actus ipsius; tum quòd quivis consensus liber etiam circa finem, utpote qui meritorius esse possit, pertineatque ad pietatem; sit gratiæ jam cooperantis & concomitantis nos.

4. Zumel *cit. disp. 1. concl. 4.* tenet, quòd gratia dicatur Operans, quatenus movet nos antecedenter ad liberum nostrum consensum: cooperans verò dicatur, quatenus concurrit cum libero arbitrio ad quemcunque actum bonum liberum, seu consensum. Fundamentum est. Quoniam, ut advertit Sanctus Thomas *1. 2. q. 111. art. 2.* ex communi Theologorum judicio gratia dicitur operans in ordine ad illum effectum gratuitum, in quo solus Deus est movens, & anima nostra est mota: cooperans verò gratia dicitur in ordine ad illum effectum, in quo Deus est quidem totaliter movens, ut tamen anima moveat etiam seipsam. At in omnibus actibus liberis anima movet seipsam propriè, & in rigore; in solis autem actibus & motionibus liberum consensum antecedentibus, quatenus ipsum antecedunt, non se movet propriè. Ergo convenientissimè dicitur gratia operans, secundùm quod movet antecedenter ad liberum consensum nostrum: cooperans verò dicitur, secundùm quod actu juvat & *simultaneè* concurrit ad ipsum consensum, in quo voluntas se habet *activè*.

5. Marcus Serra *præs. q. 111. a. 2.* arbitratur; gratiam operantem & cooperantem non distingui secundùm se, sed secundùm diversos ejusdem gratiæ effectus. Fundamentum ex præinsinuato sancti Doctoris textu desumptum est. Nam ipsa etiam Habitualis gratia duplicem habet effectum, scilicet Esse Iustificationis, & Formæ inlineâ supernaturali animam sanantis, seu sanctificantis: & operationem meritoriam ex libero arbitrio procedentem. At sub priori respectu secundùm Divum Thomam *cit. a. 2.* dicitur gratia Operans; sub respectu verò posteriori vocatur gratia Cooperans. Deinde cùm in gratiâ Actuali, quâ Deus nos movet ad bene agendum, duplex distingui debeat auxilium, *physicum* scilicet & *morale*, dupliciter gratia actuali potest dici Operans & Cooperans, nempe *physice* & *moraliter*. Si enim fuerit operans *physicè*, mens nostra dicetur mota, & non movens *physicè*: si autem fuerit Cooperans *physicè*; mens nostra dicetur mota, & movens *physice*. Similiter si fuerit Operans *Moraliter*, mens nostra erit mota, & non movens *moraliter*, quamvis *physice* movens sit: si autem fuerit cooperans *moraliter*, mens nostra mota & etiam movens *Moraliter* erit. Probatur & explicatur ista doctrina. Auxilium enim physicum, quo Deus nos movet ad agendum & volendum, est motio Divina *physice* præmovens ac prædeterminans voluntatem. Hæc autem motio duplicem habet effectum, quorum alter est, præmovere & prædeterminare voluntatem, & facere, ut & velit, & faciat: alter est ipsa operatio voluntatis. At respectu primi effectûs voluntas est mota, & non movens, & solus Deus est movens, juxta illud Augustini *lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 16. Ille facit, ut velimus bonum, ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas.* Et *cap. 17. Ut velimus, sine nobis operatur.* Quare respectu talis effectûs auxilium, vel gratia Actualis dicitur operans. At verò respectu secundi voluntas se habet ut mota, & ut movens *physicè*; siquidem operationem & consensum voluntatis non solus Deus efficiat, sed etiam ipsa voluntas: Unde *ibidem* subdit Divus Augustinus. *Cùm autem volumus, nobiscum cooperatur.* Ergo respectu talis effectûs auxilium, vel gratia actualis dicitur cooperans.

Deinde auxilium morale est, quo Deus nos ad bene volendum & agendum *moraliter* movet admonendo, invitando, vocando, suadendo per sanctam cogitationem, & per subitum motum voluntatis, seu delectationem boni cogitati, vel terrorem mali cogniti, juxta illud Sancti Augustini *de Spirit. & litterâ. cap. 34. Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus.* Quæ proinde gratia respectu diversorum effectuum & *moraliter* operans, & *moraliter* cooperans dici potest. Probatur istud assumptum. Respectu enim illius effectûs, in quo mens nostra est mota, & non movens *moraliter*, dicitur cooperans. At mens nostra dicitur mota, & non movens *moraliter*, cùm prævià motione morali sanctæ cogitationis à Deo movetur: dicitur autem mens nostra *moraliter* se movens & mota, cùm per actum imperantem seu intentionem Finis movetur ad actum imperatum, seu Electionem mediorum. Quare prior motio rationem gratiæ *moraliter* Operantis, posterior autem motio rationem gratiæ *moraliter* Cooperantis habet. 6.

Thomistarum communior per Ioannem à sancto Thomâ *cit. disp. 23. art. 2. n. 5.* relata sententia habet, quòd gratia cooperans sit distincta motio seu qualitas, quæ post gratiam operantem & excitantem determinet ex parte Dei ad consensum liberum, non quoad specificationem, utpote ex virtute ad auxilium sufficiens pertinente determinatam, sed quoad Exercitum actûs. Cui sententiæ conformiter author *præcitatus n. 8. & 11.* concludit; gratiam Operantem, quæ est sancta cogitatio, seu intellectûs illustratio, & subitus piæ affectionis voluntati nostræ inspiratus motus, omnino distingui à gratiâ cooperante, ita ut impossibile sit, quòd Gratia Cooperans *formaliter* consistat in illo subito & indeliberato à voluntate nostrâ elicito motu, sed in motione Dei per modum qualitatis impressæ potentiæ ad eliciendum actum liberum, ad quem actum etiam influat Deus concursu concomitante, quamvis per hunc influxû non moveatur à Deo potentia, sed ipse actus. 7.

Fundamentum est primò. Quia nullus effectus causatus à causâ creatâ potest esse ipsa causalitas, seu virtus causæ Primæ, quæ universalissima est in causando. Atqui actus ille indeliberatus est effectus procedens à voluntate creatâ, cùm sit actus vitalis. Ergo non potest esse ipsa causalitas, aut virtus causæ universalissimæ, quia influit in causas inferiores. At auxilium cooperans est verè auxilium & influxus, quo Causa Prima influit, & adjuvat causas secundas. Ergo non est effectus aliquis procedens à causâ creatâ. 8.

Secundò.

9. Secundò. Quia stat bene, actum indeliberatum dari, & non sequi consensum liberum: ipsâ enim experientiâ constat, sæpissime dari in nobis illos motus, & inspirationes, quas tamen reijcimus. Econtrario etiam dari potest consensus liber sine hoc, quòd præcedat actus indeliberatus, siquidem Angeli & Christus Dominus primum actum habuerint liberum & meritorium.

10. Tertiò. Authoritate sanctorum Thomæ & Augustini. Nam Divus Thomas *q. 3. de potent. a. 7. ad 7.* dicit: *Quod id, quod Deus agit in causâ creatâ, quo actualiter agit, est ut intentio habens esse incompletum, sicut virtus artis in instrumento artificis.* At hoc nequit verificari de actu indeliberato, qui est actus vitalis elicitus à potentiâ non habens esse incompletum, sicut virtus artis in instrumento, sed tam completum, quam alij actus naturales & necessarij, verificatur autem de motione seu qualitate per modum transeuntis.

11. Denique sanctus Augustinus sæpe explicat efficaciam & infallibilitatem auxilij per aliquid physicum, & non solùm per aliquid morale, velut *infra* ponderabitur. At ista operatio physica Dei, quâ secundum Augustinum operatur intus in corde, non potest consistere in solis motibus indeliberatis, siquidem Augustinus non solùm ad ipsam delectationem, quæ est motus indeliberatus, sed etiam ad ipsam electionem, quæ est actus liber, requirat infusionem charitatis seu auxilij Divini distinctam ab ipsa delectatione, quæ est primus & subitus motus, uti colligitur *ex lib. de Spirit. & litt. cap. 3.*

CONCLUSIO.

Gratia Operans *realiter* distinguitur à gratiâ *Formaliter* Cooperante, quatenus ista spectat ad actum secundum operis boni moralis, illa verò ad actum primum.

12. Probatur. Nam Gratiæ actualis in Operantem & Cooperantem divisio fundatur in Sancto Augustino *de Grat. & lib. arbit. cap. 17.* sic disserente: *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et infra. *Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.*

13. Ex quo ita licet argumentari. Constat, Deum operari in nobis aliquam gratiam sine nobis, atque adeò sine cooperatione nostrâ saltem liberâ seu deliberatâ: hæc ipsa tamen gratia dicit ordinem ad nostræ voluntatis consensum liberum, siquidem Deus illam operetur incipiens, ut ea mediante velimus. Hic igitur per particulam *Tò ut velimus* insinuatus ad operandum ordo, seu habitudo vel est actualis causalitatis, vel virtutis pertinentis ad actum primum. At eo ipso, quod sit pertinens ad lineam actualis causalitatis Divinæ, non illi duntaxat Theologi, qui negent gratiam ex parte actûs secundi prævenientem, sed etiam Thomistæ Divinam voluntatis nostræ prædeterminativam motionem concedentes, ipsam reducunt ad gratiam cooperantem, prout videre est apud Ioannem a sancto Thomâ *superius* citatum. Quare illa per sanctum Augustinum præinducta Gratia, quam Deus, ut velimus, sine nobis operatur, quæque dicitur Gratia operans, non spectat ad lineam causalitatis actualis, seu actûs secundi, sed ad lineam actûs primi, seu virtutis operativæ in actu primo completæ, quam Deus in nobis operando, incipit lineam *supernaturaliter* operativam. Econtra verò Cooperans gratia secundùm Divum Augustinum est, quatenus Deus, dum volumus, nobiscum operatur. At certum est, hoc pertinere ad lineam actûs secundi seu causalitatis actualis. Ergo gratia cooperans est *Formaliter* spectans ad causalitatem actualem lineæ operativæ eatenus perfectivam, ut hinc Deus nobiscum cooperando dicatur perficere id, quod incipit operando.

Dices. Doctorem Angelicum *1. 2. q. 111. a. 2.* expressè docere, ipsammet etiam Habitualem gratiam, quatenus est principium operis meritorij, esse gratiam Cooperantem. At per se manifestum esse, quòd gratia Habitualis non spectet ad lineam actualis causalitatis, seu actûs secundi. Non igitur subsistere illud gratiæ operantis & cooperantis discrimen, quòd ista sit spectans ad lineam actûs secundi, illa verò ad lineam actûs primi. Imò verò Divinam operis meritorij prædeterminationem non esse mediam inter actum primum & secundum, & tamen habere rationem Gratiæ cooperantis. 14.

Contra. Nam ex allegatis sancti Augustini verbis apertè constat, quòd gratia cooperans importet nostram cooperationem. Hæc autem dupliciter importari potest vel *Causaliter*, vel *Formaliter*. Unde gratia aliqua potest dici Cooperans tum *causaliter*, veluti est gratia sanctificans, quæ operis meritorij principium, essetque talis physica ad actum bonum præmotio, si daretur, tum *formaliter*, cujusmodi est ipsemet actus noster bonus vi divinæ prædestinationis eum præparantis & causantis nobis eatenus donatus, ut eo ipso tamen sit noster, quòd per liberum nostrum arbitrium sit elicitus, nostramque liberam cooperationem *intrinsecè* & *essentialiter* involvat, uti passim eruitur ex sancti Augustini *libris de corrept. & grat. de prædest. Sanct. & de Dono perseverant.* Quamvis igitur gratia *causaliter* tantùm cooperans possit se tenere ex parte actûs primi seu virtutis supernaturaliter operativæ; attamen gratia *formaliter* cooperans (de quâ Sanctus Augustinus in *superius* allegatis verbis locutus fuisse videtur) importat *intrinsecè* ac *formaliter* nostram liberam cooperationem. 15.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD Soti *n. 1.* propositam doctrinam Respondetur. Intentionem Finis non nisi ex Divino auxilio elicitam eatenus esse gratiam *formaliter* cooperantem, ut tamen respectu Electionis mediorum dici possit gratia *Formaliter* operans, quatenus respectu hujus Electionis quodammodo spectat ad lineam actûs primi, seu virtutis operativæ. 16.

Ad Cajetani *n. 2.* propositam doctrinam Respondetur. Actus subitos & indeliberatos ad bonum supernaturale incitativos eo ipso spectare ad gratiam *formaliter* operantem, quod nostræ voluntatis cooperationem liberam non importent *formaliter*. Etsi verò actus ex imperio & deliberatione rationis provenientes, ut sic sint *formaliter* cooperans gratia, hujus tamen lineam non coæquari per actus hujusmodi, sed omnes actiones supernaturales cooperationem nostram sive *Im-* 17.

perativè;

perativè, sive Elicitivè liberam *formaliter* importantes spectare ad illam gratiæ *formaliter* cooperantis lineam.

18. Ad Vasquezij *n. 3.* deductum fundamentum Respondetur. In eo displicere, quòd videatur confundere gratiam *Formaliter* & *Causaliter* cooperantem, quamvis enim sancta ad Bonum incitativa Divinitùs inspirata cogitatio dici possit gratia *causaliter* cooperans, *formaliter* tamen non est nisi operans gratia. Et hinc ad nostrum intentum valde conformiter asserit Vasquez *citatus*, Gratiam Cooperantem non esse omnino eandem cum gratia Operante, sed esse novam in ratione Doni gratiam, quatenus ipse vocationis in nostrum consensum influxus sit pertinens ad gratiam cooperantem. Quod equidem, si taliter accipiatur, quòd talis influxus solùm *effectivè* se habeat ad gratiam cooperantem, tunc ista erit solùm *causaliter* cooperans, non nisi *connotative*, & secundùm rationem ratiocinatam diversa à gratiâ operante: si verò in eo accipiatur sensu, ut gratia cooperans dicatur illum influxum, nostramque adeò cooperationem *formaliter* importare, tunc erit *formaliter* cooperans, distincta *realiter* ab operante gratiâ.

19. Ad Zumelis *n. 4.* propositam doctrinam, ejusque fundamentum Respondetur. Omnino nobis probari, quamvis aliquam adhuc difficultatem videatur pati ex Divo Thomâ *superiùs citato*, ubi sane non tantùm in gratiâ Habituali, sed etiam Actuali antecedenter ad liberum nostrum consensum movente constituit rationem gratiæ cooperantis, uti patebit legenti. Ad quam proinde difficultatem tollendam opus esse distinctione gratiæ *formaliter* & *causaliter* operantis, ita ut ista *realiter* sit eadem cum operante, seque teneat ex parte Divinæ impressæ virtutis, seu motionis cōsensum nostrum *realiter physicè* antecedentis, illa verò sit *Essentialiter* importans nostræ voluntatis divinitùs adjutæ cooperationem liberam.

20. Ad Marci Serræ *n. 5. & 6.* deductam doctrinam Respondetur. Eam sustineri posse juxta distinctionem proximè insinuatam. Nam 1. Gratia sanctificans, quatenus in animam agit non quidem *Effectivè*, sed *Formaliter*, eatenus est *Formaliter* operans, ut tamen sub ratione principij meritorij sit etiam gratia *causaliter* cooperans. 2. Motio physica ad bene operandum prædeterminativa, si daretur, sub formalitate motûs esset eatenus gratia *physicè* operans, ut tamen sub formalitate vis ad actum bonum prædeterminativæ esset gratia *Causaliter*, non autem *Formaliter* cooperans. Sic sancta divinitùs inspirata ad bonum incitativa cogitatio, nec non pia voluntatis affectio eatenus est gratia sub ratione auxilij saltem moralis *Formaliter* operans, utpote in ordine ad quam mens nostra sit mota duntaxat, non verò movens, ut tamen intentio Finis, seu actus imperans sive *physicè*, sive *moraliter* movendo voluntatem ad Electionem mediorum, seu ad actum imperatum dici possit *Causaliter* cooperans. Ex quibus adeò manifestum esse, quòd de gratiâ *Causaliter*, non autem *Formaliter* cooperante verificetur, esse *realiter* indistinctam à gratiâ operante. At eo ipso, quòd ipsamet cooperatio nostra per Divinæ prædestinationis causalitatem præparata *Essentialiter* involvat gratiam, debere assignari insuper gratiam *Formaliter* cooperantem. De quâ proinde procedere præcipuè illam ex Divi Augustini *superius* adductis verbis.

21. Ad Thomistarum, ac speciatim Ioannis à sancto Thoma *n. 7. ac seq.* deducta fundamenta Respondetur. Nobis omninò probari, tum quòd gratia *Formaliter* cooperans sit realiter distincta à gratiâ operante, tum quòd consequenter nequeat subsistere in subiecto ac indeliberato voluntatis actu. Verùm displicere, quòd constituatur in physica ad actum bonum prædeterminativa motione nostrum liberum consensum *realiter* antecedente. Nam 1. verum est, quòd non solùm nullus effectus à causâ creatâ causatus, sed nulla insuper creata Entitas seu formalitas possit esse causalitas seu virtus Causæ Primæ per hujus propriam agendi formam specificata. Hoc autem posito, quærimus, utrùm illa physica præmotio se haberet ut Causæ Primæ virtus, seu causalitas per ipsammet Causæ Primæ propriam agendi formam ut sic specificata, vel non? Si prius asseratur, jam non erit intelligibile, cur Thomistæ negent actionem creativam ex Deo *Formaliter* transeuntem, seu vim saltem creatam *Instrumentaliter* creativam. Si posterius dicatur, non erit intelligibile, cur in illam Dei motionem ceu Primæ Causæ causalitatem sive virtutem potentialitati, atque adeò defectibilitati *formaliter intrinsece* immersam, non sit reducibilis creatæ per illam prædeterminatæ actionis defectibilitas. Ad hæc igitur inconvenientia evitanda opus est, Divinam Causalitatem actuum creatorum prædeterminativam, esse Deo purè *Formaliter* immanentem, & *Virtualiter* transeuntem ad instar actionis creativæ, *juxta illud Apostoli ad Ephes. 2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis. Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* An non enim hisce verbis clarè innuitur, præparationem operum bonorum prædeterminativam, ut in illis ambulemus, esse creationem? Hæc proinde bonorum operum, ipsiusque, ut in illis ambulemus, consensûs nostri liberi prædeterminativa Dei causalitas eatenus est Deo immanens ad actum non quidem *consummative*, sed *inchoative* spectatum *Formaliter* pertinens, ut ipsi ultra actum primum perfectè completum non respondeat alia motio Dei, quàm actus noster liber ex Divinæ prædestinationis causalitate donatus, habens ut sic ratione gratiæ, utpote Donationis passivæ, *Formaliter intrinsecè* cooperantis.

22. 2. Quia proinde Gratia *Formaliter* cooperans, utpote ipsam cooperationem nostram *intrinsecè* involvens nequit stare cum voluntatis nostræ dissensu, omninò verum est, subitos Intellectui & voluntati divinitùs impressos motus indeliberatos & non liberos non habere rationem gratiæ *Formaliter* cooperantis, sed *Causaliter* duntaxat.

23. 3. Id, quod Deus agit in causâ creatâ, quod actualiter agat, sub ratione virtutis seu causalitatis Divinæ eatenus habere Esse incompletum, quatenus hoc opponitur Esse rato & firmo in naturâ. At verò Esse firmum in naturâ, & in hujus propriâ specificâ ratione & essentiâ est radicatū. Quare, ut vis, quâ causa secunda agit ad Esse, ut instrumentum Causæ Primæ, esset radicatum in illius naturâ, oporteret, quòd esset universale Essendi principium; veluti hæc omnia constant *ex præallegato loco* Divi Thomæ. Et hinc sanctus Doctor contra objectionem sibi factam concludit,

24. quòd ut causa secunda operetur, non sufficere virtutem huic in primâ creationis suæ conditione sibi concessam, sed opus esse operatione Divinâ.

At-

At verò istam operationem Divinam ideo requirit, ut causa secunda valeat agere ad Esse, tanquã effectum Dei propriũ, qui ex parte causæ *in Quarto perseitatis modo Formaliter* supponat Formam, cujus essentia sit Esse. Ex hac verò ratione arguunt Thomistæ, quòd, cùm creationis effectus proprius sit Esse, nequeat esse actio *Formaliter* Transiens, sed *purè* Immanens, ac *virtualiter* duntaxat transiens, cui *immediatè* respondeat effectus creatus *Formaliter* quidem secundùm Esse ut sic, *Materialiter* autem & *Identicè* secundùm perfectionem etiam specificam. Cur ergo ex pari & simili fundamento non æquè concluditur? ad hoc, ut voluntas nostra quoad actum primum & virtutem operativam sufficienter instructa actu operetur, opus quidem esse prævià Divinâ operatione, quæ tamen Deo sit *Formaliter* Immanens, & *Virtualiter* Transiens, cui equidem *immediatè* respondeat actus voluntatis nostræ per Divinam prædestinationem præparatus, & vi hujus creatus, in quo eatenus sit *Formaliter* ratio gratiæ, seu passivæ Donationis & creationis, ut secundùm hunc respectum sit motio & operatio Divina, volũtati impressa, cooperationi nostræ liberæ *realiter* identificata, ut tamen secundùm virtualem naturæ prioritatem ratione ratiocinatâ per prius respiciat Divinæ prædestinationis causalitatem, quàm voluntatis nostræ vim ejusdem causatricem.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CONTROVERSIA III.

Utrùm in ordine ad opera meritoria detur gratia actualis præveniens Formaliter se tenens ex parte actûs etiam secundi?

1. Ex Lessio *disp. Apolog. de Grat. & Divinis Decret. cap. 2. n. 8.* constat; sub gratiâ actuali ultra habitus supernaturales infusos seu virtutem sive permanentem, sive transeuntem voluntatis ad supernaturaliter operandum elevativam duo venire auxilia, quorum alterum sit Divina quædam Intellectûs illustrativa, & ad Bonum incitativa inspiratio; alterum verò sit pia voluntatis excitativa affectio. Quâ proinde duplici non nisi ad actum primum spectante gratiâ præveniente suppositâ, in ordine ad actum secundum non esse opus ulteriori gratiâ præveniente, sed concomitante duntaxat auxilio Dei, non obscurè innuit Lessius *citatus*.

2. Martinus de Esparzâ in Collegio Romano Theologiæ Professor *q. 16. de grat. §. Itaque non solùm.* jactis nonnullis fundamentis, infert 1. rationem gratiæ prævenientis habere non solùm tum eam, quæ sine ullâ nostrâ cooperatione physicâ antecedit, illustrationem, & pias affectiones salutares, tum istos ipsos motus indeliberatos, qui à nobis, licèt non liberè efficiuntur, verùm etiam actus efficaces nobis liberos ac meritorios, dummodo facti sint nullo nostro præexistente merito, ob quod ipsi, vel sufficientia ad ipsos deberi ita nobis essent.

3. 2. Aliam præterea esse rationem, ob quam omnia auxilia gratiæ actualis respectu ejus actûs, ad quem unumquodque eorum destinatur, universaliter habeant rationem gratiæ prævenientis, nimirum in ratione conferentis sufficientiam ad opus. 3. Denique causalitatem gratiæ, rationẽ cujus Deus nos prævenit in ordine ad omnes actus nostros, tametsi præsupponant merita antecedentia, esse in genere præparantis voluntatem, & præeligentis nostrum opus bonum. Etenim Deum præparare voluntatem nostram, antequam eliciat actum quemlibet salutarem, per eam gratiam, ad quam cognoscit te ipsâ subsecuturam esse talem actum, eamque conferre voluntate præfinienti, ac præeligenti *efficaciter absolutè & determinatè* existentiam ejusdem actûs. Quo in genere nihil circa seipsam, aut circa suum actum operari nostram voluntatem. Nam etsi habeat *absolute* in suâ liberâ potestate, concesso jam sibi auxilio Gratiæ, elicere actum, & non elicere; non tamen habere in suâ liberâ potestate, ut sibi conferatur auxilium, ad cujus collationem reipsa operabitur bene; utq; per illud ipsa præparetur. Nec præeligere actum bonum, quem posito auxilio elicit, sed hæc omnia præstare Deum, & dum præstat, operari in nobis sine nobis, id est, nobis nihil agentibus in eo genere, sed Deo solo præoperante, & sic quidem operante, ut operemur, non quia operati simus. Quam proinde esse gratiam & vocationem secundùm propositum, & propriam Electorum, usque adeò familiarẽ S. Augustino, ratione cujus vel maximè prædicet totum Esse Dei, & nihil nostrum, & similia ubique denotantia gratiam quatenus operantem, quoties salutariter operamur, propter præparationem & prædestinationem, seu præelectionem Divinam.

5. Fundamentum Primi est. Quia sanctus Augustinus *in lib. de corrept. & grat. & in omnibus operibus posterioribus contra Pelagianos* vel maximè contendit, Gratiam non propter merita nostra dari; & ideo sine nobis illam dari, quia nobis nondum merentibus datur prorsus indebita. Et hinc *cap. 2. de Prædest. Sanct.* concludere eundem sanctæ Ecclesiæ Doctorem, si fides non haberetur ex gratiâ, uti Pelagiani, & Semipelagiani semper pertinaciter asserebant: reliqua postea subsequentia opera non futura esse ex gratiâ; & fore, ut non præveniret Deus homines, sed homines Deum, contra, quàm clamat scriptura.

6. Fundamentum secundi est. Nam teste Divo Augustino *epist. 105. Quod promittit Deus, non facit nisi Deus.* Et rursus. *Ut homo se facere dicat, quod promisserit Deus, superbæ impietatis est.* At promittit Deus, omnes actus nostros liberos salutares, juxta illud *Ezech. 11. Auferam cor lapideum de corde eorum, & dabo eis cor carneum*, id est, *voluntatem obedientem, consentientemque mandatis.* Uti exponit sæpe Augustinus, & significat idem Propheta subdens immediatè: *Ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque ea.* Ergo nihil horum faciunt homines, estque superbæ impietatis, si dicatur quidpiam eorum fieri ab eis. At impietatis nequaquam minoris est, si dicatur non fieri, quod promittit Deus, idve fieri non posse, quod ipse præcipit. Præcipit autem per eundem Prophetam *cap. 18. Ut faciamus cor novum, & spiritum novum, promittitque, se facturum, ut faciamus.* Quæ proinde duo quomodo inter se cohærere possint, non facilè apparet, urgente difficultatem Augustino duplici istâ interrogatione *Quomodo ergo, quod dicit vobis facite, hoc dicit dabo vobis? Quomodo non faciamus, quod promittit Deus, quando ipse promittit, se facturum, ut faciamus?*

7. At verò hujus tantæ difficultatis responsio maxi-

maximè idonea habetur apud ſanctum Auguſtinum *lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 10.* ubi de promiſſione Fidei Gentium Abrahæ factâ, *Non de noſtra* ſubdit *voluntatis poteſtate; ſed de ſuâ prædeſtinatione promiſit: alioqui ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed hominum eſſet poteſtate* nimirum ex ſe ſufficienti, ut volebat Pelagius. Hic igitur titulus ſufficientiæ convenientis Deo, & ejus gratiæ ex ſe, & deficientis homini ex ſe, veram reddit illam primam propoſitionem: *Quod promittit Deus, non facit niſi Deus*: & conſtituit Deum, atque ejus gratiam in nobis ſine nobis, quotieſcunque ſalutariter operamur, quatenus proxima ſufficientia operandi tribuitur nobis à Deo per gratiam, nondum quidquam agentibus nobis, quoad habendam eandem ſufficientiam: licèt, eâ habitâ, verè poſtea cooperemur cum gratiâ, eâque ratione verificetur, nos etiam facere conſequenter, quod promittit Deus.

8. Fundamentum Tertij deſumitur ex libris Sancti Auguſtini *de Prædeſt. Sanct.* ubi ad illud: *Quis te diſcernit?* increpans tribuentes ſibi fidem: *Non quia credere*, ait, *vel non credere non ſit in arbitrio voluntatis humanæ, ſed quia in Electis præparatur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordiâ ejus, quid de judicio.* At iſtam præparationem appellat ibi electionem, diſcretionem, miſericordiam; frequentiùs verò tum *ibi*, tum *alibi* vocationem ſecundùm propoſitum, atque *ibi cap. 3.* dolenter meminit, ſe non ſatis de illâ egiſſe in quæſtionibus ad Romanos. Ait enim: *Sed parum de ipſâ vocatione diſſerui, quæ fit ſecundum propoſitum Dei: Non enim omnium, qui vocantur, talis eſt, ſed tantùm Electorum.* Deinde *lib. 1. ad Simplic. q. 2. & in Enchirid. ad Laur. cap. 32.* rationem, ob quam non ſit volentis, neque currentis noſtra converſio, juſtitia & ſalus, deduxit ex præparatione iſtâ, & vocatione ſecundùm propoſitum. Indidem etiam deducit cum Cypriano *in cit. cap. 5. & alijs locis lib. de Prædeſt. & Perſev. In nullo eſſe gloriandum, quando totum eſt Dei, & nihil noſtrum.* Utrumque verò deducitur optimè. Quia præparatio iſta & vocatio ſecundùm propoſitum fiunt in nobis ſine nobis, & abſque ullâ noſtrâ cooperatione, merito, aut exigentiâ. Atque illis poſitis, ſequitur infallibiliter operatio noſtra, ita ut repugnet, nos non operari ſalutariter in ſenſu compoſito ipſarum. Rectè ergo tribuitur Deo quatenus ſic operanti noſtra converſio, tota Iuſtitia, & ſalus ratione præparationis & vocationis ſecundùm propoſitum præeuntis aliquo pacto exercitium liberum noſtræ voluntatis; & nos quaſi nihil, & quaſi merum Inſtrumentum comparamur ſub eâ ratione, licèt ſub aliâ exerceamus munus cauſæ *immediate & principaliter* agentis reſpectu omnium ſalutarium actionum.

CONCLUSIO.

PRæter adjutorium gratiæ ſe tenens ex parte actûs ſecundi omnino admittendum eſt gratiæ actualis auxilium ex parte actûs etiam ſecundi præveniens. *Id fusè probavimus in to. 1. q. 6. a. 6.*

9. Probatur. Nam ſecundùm Divum Auguſtinum *lib. de corrept. & grat. cap. 12.* duplex gratiæ auxilium diſtingui debet. Quorum alterum dicitur adjutorium *ſine quo* aliquid non fit: alterum verò adjutorium *cum quo* aliquid fit. At prius aſſerit citatus Eccleſiæ Doctor eſſe perſeverantiæ poteſtatem, vi cujus datur poſſe Bonum non deſerere: poſterius autem ait, eſſe perſeverantiæ felicitatem, Bonum non poſſe deſerere. Eſt autem per ſe notum, tum quòd adjutorium dans perſeverantiæ poteſtatem, vi cujus datur poſſe, ſpectet ad actum primum ſeu virtutem in actu primo cauſativam; tum quòd adjutorium ipſam perſeverantiæ felicitatem actu conferens & voluntatis humanæ infirmitati eatenus ſubveniens, ut vi illius *ex cit. cap. 12 de corrept. circa finem*, indeclinabiliter & inſuperabiliter agatur, eſſe ultra actum primum voluntatis ad ſupernaturaliter operandum inſtructæ. Conſequens igitur eſt, ultra adjutorium gratiæ ſe tenens ex parte actûs primi, atque ſupernaturaliter operandi ſufficientiam ſeu potentiam completam conferens dari aliud inſuper gratiæ adjutorium, eo ipſo pertinens ad actum ſecundum, quòd importet perſeverantiæ felicitatem, ſive ipſammet voluntatem bonam ex divinæ prædeſtinationis cauſalitate donatam. *ex cit. cap. 12. de corrept. juncto cap. 10. de Prædeſt. Sanct.* At verò iſtud ipſum ex parte actûs ſecundi ſe tenens gratiæ adjutorium oportet, non eſſe merè concomitans, ſed præveniens.

Probatur iſtud ſubſumptum. Nam iſtud ex parte actûs ſecundi ſe tenens adjutorium datur, 10.
quatenus Deus reluctanti ſtudium virtutis immittit, auferendo cor lapideum, unde nō faciebat, & dando cor carneum obediendi. *ex lib. de grat. & lib. arbit. cap. 10.* At hoc totum eatenus fit à Deo, ut in omnibus, quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia ejus præveniat eum. *ex lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. cap. 6.* Cùm igitur iſta præveniens Dei miſericordia ſit in hoc, quòd virtutis ſtudium conferatur per ipſammet obediendi voluntatem ex Divinæ prædeſtinationis (*juxta cit. cap. 10. de Prædeſt. Sanct.*) cauſalitate donatam; conſequens eſt, dari gratiam prævenientem etiam ex parte actûs ſecundi ſeu actualis bonæ voluntatis ſe tenentem.

Confirmatur. Quia velle noſtrum ac bene 11.
operari ita eſt Dei miſerentis, ut dicatur ab Apoſtolo, non eſſe currentis, neque volentis. At ſi, Deus ad velle ſeu bene operari non concurreret in actu ſecundo niſi *concomitanter*, tunc etſi facultas bene operandi eſſet ſolius Dei miſerentis, ipſum tamen bene operari non magis eſſet Dei miſerentis, quàm arbitrij creati currentis & volentis; Divo Auguſtino *in Enchirid. cap. 32. adversùs Pelagianos* argumentante: *Si velle noſtrum ſit ex utrâque, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordiâ Dei, tunc illud Apoſtoli dictum fore accipiendum, quaſi diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei; ſi autem gratia ſeu miſericordia Dei & voluntas hominis tanquam duo partialia principia in determinationem noſtri velle liberi ſimul & concomitanter influant; tunc neque ſolam miſericordiam Dei ſufficere, ſi non ſit etiam voluntas hominis.* Ex hoc autem concludendùm fore, ſicuti ex eo, quòd ſola voluntas hominis non ſufficiat ad liberum velle, verificatur, non eſſe volentis, ſed Dei miſerentis, ſic quia miſericordia Dei ſola non operatur, dicendum fore, econtrario non eſſe Dei miſerentis, ſed volentis. Hoc autem nullum dicere audere Chriſtianum. Quare fatendum eſſe: *Propterea dictum eſſe, non volentis, ſed Dei eſſe miſerentis, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem*
& præparavit adjuvandam, & adjuvat præparatam. At 12.
verò præparatio voluntatis adjuvandæ eſt ipſum

velle

[illegible] m præveniens adjutorium, ita ut, licet illud velle sit nostrum propter voluntatis nostræ arbitrium, sit tamen Dei miserentis, utpote præparantis, atque adeò prævenientis, seu antecedenter operantis non tantùm in donatione facultatis bene operandi, sed in ipso etiam operari. *ex lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 3.* Fatendum proinde est, dari gratiæ præveniens ex parte actûs etiam secundi se tenens adjutorium, cui totum bonum velle nostrum eatenus attribuatur, ut sit solius Dei miserentis, non autem volentis. Hoc autem verum est, quatenus illud ipsum ex parte actûs secundi præveniens Dei adjutorium *primo & originative* importat Decretum Dei bonæ nostræ volitionis præparativum seu prædestinativum, in vi causalitatis omnino efficacis *virtualiter* continens totum velle nostrum, etiam quà dependens ex liberà voluntatis nostræ Dominativâ virtute, cùm econtra hæc nequeat suæ volitionis quà ex Divina causalitate pendentis esse *virtualiter* contentiva. Consequens igitur est, dari gratiæ adjutorium ex parte actûs etiam secundi eatenus præveniens, quatenus *originative* importat ipsam Divinæ prædestinationis operum nostrorum bonorum præparativæ causalitatem, *consummative* verò motionem ex istâ Deo immanente causalitate effectam, & voluntati nostræ impressam non *realiter*, sed *ratione duntaxat ratiocinatâ* distinctam à libero nostro consensu, veluti patere potest tum ex [illegible] dictis tum *sequent. cont.* dicendis.

Responsio ad Esparzæ fundamenta.

13. AD 1. *n. 5.* deductum fundamentum Respondetur. Verum quidem esse, quòd ipsimet actus nostri liberi meritorij, teste Concilio Tridentino *Sess. 6. de Justif. cap. 6.* sint Dona Dei, atque adeò Gratia per Divinæ prædestinationis causalitatem ex [illegible], quæ sub meritum saltem condignum cadere nequeant, gratuitam donata. Hinc tamen [illegible] a non dici gratiam *positive* prævenientem, sed *negative* duntaxat, quæ scilicet non fit [illegible] ex merito, seu debito prævio: cùm tamen gratia *positive* præveniens importet prævium aliquem operis boni *positive* causativum influxum.

14. Ad 2. *n. 6.* deductum fundamentum Respondetur. Nos haud penetrare posse ex Esparza, quid in allegato fundamento intelligat sub ratione sufficientiæ ad supernaturaliter operandum divinitus collatæ. Si enim sub istâ sufficientia solùm intelligat [illegible] gratiæ cohærens vires in actu primo sufficientes, difficultas statim emergit, qualiter de hujus [illegible] divinitus datæ potestate possit subsistere [illegible] Divinæ prædestinationis. Etenim [illegible] istâ sufficientia subsistente in voluntate, huic [illegible] ad utrumque Dominativa & electiva æqu[illegible] dissensum, atque ad assensum indifferentia. [illegible] non nisi ex altiori quodam principio subsistere potest Divinæ promissionis, non tantùm vires, [illegible] ipsum velle nostrum [illegible] pellicentis infallibiliter. Hoc autem principium [illegible] tus ex sancto Augustino [illegible] prompti, ac per Esparzam eleganter deducti [illegible] ant, consistere in Divina prædestinatione. Hæc proinde eatenus est causa [illegible] velle nostri [illegible], ut ipsimet nostro consensu, liber *virtualiter* contineatur in [illegible] à [illegible] insuperabili. Et hinc verum est, [illegible] facere, quod promisit, ut voluntas [illegible] habeat suam ipsam [illegible] tatem liberam quà pendentem ex Divinâ prædestinatione, ita ut, licet voluntati nostræ liberæ sit vis *principaliter* influens in suum actum, hic tamen non *simpliciter & absolute*, quà ex divina causalitate *essentialiter* pendens, sit reducibilis in nostræ voluntatis potestatem, cùm econtra actus ejusmodi etiam quà ex libero nostro arbitrio [illegible] reduci debeat in Divinæ causalitatis vim, *virtualiter* præcontinentem illum actûs, secundùm omnimodæ realitatis formalitatem ac entitatem spectati. Unde dicitur etiam esse miserentis Dei, non volentis arbitrij nostri, quia illius non hujus est *simpliciter*, si quidem voluntas nostra etiam in actu primo completa non habeat vim Divinæ causalitatis ad actum illum necessariæ *virtualiter* præcontentivam; sicuti econtra Divinæ prædestinationis efficacia habet vim ipsius etiam influxûs nostri liberi *virtualiter* præcontinentem, & ut sic prævenientem.

Ad 3. *n. 8.* deductum fundamentum Respondetur. Ex sancti Augustini *ibidem* allegatis libris & textibus efficaciter probari, quòd ultra vires in actu primo sufficientes, ad rectè operandum requiratur Divina præveniens causalitas. Quanquidem causalitatem in suâ efficaciâ eatenus præcontinere opera nostra bona, quoad ipsummet etiam consensum liberum spectata, ut totum hoc sit Dei miserentis, non autem volentis, neque currentis voluntatis, utpote suâ efficacia non præcontinentis *virtualiter* Divinum pro voluntatis liberæ exercitio *essentialiter* requisitum influxum. Unde illam ipsam causalitatem Deo *formaliter* immanentem ut sic esse donationem activam, esseque adeò gratiam *inchoative*, & *originative*: ipsi verò respondere ut sic bonam vitam nostram in meritis consistentem, tanquam donationem passivam, seu gratiam *consummative*. ex Sancto Augustino *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. circa finem. & de prædest. Sanct. cap.* [illegible]. Si proinde Esparza in tali prædestinatione vi causatrice prævenientem gratiam *Inchoative & Originative* constitutam velit, *Consummative* autem in ipsismet nostris operibus bonis quà ex Divinæ prædestinationis causalitate gratuitò donatis positam asserat, vix quoad præsens saltem punctum discordabit à nostrâ sententiâ mox aperiendâ. 15

❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA IV.

Utrùm auxilia actualia Gratiæ constituantur adequatè per illustrationes & inspirationes supernaturales?

MArtinus de Esparzâ *præs. q. 15.* docet, certum esse, quòd non liceat Theologis, ut inducant inter auxilia gratiæ ea, quæ in Concilijs & Patribus non reperiuntur expressa, aut satis indicata: quandoquidem omnis doctrina de gratia ex solâ Dei revelatione descendat, eaque [illegible] legitimum sensum scripturarum [illegible] per Concilia & Patres. In his autem solas reperiri illustrationes intellectûs, & inspirationes Voluntatis, [illegible] frequentissimo [illegible] expressio, quin illa unquam fiat vel expressio, 1.

pressio, vel insinuatio qualitatis, aut motionis purè physicæ, sed prorsus oppositum.

Fundamentum est 1. ex Concilio Milevitano *can. 4.* ubi, cùm vellet exponere naturam, & munera gratiæ, solùm definit: *Per gratiam revelari nobis intelligentiam mandatorum, darique simul scire,*
2. *quid agere debeamus, & diligere, ut faciamus.* 2. Ex Sancto Augustino *cap. 7. de peccat. merit. Cùm autem,* inquientis, *ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque Iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat?* Ubi ponderanda est particula exclusiva *Quid aliud*, per quam excluduntur à ratione adjutorij Dei omnia illa præter illustrationem, quæ sola aperit, quod latebat; & piam affectionem seu inspirationem, quæ sola suave facit suavitate delectante, quod non delectabat. 3. Ex
3. Sancto Thomâ *in Ioann. cap. 6. lect. 5. vers. 3. q. 1. §. sic ergo multipliciter.* ubi rationem tradit à priori, ob quam impossibile sit, voluntatem moveri ad suum actum qualitate, aut motione ullâ purè physicâ. Etenim voluntas & potentia rationalis, solâ ratione proponente bonitatem objecti, & delectatione ad illam alliciente moveri potest. Nulla namque vis purè physica *immediatè* inclinat, aut ullo pacto movet ad volendum & eligendum, ut quisque ex propriâ experientiâ, & ipsâ rei consideratione, atque comparatione cum rebus inanimatis immobilibus per aliquid intentionale, facilè
4. conijciet. 4. Efficacissime ex sacris litteris significantibus ubique auxilia Divinæ gratiæ universim omnia, per verba pulsandi, vocandi, invitandi, tangendi, & similia exprimentia clare vim illustrationũ, & piarum affectionũ; nec unquam usurpant verbum, quod accommodari idonee possit qualitati, aut motioni physicæ, quatenus *immediatè* moventi voluntatem. Et quidem verbum tangendi solùm illustrationem significare, constat ex Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 5.* sic definiente: *Tangit autem Deus cor hominis per Spiritûs sancti illuminationem.* Et verò pulsari & vocari non potest homo, & multò minùs invitari, quin sentiat, & quin suaviter per invitationem alliciatur, & afficiatur, & nisi quatenus sic allicitur, & afficitur. Constat igitur ex his omnibus, auxilia actualia Gratiæ *adæquatè* constitui per solas illustrationes, & inspirationes, seu pias affectiones voluntati à
5. Deo immissas.

Huic sententiæ aliqualiter patrocinatur opinio illorum, speciatim Curielis *hic tract. de grat. actuali. dub. 2. §. 6* qui existimant, gratiam cooperantem, atque adeò Efficacem, seu in lineâ gratiæ actualis pro reali naturæ priori consensum nostrum antecedentis ultimam consistere in motu indeliberato, quo Deus movet voluntatem ad consensum liberum. Verùm Ioannes à sancto Thomâ *præf. disp. 24. a. 3. n. 12.* istam sententiam refutat ex eo, quòd ejusmodi actus indeliberatus non concurrat tanquam auxilium & efficacia virtutis Dei, sed sicut virtus ipsius voluntatis, eo modo, quo assensus præmissarum est causa assensûs conclusionis, & intentio causa electionis, [illegible] non dicuntur gratia Dei, sed oper[illegible] causæ inferioris, quibus de uno se movet ad [illegible]am.

6. Quare author *pr[illegible] art. 2. n. [illegible]*. ex communi Thomi[illegible] sententiâ concludit, præter [illegible] a Illustrationis & Inspirationis ad voluntatis virtutem [illegible] operativam, atque adeò ad actum [illegible] spectantia ad [illegible]dum

esse ulterius auxilium, in quo consistat intrinseca gratiæ efficacia & infallibilitas. Fundamentum ex sancto Augustino petitum est 1. *ex lib. de corrept. & grat. cap. 12.* ubi præter adjutorium *sine quo* daus posse, seu potentiam operandi admittit adjutorium *Cum quo*, mediante *quo ita sibi [illegible] enim esset infir-*
mitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter & insuperabiliter Divinâ gratiâ ageretur. 2. Ex *lib. de Prædest. Sanct. cap. 8.* ubi habetur de gratiâ efficaci. *Quod hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur,* 7.
ut cordis duritia primitus auferatur. 3. Ex *Enchir. cap. 95.* ubi sic differitur. *Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, [illegible] quam manifesta cognitione videatur, quam certa, [illegible] efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit, quod non possit, quamque sit verum, quod in Psalmo canitur; Deus autem noster in cælo, & in terrâ, omnia, quæcumque voluit, fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, volun-* 8.
tas hominis impedivit. Ex quibus author *citatus* sic argumentatur. Secundùm Augustinum datur aliqua gratia, cui nulla duritia cordis, nec liberum arbitrium resistit, nec voluntas hominis impedit, ne fiat. At respectu gratiæ sufficientis voluntas hominis impedit, & duritia cordis respuit, quia de facto non habet effectum. Ergo aliquid intrinsecum in ratione gratiæ habet gratia efficax, cui non resistit voluntas, quod non habet gratia sufficiens, cui resistit. 9.

Verùm inter ipsos etiam Thomistas intrinsecam gratiæ infallibilitatem non ex parte præscientiæ, sed ex parte efficaciæ voluntatis Divinæ ponentes aliqua adhuc dissensio est. Nam quidam, ut videre est apud Ioannem à sancto Thomâ *in Phys. q. 28. a. 2. concl. 1. & præf. a. 3. n. 2.* ponunt illam efficaciam in ipso Decreto, & voluntate Dei secundùm se, non in aliquâ physicâ mutatione, quæ *realiter* imprimitur voluntati nostræ. Alij econtra existimant, consistere in quâdam qualitate, sive motione actuali *immediatè* derivatâ à Deo, quæ nõ dat virtutem & potentiam ad agendum, sed applicationem, & determinationem virtutis ad exercitium actûs hic & nunc eliciendi. Unde gratiam sufficientem dari ad speciem actus, magisque respicere objectum, à quo est specificatio, efficacem verò dari ad exercitium actûs, magisq; respicere subjectum, à quo est egressio operationis. 10.

Fundamenta per Ioannem à sancto Thomâ *cit. a. 3. à n. 5.* deducta, & quidem præcipua sunt ex Sancto Augustino. Nam hic Ecclesiæ Doctor illam physicam motionem intelligit, quando *in lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* ait; *Quod Deus faciat, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et *lib. contra duas Epist. Pelag. cap. 59. Deus,* inquit, *operatur in cordibus hominum, ut homines volentes ex nolentibus fiant.* Et *cap. 10. Quod Deus efficacissimâ & occultissimâ potestate convertit cor Regis Assueri de indignatione ad lenitatem.*

Ego, si de illâ motione physicâ m[illegible] meam aperire debeam, ingenuè fateor, m[illegible] illam omnino pertinaciter improbare, quin libenter admittam, tum quòd argumenta contra ipsam militantia ab ejus assertoribus bene solvantur; tum quòd argumenta satis efficacia per ipsos proferantur in medium. Quia tamen ex hisce haud convincor, quia omnia videntur mihi expediri posse per voluntatis Divinæ efficaciam [illegible] 11.

Idcirco prædeterminativam voluntati creatæ impressam physicam ab actu nostro libero distinctam motionem eo vel maxime fundamento *in 1. to. q. 6. a. 6. cont. 2.* duximus non admittendam; partim quòd Sanctus Augustinus inter voluntatis Divinæ Decretum operis boni prædestinativum, & ipsummet actum nostrum liberum non videatur agnovisse mediam motionem; partim quod argumenta ab authoritate & ratione ad illam mediam physicam præmotionem adduci solita non videantur convincentia, quin possint omnia componi, quatenus bona opera nostra dicantur eatenus descendere ex efficacia & causalitate Divinæ prædestinationis, ut in hac sita sit formalitas Efficaciæ *causaliter* conferentis ipsummet velle nostrum liberum, in isto verò secundùm virtualem naturæ prioritatem sit intelligibilis Formalitas [illegible] Divinitùs impressæ per prius respiciens causalitatem Divinæ prædestinationis, quam voluntatem nostram cooperantem. Unde cùm illa actus nostri ex Divinâ causalitate *virtualiter* prius, quàm ex voluntate nostrâ egredientis formalitas impertiet formalissimè gratiam Divinæ prædestinationis efficaciâ donatam, idcirco ex prædestinatione tanquam donatione activâ, & actu nostro bono libero tanquam donatione passivâ [illegible] intelligi posse aliquod quasi concretum, in quo efficacia Divinæ voluntatis se habeat per modum formæ denominantis, ipse verò actus bonus noster in se *formalissime* importans gratiam se habeat per modum Denominati, ut adeò sub tali concreto rectè intelligatur gratia efficax. Hinc ubi illam mediam prædeterminativam qualitatem seu præmotionem physicam ceu minùs necessariam semel ablegavimus, *in to. 1. 2. & 3. præsent.* aliquot eam argumentis refutavimus. Nam inter Divinæ prædestinationis efficaciam, & illam physicam præmotionem hoc discrimen intercedit, quòd ista suam formalem efficaciam *intrinsecè* imprimendo voluntati, huic *formaliter* communicet intrinsecam respectu non actûs resistentiam; cùm econtra Divina prædestinatio suam efficaciam causaliter solùm applicet voluntati. Unde licet utraque tam prædestinationis, quàm præmotionis efficacia de se non dicat repugnantiam cum potentiâ ad non agendum, sed præcisè cum non actu: nihilominùs præmotio physica istam cum non actu repugnantiam *formaliter intrinsecè* communicat ipsimet virtuti activæ, adeòque huic imprimit formalè respectu non actûs resistentiam, cùm econtra ista non actûs repugnantia in Decreto præfinitivo se tenens nō efficiat *formaliter* activam voluntatis virtutem, sed [illegible] determinatio præcise cadat super actum, nec aliter se habeat ad voluntatem, nisi hanc tali modo [illegible] movendo, ut licet ipsi resistere non possit, [illegible] tamen non immutet ejus vim non quidem [illegible] Decreto prædestinativo, bene tamen [illegible] Dominativam, nec adeò sit repugnantia [illegible] actûs *formaliter & intrinsecè* afficiens voluntatem, sed ejus duntaxat actum [illegible] perficiendum. [illegible] non actus repugnantia super actum solummodò [illegible] suum objectum, non vero [illegible] tanquam subjectum, cadens non [illegible] voluntatis [illegible] formalem respectu [illegible] vi ejus voluntatis Dominativa facultas [illegible] impellitur, cum [illegible] formali non [illegible] resistentia voluntati [illegible] activam

intrinsecè afficiente, videatur voluntatis ad non agendum facultas esse *formaliter* impedita. Et hinc [illegible] qualem habeo [illegible] physica præmotione difficultatem; *Qualiter subsistere valeat cum expeditâ voluntatis ad non agendum Dominativa facultate?*

Porro ex eo etiam *capite* [illegible] *supra.* difficultatem movi, quòd, stante illa præmotione difficile videatur, *Qualiter sola Essentia* [illegible] *verò sive physica, sive moralis in potentialitate* [illegible] *defectibilitas sit reducibilis in Divinam causalitatem.* Quibus omnibus utpote *alibi* sufficienter deductis abstineo; hîc solummodò visurus, *quid auxilii* [illegible] *ultrà Divinas Illustrationes & inspirationes respectu operum supernaturalium sit necessarium?* 12.

CONCLUSIO.

Ultra Illustrationes, & Inspirationes Divinas non nisi ex parte actûs primi seu potentiæ ad suaviter operandum completæ se tenentes adstrui debet actualis gratiæ auxilium se tenens ex parte actûs secundi.

Probatur. Nam post [illegible] alicujus honesti ad voluntatem [illegible] nec non inspiratione voluntatis ad [illegible] intellectûs repræsentatum suaviter [illegible] stat omnimoda voluntatis indifferentia Electiva ac vis Dominativa tam super illud [illegible] mediante sibi illustratione [illegible] super actum, ad quem mediante inspiratione divinitùs impressa est voluntatis in actu licet primo [illegible] tio suaviter incitativa. Quapropter [illegible] tivâ voluntatis facultate ac indifferentiâ Electivâ subsistente, ad hoc, ut actus virtutis *actualis* [illegible] tur, opus est determinatione voluntatis. De hac igitur voluntatis ad actum secundum determinatione oritur quæstio; *An sit primò ex Deo seu per gratiam Dei, vel econtra ex voluntatis libertate & Dominativa virtute.* 13.

In hac vero quæstione decidenda apprimè expedit, servatam mentem Sancti Augustini, ejusque fundamenta ex sacris litteris deprompta, & per *nos in to. 1. q. 6. a. 1. & 6.* studiosè deducta. Quorum adeo vis, ut videre est ex integris [illegible] Ecclesiæ Sanctæ Doctoris *libris de Gratia Christi. de Grat. & lib. arbit.* Item *contra duas Epist. Pelag. de corrept. & grat. de Prædest. Sanct. de Dono persev.* eò collimat, ut fateamur, gratiam [illegible] *in posse* duntaxat, seu donatione possibilitatis sive potentiæ & facultatis salutariter operativæ, sed in ipso [illegible] & *operari*, utpote donato per Discretionem & Electionem ipsius bonæ voluntatis nostræ effectivam, præparativam & prædestinativam, ita ut ex voluntatis Divinæ definita sententia [illegible] nostra obedientia ad credendum, aliaque opera salubria perficienda, nec possimus [illegible] nobis ullatenus gloriari, sed in Domino duntaxat præparante opera nostra bona, ut in iis ambulemus, faciente ut faciamus, [illegible] cor lapideum seu duritiem cordis, & [illegible] carneum, seu obediendi voluntatem. Cum igitur illa ipsius velle & operari nostri [illegible] præfinitiva, ipsius obediendi voluntatis præparativa, nostrique, ut ex volentibus [illegible] ativa [illegible] ultra illas inspirationes & illustrationes divinas, utpote quæ ex parte actûs primi seu potentiæ suaviter operativæ se tenentes, nullam voluntatis [illegible] 14.

indifferentis ad Bonum determinationem, discretionem ac electionem ex parte tam Dei, quàm voluntatis creatæ vel *Formaliter*, vel *Causaliter* in se contineant, evidenter sequitur, oportere, ultra illas Divinas illustrationes ac inspirationes adstruere gratiæ actualis auxilium se tenens ex parte actûs secundi. Quod proinde gratiæ adjutorium non in physicâ voluntati impressa præmotione, sed *Originativè*, imò quoad efficaciam *Formaliter* constituimus in Divinæ Prædestinationis, velle nostri seu operis boni, & consensûs liberi præparativæ ac Electivæ; *Terminativè* autem, seu *consummativè*, & quoad rationem Doni seu Donationis passivæ *Formaliter* ponimus in ipso velle nostro, vi Divinæ prædestinationis causato & donato. Pro-

15. batur istud assumptum. Nam Sanctus Augustinus *l. b. de corrept. & grat. cap. 12.* cùm fusè disputasset de adjutorio *sine Quo*, tanquam gratiâ sufficiente, nec non de adjutorio *cum Quo* tanquam gratiâ efficaci, tandem circa Finem ejusdem capitis istam vocat voluntatem Divinæ gratiæ largitate donatam, illam verò possibilitatem perseverandi. Unde clarè elucet, quòd ipsa etiam opera nostra bona libera sint gratia divinitùs donata, eodem Sancto Doctore *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 8. circa finem.* attestante, ipsam bonam vitam nostram, quæ *Formaliter* consistit in meritis, seu bonis operibus nostris, esse gratiam. In quem adeò sensum sacrum quoque Concil. Trident. *Sess. 6. de Iustif. cap. 16.* definit *oportere, ut fateamur merita nostra esse Dona.* In hisce proinde bonis operibus nostris diversæ sunt considerandæ formalitates, quarum prima sit ratio Divinæ motionis potentialitatem arbitrio nostro non quà merè *passivo*, sed etiam quà *activo*, ejusq; vi Dominativæ propriam actuantis. Secunda est ratio Divini in ipsummet velle nostrum influxûs; tertia denique est ipsius velle à libero nostro arbitrio, seu Causâ Effectrice dependentia & emanatio libera. At sub omni istâ formalitate est considerabilis gratia Dei; sub hac quidem postremâ & tertiâ, quatenus velle nostri ex voluntatis Dominativâ facultate emanatio libera non adeò præscindibilis est, quin *Transcendaliter* sit importans Divinæ causalitatis gratuitæ concursum. Unde ut sic velle nostrum sustentare habet rationem gratiæ comitantis ac subsequentis. Sub secundâ autem formalitate ipsomet etiam Ioanne à sancto Thomâ *to. 2. Theol. q. 19 disp. 5. a. 5. n. 5.* fatente, est assignabilis prioritas virtualis, secundùm quam per prius sit reducibilis in Deum, ejusque causalitatem immanentem, sive Divini præfinitivi Decreti efficaciam, quàm in voluntatem creatam. Ergo ut sic habet rationem gratiæ secundùm prioritatem virtualem prævenientis. Sub prima denique formalitate est considerabilis actus salutaris, quatenus est influxus Dei, non in ipsum *præcisè* effectum, seu liberum actum nostrum, sed in ipsummet arbitrium nostrum quà causam in operando *Essentialiter* subordinatam, ut sic mediante tali per Divinæ prædestinationis efficaciam donato & causato influxu actuabilem, atque mediante tali actuatione *virtualiter* priori reducibilem in actum secundum. Constat igitur, quòd tum ratio motionis Divinæ potentialitatem creati arbitrij propriam actuantis, atque adeò Gratiæ *realiter* prævenientis omnimodè conveniat actui nostro salutari per Divinæ causalitatis efficaciam donato & causato, quin ipsum recurrere ad physicam ab actu nostro libero [illegible] præmotionem

16. Quòd si proinde istam in meritis seu bonis operibus nostris *Formaliter* sitam gratiam componamus cum Divinâ, ex quâ fluit, prædestinatione, in hac inveniemus vim causalitatis operum ejusmodi actualiter effectricis. Eo ipso autem quòd ista effectrix causalitas sit secundùm absolutum omnipotentissimæ voluntatis Divinæ Dominium, sequitur, ipsam habere omnimodam, insuperabilem, & indeclinabilem efficaciam, vi cujus arbitrium nostrum eatenus agatur, ut ex vi illius habeat voluntatem non tantùm invictissimam, sed etiam liberrimam. Unde licèt hæc voluntas nostra in comparatione ad arbitrium nostrum habeat quidem libertatem; superabilem ac vincibilem, in comparatione tamen ad causalitatem Divinæ prædestinationis habet libertatem omninò invincibilem & insuperabilem. Quare efficacia, per quam stat infallibilitas certissima consensûs nostri liberi, eatenus *formaliter* residet in voluntatis Divinæ Decreto, consensûs nostri etiam qua liberi præfinitivo, ut, quatenus ex hujus definitæ voluntatis Divinæ decreto secundùm divum Augustinum descendit obediendi voluntas nostra, habeat rationem auxilij efficacis, quâ efficaciâ mediante ipsemet consensus noster liber, seu obediendi voluntas donata & causata sit gratia eoipso efficax, quòd sub illâ formalitate, secundùm quam *Essentialiter* subordinatur Divinæ prædestinationis causalitati, ex hujus vi & denominatione fit omnino immobilis & immutabilis, ita ut hæc immobilitas & firmitas ipsammet etiam contingentiam libertatis ut sic propriam causando actum ex se causatum afficiat, & ut sic denominet in ratione gratiæ firmæ, immobilis, insuperabilis, atque adeò efficacis.

Responsio ad opposita fundamenta.

17. AD Martini de Esparzâ à *n. 1.* opposita fundamenta Respondetur 1. Eo ipso, quòd secundùm Concilium Milevitanum *ibi citatum* detur gratia conferens non tantùm scientiam agendorum, sed talem insuper dilectionem, ut faciamus, oportere, ultra illustrationem & inspirationem Divinam ex parte actûs primi se tenentem, nec adeò vis Dominativæ nostræ liberæ [illegible] vam dari gratiam, quæ ex parte actûs secundi catenus se teneat, ut *determinatè* sit [illegible] consensûs nostri liberi, hoc enim clarè sonant illa verba: *Tò ut faciamus.* 2. Si illi alij [illegible] Sancti Augustini textus conferatur cum alijs [illegible], manifestum esse, quòd hic sanctus Doctor [illegible] id, quod non delectabat, suave [illegible] non tantùm aliquam ex parte actûs primi Inclinativam suavitatem, sed invictissimam suavitatem, vi cujus voluntas indeclinabiliter agatur. Sub istâ verò invictissima suavitate venire efficaciam ipsum velle bonum nostrum actu conferentem. Cujusmodi proinde efficaciam sitam esse in causalitate Divinæ prædestinationis per absoluti [illegible] Divini Omnipotentissimam virtutem insuperabili. In hac proinde efficaciâ consistere aliquod gratiæ auxilium ab illis Divinis illustrationibus & inspirationibus omnino indistinctum. 3. Ex præallegato Divi Thomæ *comment. 6. in Ioannem* luculenter patet, sanctum Doctorem cum Divo Augustino [illegible] Tractionem, & motionem Divinam, vi cujus ipsum velle bonum detur ex [illegible]

vitæ

vinæ causalitatis discernentis ac præeligentis. Quam proinde motionem voluntati Divinæ secundum nos purè immanentem, non quidem *Formaliter* ac *subjectivè*, *Virtualiter* tamen ac *Effectivè* physicam esse. Nec, licèt insuperabilis sit, tollere modum liberi arbitrij proprium, eo ipso, quòd motivi *Finaliter* allectivi illustratione, & inspiratione voluntatis suaviter secundùm indifferentiam electivam inclinativà supposita, conferat invictissimam, attamen liberrimam, utpote ex voluntatis nostræ vi Dominativà elicitam operationem. Cujusmodi adeò motionem, etiamsi *subjectivè* physica adstrueretur, nullatenus in loco allegato negari à sancto Thomà, quamvis præmotio purè physica ex suæ vis proprià ratione moralem objecti allic entiam, ac Dominativam facultatis operativæ virtutem non supponens, omnino adversetur modo appetitûs qua rationalis, adeòque liberi proprio. Unde Divum Thomam immeritò allegari adversùs præmotionem sive *Effectivè* ac *Virtualiter* duntaxat, sive *subjectivè* ac *formaliter* physicam, eatenus prædeterminativam voluntatis creatæ, ut hæc tamen suppositâ morali objecti sub indifferentiâ repræsentati allicientia per suam super objecto & actu Dominativam virtutem eo ipso sit eliciens liberrimam operationem. 4. Ex allegatis sacræ scripturæ verbis argui quidem motionem moralem, mediante Illustratione ac Inspiratione Divinâ voluntatis excitativam, ex ipsismet tamen sacris literis per sanctum Augustinum probari Dei prævenientem influxum, ipsiusmet velle nostri causativum ac præfinitivum, vi cujus influxûs fiat nobis Donatio operis boni. In cujusmodi adeò Divinæ causalitatis efficaciâ se tenere gratiæ auxilium distinctum ab Illustrationibus & Inspirationibus Divinis.

18. Ad Ioannis à sancto Thomâ *n. 6. ac seq.* opposita fundamenta Respondetur 1. Dupliciter nos agi Divinâ gratiâ *formaliter*, scilicet & *causaliter*. Etenim *formaliter* agitur voluntas per ipsammet actionem ex Divinæ causalitatis efficacia, simul & libero arbitrio elicitam, & in voluntate receptam. Quæ proinde actio nostra est gratia donata per Divinæ prædestinationis causalitatem, ex hujus insuperabili efficacia habens firmitatem immobilem, ac vim omnino efficacem. Deinde *Causaliter* agitur voluntas nostra per actionem Deo Immanentem, in vi causalitatis *intrinsecè* infallibilis efficaciter motivam voluntatis ad liberrimam & invictissimam operationem. Quæ proinde Divina præfinitiva, *formaliter* æterna, Deoque immanens actio, prout intelligitur super voluntatem nostram, ejusque actum cadere, solùm *signatè* fundat propositionem, sub quâ verificatur, actus nostros liberos esse præsentes in æternitate, sed quatenus intelligitur cadere super nostram voluntatem, ejusque actum sub propriâ temporis mensurâ *Exercitè* spectatum, ut sic est voluntatis nostræ *causaliter* motrix non solùm in æternitate, sed etiam in tempore.

19. 2. Ex præcitato *lib. de Prædest. Sanct.* aliisque *locis* Sancti Augustini fieri manifestum, quod gratia tollens duritiam cordis, sit ipsa obediendi voluntas, per Divinæ prædestinationis causalitatem ac efficaciam donata & causata. Unde non esse, cur ex isto ac similibus sancti Augustini verbis adstruamus præmotionem physicam, quæ media esse debeat inter Divinam prædestinationem operis nostri præfinitivam, ac ipsummet velle nostrum ex talis Divinæ prædestinationis definitâ sententiâ ceu causalitate sui *immediatè* effectrice descendens. 3. Ex *adducto Enchiridij textu* clare parere, quòd illa efficacia, cui voluntas hominis resistere non valet, non sit alia, quàm Divinæ voluntatis, nec adeò evinci necessitatem alicujus præmotionis physicæ à nostro libero consensu *realiter* ac *physicè* distinctæ; uti probant fundamenta *à n. 10.* insinuata.

COROLLARIUM I.

De Divisione Gratiæ actualis, prout est abstrahens à lineâ actûs primi & actûs secundi.

20. INfertur 1. Duas quasi lineas Gratiæ actualis partim ad actum primum, partim ad actum secundum spectantes, esse distinguendas. Explicatur & probatur. Nam inprimis omnimoda sufficientia bene *moraliter* operandi, imò & salubriter operandi est ex Deo, juxta illud Apostoli; *2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quare sufficientia vires ad salubriter operandum perfectas & completas importans est gratia, quam hodie dicunt sufficientem, à Sancto Augustino autem dicta fuit adjutorium *sine quo* dans posse, seu possibilitatem, sive potentiam salubriter operandi. Quâ proinde sufficientiâ præsuppositâ, succedit gratia, ipsum velle seu operari salubre ac *moraliter* bonum conferens, diciturque gratia efficax sive secundum Divum Augustinum, adjutorium *cum quo*, uti patet ex dictis. Prima igitur gratia ex parte actûs primi, secunda verò ex parte actûs secundi se tenet.

21. Infertur 2. Gratiam actualem, prout abstrahit à linea actûs primi ac secundi, rectè dividi tum in Operantem & Cooperantem, tum in Prævenientem, Comitantem, ac Subsequentem. Explicatur & probatur. Nam sufficientia seu potentia salubriter operandi non tantùm physica, sed etiam *moraliter* motiva, ceu gratia ex parte actûs primi completa, importat partim quandam supernaturaliter operandi Divinitùs infusam virtutem sive Transeuntem, velut in peccatoribus, sive Permanentem, velut in homine justo, partim Illustrationes & Inspirationes Divinas suaviter ad operandum inclinativas, voluntatis tamen vi Dominativa superabiles. Illa igitur sufficientia seu potentia tum *physicè*, tum *moraliter* movere potens est gratia præcisè Operans, utpote nullam voluntatis nostræ cooperationem saltem liberam involvens. Cui proinde è diametro opponitur gratia se tenens ex parte actûs secundi, quæ rectè dicitur Gratia Cooperans, nostram scilicet cooperationem eatenus importans, ut eam sua efficaciâ vel *infallibiliter* inferat, vel *formaliter* includat.

22. Deinde gratia ex parte actûs primi se tenens, cùm se habeat tanquam causa effectiva meritorum nostrorum, in quibus utpote ex Divinæ prædestinationis vi donatis & causatis *formaliter* importatur ratio gratiæ, consequenter respectu hujus dicenda est *Præveniens*; cùm econtra gratia ex parte actûs secundi se tenens partim respectu nostræ cooperationis *Concomitans*, partim respectu gratiæ ad actum primum spectantis *Subsequens* dicenda sit.

I 3 COROL-

COROLLARIUM II.

De Divisione Gratiæ actualis spectantis ad lineam actus primi.

23. INfertur 1. Gratiam actualem ex parte actûs primi se tenentem rectè dividi in gratiam Operantem & Cooperantem. Explicatur & probatur. Nam sufficientia gratiæ seu potentia ad salubriter operandum completa sub ratione vis supernaturaliter operativæ *formaliter* ac *intrinsecè* spectata est pure Operans non quidem in actu secundo, sed in actu primo. At verò eadem vis supernaturaliter operativa spectata in ordine ad actũ secundum in suâ virtute *causaliter* præcontentum ex se simul ac voluntate nostrâ elicitum potest dici *causaliter* Cooperans, suâ scilicet causalitate influens in actum ex nostra etiam cooperatione dependentem. Ergo gratia actualis ex parte actûs primi se tenens in se præcisè ac *formaliter* spectata eatenus est pure Operans, ut tamen dici quoque possit Cooperans non quidem *formaliter*, sed *causaliter*.

24. Infertur 2. Gratiam actualem ex parte actûs primi se habentem, quatenus dici potest *causaliter* Cooperans, rectè etiam dividi in gratiam Prævenientem, Concomitantem ac Subsequentem. Explicatur & probatur. Nam quatenus per modum causæ respectu nostræ cooperationis habet prioritatem naturæ ut sic secundùm realem causalitatis prioritatem est *Præveniens*: quatenus verò suâ causalitate nostram cooperationem utpote hinc identificatâ *realiter* tangit, ut sic est *Concomitans*; quatenus denique causalitas ipsius ultra primam liberam nostram cooperationem se extendit ad hujus pro aliquo etiam posteriori instanti conservationem ut sic dici potest *causaliter Subsequens*.

25. Infertur 3. Gratiam actualem ex parte actûs primi se tenentem rectè etiam dividi in Adjuvantem & Excitantem. Explicatur & probatur. Nam ex parte actûs primi intra lineam actualis gratiæ duplex intervenit vis; altera *Efficienter* causativa in physicâ aliquâ sive permanente, sive transeunte virtute consistens; altera *Finaliter* motiva in illustratione objecti ad Bonum incitativi repræsentante, nec non in inspiratione seu pia affectione voluntatis ad bonum amplectendum suaviter inclinativâ se tenens. Prior igitur vis *Efficienter* in actu primo motiva congruentiùs venit nomine Gratiæ Adjuvantis, posterior autem *finaliter* motiva, atque adeò *moraliter* Excitativa vis convenientiùs venit nomine Gratiæ Excitantis.

COROLLARIUM III.

De Divisione gratiæ actualis spectantis ad lineam actus secundi.

26. INfertur eodem modo gratiam rectè etiam dividi posse in gratiam Operantem & Cooperantem. Explicatur & probatur. Nam sub gratia actuali ad lineam actus secundi spectante comprehenditur tum Divinæ prædestinationis Deo *formaliter* Immanentis, ac *virtualiter* solum Transeuntis causalitas, operis boni præparativa & præfinitiva, tum ipsemet actus bonus Divinæ gratiæ largitate Donatus seu gratuitæ prædestinationis efficacia causatus. At verò non ista duntaxat [illegible] causalitas in se *formaliter* spectata eatenus est purè operans, ut sua intrinsecâ efficaciâ sit *causaliter* in actu etiam secundo Cooperans. Verùm in ipso opere in ipso nostro bono opere ac velle *virtualiter* secundùm rationem ratiocinatam variæ sunt distinguendæ formalitates, quarum prima secundùm aliquod nostrâ cooperatione *virtualiter* prius signum est intelligibilis sub ratione motionis voluntatem nostram, utpote sub ratione principii non duntaxat passivi, sed etiam activi potentialitatem Divinâ causalitate actuabili *Essentialiter* immersam actuantis. Hæc igitur formalitas eatenus intelligitur habere rationem gratiæ in actu secundo *Transeunter* operantis, nostramque voluntatem *formaliter* moventis & actuantis, quatenus sub illo virtualis prioritatis signo necdum intelligitur formalitas nostræ cooperationis. Secunda proinde in actu nostro bono vi Divinæ prædestinationis donato & causato formalitas est intelligibilis sub ratione Divinæ causalitatis *realiter* identificatæ cum nostrâ cooperatione, ut sic autem rectè dici potest gratia *formaliter identicè* cooperans. 27.

28. Infertur 2. Eandem gratiam actualem ex parte actûs secundi se tenentem rectè etiam dividi in Prævenientem, Concomitantem, & Subsequentem. Explicatur & probatur. Quia non solùm ex parte Divinæ prædestinationis seu causalitatis Deo *formaliter* immanentis datur prioritas realis causalitatis, sed in actu nostro bono quâ Divinitùs causato, & donato, atque ut sic rationem gratiæ habente intelligitur sub illâ primâ *operans* expositâ formalitate virtualis prioritas cooperationem nostram ratione ratiocinatâ antecedens, imò in Divinâ transeunte causalitate non sub eâ duntaxat ratione, quatenus voluntatis nostræ potentialitatem est actuans, sed sub ea quoque ratione, quatenus in ipsum velle nostrum secum identificatum in sensu Intransitivô dicitur influens, est respectu nostræ cooperationis quædam virtualis rationis ratiocinatæ prioritas assignabilis. Ergo sub tali virtuali causalitatis prioritate potest denominari gratia præveniens. Deinde quia ipsemet Dei in nostrum velle bonum influxus realem cum nostrâ cooperatione identitatem habet, ut sic est *formaliter* gratia Concomitans. Denique prout Divinæ arbitrio nostro impressæ motionis ex prædestinationis efficaciâ descendens vis cooperationem nostram eatenus firmat, ut vel hinc habeat contingentiam & libertatem invictissimam, ideo ista formalitas cooperationem nostram & qua bonam & qua liberam sub quâdam consequenti necessitate *intrinsecè* confirmans, dici potest Gratia Subsequens, seu perficiens velle nostrum quà bonum, & quà liberum.

29. Infertur 3. Gratiam ex parte actûs secundi se tenentem posse etiam dividi in Adjuvantem & Excitantem. Probatur. Nam secundùm Divum Augustinum *cit. cap. 12. de corrept. & grat.* concedere debemus adjutorium *cum quo* [illegible] ipsum velle ex Divinæ prædestinationis causalitate donatum. Hoc igitur adjutorium *cum quo* est gratia Adjuvans se tenens ex parte actûs secundi, ut sic importans quandam Dei causalitatem Efficientem ad extra transeuntem & voluntate nostrâ receptam, & *realiter* [illegible] cum nostro velle.

Deinde

Deinde gratia Excitans in eo se tenet, quòd voluntatis nostræ quà *finaliter* suipsius motivæ sit excitativa. Ista verò ex Bono *Finaliter* motivo excitatio *causaliter* fit ex vi & efficaciâ Divinæ prædestinationis, *formaliter* autem fit per ipsam inet voluntatis ex fine motionem divinitùs donatâ. Quare tum Divinæ prædestinationis causalitas habet rationem gratiæ *causaliter* Excitantis, tum ipsa inet voluntatis nostræ ex sancto Divinitùs illustrato & inspirato motivo *Finaliter* mota, & ut sic excitata operatio bona & salubris potest in sensu Intransitivo dici gratia *Formaliter* Excitans.

ARTICULUS II.

DE

Gratiâ Sufficiente & Efficaci.

1. NE contra Apostolicum, mihi licèt incognitum, Decretum, cui me promptissimè subjicio, quoquo modo faciam, ab illâ circa Gratiæ efficaciam inter Thomistas & Societatis Iesu Theologos agitata controversiâ abstineo, unicum hîc propositurus: *Qualiter scilicet utriusque partis sententiam intelligam, ut vel hinc ab alterutrâ parte, si mentem ipsius non attigero, corrigi possim.*

2. Ex parte igitur Theologorum Societatis Iesu vidi efficaciam constitui in connotatione scientiæ Mediæ, seu conditionalis consensûs nostri in hac, vel illâ rerum peristasi gratiæ auxilio, si detur, præstandi, futuritionis omne Decretû Dei actuale, & uti vocant, subjectivum antecedentis. Circa quam proinde futuritionem conditionalem fateor, me sæpius dubitâsse, an Societatis Iesu Theologi intelligant aliquam voluntatis nostræ determinationem supergressam statum possibilitatis, & arbitrij nostri activam indifferentiam. Si enim *affirmative* respondeant, illam utique etiam volent derivatam ex Divinâ causalitate, ne aliquam realitatem statum possibilitatis, & voluntatis indifferentiæ activæ supergressam adstruere debeant ex voluntatis creatæ, non autem Divinæ causalitate

3. pendentem. Ex quâ sane causa credo Theologos illos adstruere Decretum Dei objectivum seu conditionalem futuritionem Decreti, ex quo illa voluntatis nostræ determinatio *conditionate* futura esset dependens. Quo posito, adhuc hæreo, an sub isto Dei objectivo Decreto, sive Decreti futuritione conditionali intelligant aliquam formalitatem Deo intrinsecam, quæ reduci debeat ad lineam liberæ determinationis Divinæ voluntatis, vel quæ spectet ad lineam voluntatis Divinæ, ejusque vis omnipotentissimæ adhuc consideratæ secundùm suam intrinsecam Dominativæ virtutis indifferentiam. Quòd si asserant, esse mediam, utpote ad voluntatem Divinam liberam determinationem non *absolute*, sed *conditionate* spectantem, nimis necdum satisfit, sed anceps hæreo, an illa Conditionata voluntatis Divinæ libera determinatio sit formalitas in [illegible], non ex parte [illegible] xar objecti conditionata, atque *formaliter* importet voluntatis Divinæ actionem ad extra determinationem, vel non? Inter hæc enim dico utpote contradictoria arbitror, nullum jam posse assignari medium. Si proinde prius asseratur, *vix* superit Societatis Iesu Theologis cum Thomistis aliqua dissensio. Si asseratur posterius, sane capere non possum, qualiter consensûs nostri libera conditionata futuritio possit dici supergressa statum possibilitatis & voluntatis indifferentiam activam, & tamen ex parte Divinæ voluntatis necdum intelligatur formalitas ipsius ad extra Electivæ Indifferentiæ *formaliter identice* determinativa, ex quâ ceu causalitate sit fluens conditionata voluntatis nostræ statum possibilitatis supergressa determinatio.

Nisi ergo pro statu veritatis conditionalis super conditionali consensûs nostri liberi futuritione fundatæ adstruatur aliqua Deo immanens formalitas voluntatis Divinæ ad extra Electivæ Indifferentiæ *formaliter identice* determinativa, & ut sic illius Conditionatæ Futuritionis causativa, non video, qualiter ista dici possit supergressa possibilitatis statum. Unde valde dubito, an Theologi Societatis Iesu, sicuti per Decretum Dei objectivum, seu Decreti Divini Futuritionem vix, uti credo, volunt significari formalitatem Divinæ voluntatis ad extra indifferentiæ Dominativæ *formaliter identice* determinativam, per illam consensûs nostri liberi Conditionatam Futuritionem nolint significatam voluntatis nostræ determinationem indifferentiæ & possibilitatis statum supergressam. 4

5 Hoc autem supposito, nova premor difficultate, qualiter ex futuritione Conditionali statum possibilitatis necdum egressa possit desumi certitudo nostri consensûs sub ista rerum peristasi gratiæ infallibiliter præstandi? Video equidem hoc fieri posse, si dicatur, voluntati Divinæ in signo actualem ejus determinationem liberam *virtualiter* antecedente inexistere talem efficaciam, vi cujus quidquid, & quomodo voluerit, sit infallibiliter futurum. Et ex hac quidem efficacissimâ tam quam omnipotentissima virtute, ejusque causalitate effectrice pendere omnimodam ad extra producibilem realitatem, itaut nulla Entitas statum possibilitas supergressa sit intelligibilis, nisi dependenter à tali causalitate *formaliter* sitâ in Decreto Divinæ prædestinationis omnium ad extra rerum, ipsius etiam velle nostri liberi præfinitivæ, & ut sic causativæ. Cujusmodi adeò efficaciâ voluntati Divinæ intrinsecâ suppositâ, evidenter infertur, tum quòd nihil sit intelligibile sub aliquâ possibilitatis statum egressâ futuritione, nisi dependenter ab illâ causalitate; tum quòd infallibiliter esset aliquid eo modo futurum, quo modo Divina voluntas voluerit. Quare Deus inspiciendo hanc suam efficaciam, eo ipso intuetur nostros actus liberos in suæ omnipotentiæ thesauro sub possibilitatis statu adhuc latentes infallibiliter esse futuros eo modo, quo suo Decreto esset præfiniturus ac prædestinaturus. Tunc igitur omnimodæ futuritiones possibiles sub Divini Decreti intra indifferentiam voluntatis Divinæ, adhuc quasi latentis conditione videntur pro quâlibet rerum peristasi certò & infallibiliter ponendæ. Et verò video Martinum de Esparzâ *q. 17.* ex Sancto Augustino probare, quòd talis gratiæ causalitas in actus nostros liberos sit admittenda, vi cujus non tantùm detur posse seu potentia bene operandi, sed ipsum etiam velle nostrum adjuvetur. Video insuper, eundem authorem *q. 16.* ex Sancto Augustino approbare prædestinationem *efficaciter absolutè* 6

absolutè & *determinatè* prælectivam, & ut sic causativam ipsius existentiæ actûs nostri liberi. Video porro, ab isto authore *ibidem* in hâc divinæ prædestinationis efficaciâ talem constitui consensûs nostri liberi seu obedientiæ certitudinem, ut vocatio, secundùm tale prædestinationis propositum, cooperationem nostram antecedens sit certò causans operationem, liberè tamen ex nostro arbitrio prodeuntem, imò tali prædestinatione obedientiæ, seu consensûs nostri prælectiva, seu præfinitivâ, & vocatione secundùm propositum ejusmodi positis, in ipsarum *sensu composito* repugnet, nos non operari. Hic proinde voluntatis Divinæ efficaciâ utique ex ipso Deo *intrinsecè* subsistente, nec ex nostrâ liberâ statum, possibilitatis antecedenter ad voluntatis Divinæ determinationem supergressâ determinatione pendente suppositâ. sunt infinitæ sub quibuslibet possibilibus peristasibus formabiles futuritiones conditionatæ, ex hypothesi illius Divinæ efficaciæ per liberum Decretum se ad eas applicaturæ seu determinaturæ infallibiliter ponendæ. Cur non igitur ex istâ potiùs Divinæ voluntatis efficaciâ, sive ex connotatione futuritionis sub illâ efficaciâ certificatæ potiùs, quam ex futuritionis a nostro libero arbitrio antecedenter ad Decretum Dei præfinitivum determinatæ desumenda esset gratiæ Divinæ efficacia, maximè cùm ex vi istius efficaciæ nulli discrimini subjecta sit libertas arbitrij nostri, *velut in 1.10. q.5.a.5. cont.9.& q.6.a.5.cont.6.* demonstratum est.

7. Ex parte proinde Thomistarum, efficacia gratiæ actualis reducitur ad intrinsecam ex nostrâ etiam conditionali liberâ determinatione omnimodè independentem Divinæ voluntatis efficaciam. In quo tamen hujus scholæ Doctores divisi sunt, aliis in motione quâdam physicâ voluntati impressâ, aliis in præcisâ voluntatis Divinæ intrinsecâ efficaciâ, vi Decreti alicujus præfinitivi ad liberum nostrum salutarē consensum applicatâ & determinatâ eam constituentibus. Et quidem circa illam voluntati nostræ impressam ab actu nostro libero *realiter* distinctam prædeterminativam motionem *praced. art. & locis ibi citatis* aliquas movimus difficultates, ab eâque tanquam subtilitate saltem ad gratiæ efficaciā adstruendam non necessariâ duximus abstrahendum. Quod si igitur voluntatis Divinæ per Esparzam *supra citatum* ex sancto Augustino demonstrata efficacia ipsius etiam velle nostri præparativa & prælectiva, & ut sic causativa, nostrique consensûs taliter præfiniti ex hujus vi liberè futuri infallibilitas & certitudo subsistat, quid utrinque opus est ulteriori vel physicâ præmotione, vel conditionali Decretum Dei præfinitivum antecedente futuritione ad gratiam efficacem demonstrandam?

8. Verùm ab hisce controversijs ex sacra Sanctæ Sedi debita obedientiâ abstinendo, progrediamur ad reliquas hujus articuli difficultates expediendas. Quarum 1. est. *Utrùm omnibus hominibus detur gratia sufficiens ad salutem? 2. Utrùm peccatoribus quantumvis obduratis & obcæcatis sufficiens ad pœnitendum gratia pro aliquo saltem tempore conferatur?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm omni homini detur gratia sufficiens ad salutem?

Gratia sufficiens nihil aliud est, quàm vis divinitùs collata ad moraliter bene præsertim supernaturaliter operandum. 9.
Hæc autem sufficientia *completè* & *adæquatè* sumpta conflatur ex multis, sicut enim potentiæ cognoscitivæ sufficientia adæquata & integra consurgit ex potentia, specie, & lumine: sic ad producendū actum supernaturalē requiritur inprimis principiū, quod vel sit habitus, vel auxilium transiens, habens vim supernaturaliter operativam, deinde sufficiens objecti propositio per internam intellectûs illustrationem, denique affectio aliqua pia, quæ sit pulsatio, & excitatio voluntatis. Ex quibus omnibus, quorum singula solùm *partialiter* sunt gratia sufficiens, ita conflatur virtus ad supernaturaliter agendum completa, ut constituat unum integrum auxilium, distinctum a Gratiâ efficaci, quòd hæc ultra vim in actu primo completā importet auxilium ex parte actûs secundi se tenens ac infallibiliter connexum cum nostro libero consensu.

Ex quo patet, gratiam sufficientem posse subdividi in auxilium *physicè* duntaxat sufficiens, & in auxilium ad moralia honestatis, sive naturalis, sive supernaturalis opera excitativum. Hoc enim præter cognitionem objecti moraliter boni repræsentativam, & vim actûs honesti effectivam, in quâ ut sic consistit auxilium *physicè* sufficiens, importat tum intellectûs illustrationem affectivam, objecti boni non utcunque, sed sub speciali motivo quâ voluntatis *finali et attractivo* practicè repræsentatione illustrativam: tum piam voluntatis ad tale motivum inclinationem & affectionem Divinitùs inspiratam. 10.

Quibus adeò positis, difficultas hic est. *Utrùm omni homini saltem ratione utenti conferatur per Christum actualis gratiæ auxilium non præcisè ad aliquam moralem naturalem Honestatem, sed in ordine ad salutem, sive quoad vires physicè duntaxat sufficientes, sive etiam quoad vim moraliter incitativam sufficiens?*

Referuntur sententiæ.

Prima sententia Vasquezij 1. 2. *disp. 96. cap. 2.* negat, parvulis vel in utero materno decedentibus, ex inopiâ materiæ, aut defectu ministri absque Baptismate, (excepto casu martyrij) causam salutis remedio, decedentibus, concedi media ad salutem sufficientia; ut ad ea author *citatus cap. 3.* neget; sub illâ voluntate Divinâ, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri 1. *ad Timoth. 2.* comprehendi tales parvulos. Fundamentum videtur posse desumi ab [illegible] Sancti Augustini *de natur. & grat. cap.* [illegible] taliter disserentis: *Ego autem dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi ministerium subveniri, morte præventum, ideò talem mansisse, id est, sine lavacro regenerationis esse, quia non esse non potuit. Rectè ergo eā damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur* [illegible], *quamvis ibi Dominus non salvum fecit, sed* [illegible] 11.

Secunda

12. Secunda sententia est, Deum, quantum est ex se, catenus velle omnium salutem, ut cunctis auxilia ad salutem sufficientia providerit, neque cuipiam neget gratiam re verâ sufficientem ad fructum æternæ felicitatis. Pro quâ sententiâ Franciscus de Lugo 1. *part. lib.1. disp. 43. c.1. n. 4.* & Amicus *præf. disp. 28. sect. 4. n. 74.* citant plerosque scholæ etiam Thomisticæ Doctores. Fundamentum 1. est. Quia omnes homines, nullo dempto, redempti sunt sanguine Christi Domini 2. *Corinth. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Ergo omnes homines habent virtute meritorum Christi, unde, si velint, possint reduci ab statu pec-
13. cati ad statum Iustitiæ & Filiorum Dei. 2. Licèt plurimi Gentilium nunquam fuerint proximè vocati aliquâ sufficienti cogitatione ad credendum fide Divinâ: omnibus tamen ex communi providentiâ naturali saltem datæ sunt naturales excitationes, quibus Deum naturaliter cognoscere, diligere, aut revereri possent, aut aliquos actus pietatis, & virtutum moralium exercere. Quibus excitationibus si bene uterentur, jam sibi reluceret gratia per Christum, proximiora quæ saluti reciperent in dies adjutoria, donec vel ministerio hominum, vel etiam Angelorum, si opus esset, docerentur fidei mysteria. Quod equidem multis doceri potest historijs, quarum aliquæ à Francisco Aria *to. 1. de imit. Christi. tract. 7. cap. 9.* & Herize *tract. 1. disp. 35. cap. 8.* adductæ sunt, quibus tamen supereminet quod referunt Paludanus & Pelbartus de Temesvar *in Quadragesimali primo de Pœnit. serm. 14.* per hæc verba. *In civitate Lugdunensi reperta est à fodientibus fundamentum alicujus palatij testudo, in quâ erat unum caput habens os, linguam, & labia ac dentes viva & recentia, audierunt ab eo vocem dicentem; Vocate Episcopum. Et mirantes cucurrerunt nuntiantes Episcopo, qui veniens interrogavit, quis esset, & quid vellet, respondit. Ego fui Iudex legum, gentilis fui, sed virtuose vixi, prout cognovi debere, nihil injuste judicavi, neminem injuste læsi, in fine de omnibus peccatis dolui, sed absque fide Christi discessi, quæ ad me non pervenit, propter quod Deus misericors in hoc capite animam meam reservavit. Nunc ergo da mihi sacrum Baptismâ, & anima mea volabit ad cœlum, & pro signo veritatis hoc caput mox redigetur in pulveres. Episcopus ergo baptizavit, & sic*
14. *factum est, ut dixit.* 3. Ex sancto Thomâ *q. 14. de Verit. a. 11. ad 1.* & 3 *contra Gent. cap. 159.* Item 1. *2. q. 89. a. 6.* & *2. 2. q. 2. a. 7. ad 1.* docente; hominem infidelem, si faciat, quantum ex se potest, illuminandum esse de mysterijs fidei etiam per Miraculum, si o-
15. pus esset. 4. Ex ratione. Quia præter communia auxilia, quæ Deo creatori sufficienter tribuuntur, dantur plerumque gentibus auxilia gratiæ per Christum: nullus enim infidelis est, qui bonum aliquod opus pietatis aliquando non præstet, quod non fit sine gratia per Christum. Consequenter igitur talis infidelis recipiet etiam aliquam excitationem supernaturalem, ut possit elicere actum quoad substantiam supernaturalem, quâ vocatione quoniam non utitur, vel non vult uti, non vocatur ulterius.

16. Tertia sententia per Ioannem Baptistam Gonetium *to. 4. disp. 4. a. 5. §. 1.* Thomistis communiter, nominatim Ioanne à sancto Thoma adductis tradit, non omnibus reprobis etiam adultis conferri media ad salutem sufficientia, sed quosdam in pœnam peccati mortalis actualis, vel originalis illis privari quoad actualem auxiliorum ejusmodi in se receptionem, licèt omnibus ex parte Divinâ de omnibus salvandis antecedentèr sint voluntariè sint parata. Fundamentum 1. desumptum est ab authoritate Sancti Augustini *de corrept. & grat. cap. 11.* sic disserentis. *Si hoc adjutorium Angelo, vel homini, quamprimum facti sunt, defuisset, quoniam talis natura facta non erat, ut sine alicujus adjutorio maneret posset, si vellet: non utique sua culpâ cecidisset, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent: nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* At clarum est, in hoc textu sermonem esse de gratia sufficiente, utpote quæ veniat nomine adjutorij *sine quo*. Cui conformiter sanctus Thomas *2. 2. q. 2. a. 5. ad 1.* de gratiæ auxilio sufficiente, utpote quo fiat, ut sit in nostrâ potestate, & sine quo homo non possit credere, sperare & diligere; loquens sic ait. *Auxilium quibuscumque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitiâ non datur, in pœnam præcedentis peccati saltem originalis*, ut dicit Augustinus in *lib. de correpť. & grat.*

2. Ratione. Fides enim supernaturalium mysteriorum necessaria est ad salutem, ex communi sententiâ Theologorum, nominatim Sancti 17.
Thomæ *2. 2. q. 2.* At pluribus reprobis negat Deus auxilia sufficientia ad credendum; Doctore Angelico *2. 2. q. 10. a. 2.* attestante, in illis hominibus, ad quorum aures prædicatio Evangelij non pervenit, dari infidelitatem negativam, seu ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei: quæ quidem tamen ignorantia & infidelitas negativa non subsisteret, si Deus istis hominibus non negaret auxilia sufficientia ad credendum; siquidem culpabiliter tunc ignorarent mysteria supernaturalia.

Verùm Ioannes à sancto Thomâ *to. 2. disp. 10. a. 3. n. 30.* citatus per Gonetium, huic non absolutè 18.
consentit, sed sub aliquâ modificatione, asserendo, si sermo sit de auxilio sufficiente in particulari, prout ipsi, vel illi subjecto est proximè applicabile, vel in ipso receptum, non omnibus quidem dari à Deo auxilium taliter sufficiens, ut *proximè & formaliter* aliquis possit salvari; sed tamen pro omni tempore, quo instat adulto præceptum, non denegari ei à Deo, sed offerri auxilium sufficiens ex parte suâ, licet non semper advertatur, aut recipiatur ab adulto, sed vel ab illo divertat, vel ei repugnet, aut omittat. Fundamentum n. 36. deductum est. Quia in auxilio sufficiente duo sunt distinguenda adjutoria, alterum se tenens ex parte intellectûs, alterum verò ex parte voluntatis. At licet instante præcepto ex parte voluntatis non semper recipiatur adjutorium, aut vires, seu spiritus ad operandum, cùm plerumque voluntas vel sit infirma, & suis cupiditatibus victa, vel ita obdurata, & pertinax, ut positâ illâ notitiâ præcepti non solum non sentiat vires ad obediendum in voluntate, sed de industriâ dicat Deo; *Recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus.* Et ut alter Pharao respondeat proponenti sibi præceptum Dei: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Exodi 5. Unde de talibus dicit Sanctus Augustinus 5. *contra Iulian. cap. 4. Reos fieri ac vere peccare eos, qui deserti à Deo sui cupiditatibus serviunt, & à diabolo superantur.* Nihil- 19.
ominus præcepto aliquo instante, ex parte intellectûs saltem ad hujus adimpletionem opus est, dari auxilium sufficiens, vel saltem offerri, unde possit habere, nisi velit dissimulare, & supinam, vel affectatam ignorantiam habere. Probatur istud assumptum. Quia si deesset auxilium sufficiens, non peccaret homo, uti ait Sanctus Augustinus *lib. 11 de corrept. & grat.* Ideò cùm auxilium sufficiens

 dee

det vires ac potentiam ad operandum, sine tali auxilio non esset possibilitas adimplendi præcepti. At teste Concilio Tridentino *Sess. 6. de Iustif. cap. 11.* *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Vi autem istorum verborum *Tò jubendo monet*, clarè insinuatur auxilium sufficiens ad præcepti adimpletionem. Consequens igitur est, instante præcepti obligatione dari, vel offerri adjutorium sufficiens, saltem inchoatum, ex parte intellectûs.

CONCLUSIO.

NOn omnibus datur auxilium *positivè* sufficiens ad salutem, quamvis omnibus per Christum dentur auxilia sufficientia ad legis saltem naturalis, per moralia pietatis naturalis, opera adimpletionem.

20. Probatur. Nam vi peccati Originalis non sunt quidem extinctæ vires naturales ad Bonum morale ordinis naturalis, sunt tamen, teste Concilio Tridentino *Sess. 6. de Iustif. cap. 1.* attenuatæ, & ad malum inclinatæ. At verò auxilium ad opera pietatis naturalia efficax eatenus est intra lineam Doni creationis, quatenus in arbitrio libero tum secundùm vires voluntatis nostræ naturales, tum secundùm repræsentationem Motivi in intellectu propositi est quædam proportio non quidem Exigentiæ, sed Actuabilitatis connaturalis. Hæc autem connaturalis in ordine ad efficax pietatis, seu honestatis etiam naturalis auxilium actuabilitatis proportio lineam Doni creationis eo ipso superexcedit, quando Motivum Delectabilitatis sensibilis partim ex naturali voluntatis nostræ ad appetitum sensitivum sympathia, partim ex efficaciori Boni sensibilis quà *Finaliter* motivi per intellectum formatâ repræsentatione efficacius est allecta ad Delectabilitatem sensibilem, quàm ad Honestatem moralem oppositam. Quare ratione talis nobis ingenitæ ad sensibile Honesti Morali oppositum Bonum inclinationis, arbitrium nostrum respectu Boni moralis eatenus est attenuatum, ac respectu oppositi mali inclinatum, ut speciali lineam Doni Creationis superexcedente indigeat actuali per Christum gratiâ tum sufficiente, tum efficaci in ordine ad Bonum Honestum ordinis etiam naturalis prosequendum, uti *superius* ostensum est. Quamvis proinde vi peccati Originalis universum genus humanum contraxerit debitum morale carendi non tantùm isto speciali tam sufficiente, quàm efficaci, sed insuper generali Donum creationis non superexcedente ad Bonum morale etiam naturale auxilio efficaci: nihilominùs istud peccati originalis Debitum non tantùm quoad sufficientiam & actu primo, sed respectu omnium etiam hominum aliqualiter quoad efficaciam in actu quasi secundo redemit Christus Dominus.

21. Probatur & explicatur istud assumptum. Non quoad efficaciam Christus redemit originalis peccati debitum, quatenus intuitu meritorum Christi actu confertur hominibus aliquod Gratiæ Donum, cujus carentiam, imò carendi debitum homo contraxit per originale peccatum. At nullus hominum est, cui non obstante ignorantiâ & inn[illegible] ad Bonum [illegible] propensione, non aliquando

conferatur sufficiens saltem etiam speciale gratiæ actualis auxilium; imò, cùm in primo statim usûs rationis instanti extet præceptum Divinum naturale ad Deum (sub ratione supremi voluntatis ad Bonum infinitum *intrinsecè* commensuratæ unicè satiativi Numinis confusè saltem cogniti) ceu Ultimum Finem nos convertendi, pro tali instanti cuilibet homini ex Meritis Christi Divinitùs confertur illustratio sufficiens ad talem supremi Numinis seu Ultimi Finis voluntatis nostræ naturalibus viribus eliciendam prosecutionem. Et hinc *Ioan. 1.* dicitur de Verbo Divino: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Unde Gregorius Nazianzenus *in orat. de Laudibus sancti Athanasij in init.* ait; *Quod sensibilibus rebus est sol noster, hoc intelligibilibus est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat, hic invisibilem.*

Neque verò istâ intra lineam Honestatis naturalis collustratione contentus est Deus, sed intuitu meritorum Christi habet voluntatem de omnibus hominibus salvandis, & ad cognitionem veritatis (Fidei scilicet) adducendis. Hæc verò voluntas, licèt sit conditionata, talem (si Bono scilicet Universi, sive Divinorum Attributorum manifestativæ ex illorum diversimodis participationibus ceu radijs quibusdam magis resplendescenti gloriæ congueret) conditionem importans. Nihilominùs hæc ipsa voluntas Divina taliter est constituta, ut, non obstante originali peccato, intuitu meritorum Christi, quantum est de se, vellet omnibus salutem, ac peccati originalis extinctionem, nisi ex parte horum poneretur obex suæ Divinæ gratiæ ad pietatis naturalis opera vocanti & invitanti: ut adeò hac etiam ratione verificetur, *Perditio tua ex te.* At istud eatenus verum habet, quatenus, teste Divo Thomâ *supra citato*, quilibet infidelium, si viveret juxta lumen naturæ, atque adeò Divinis illustrationibus pro primo saltem usûs rationis instanti ad Ultimi Finis prosecutivam conversionem invitantibus non resisteret, Deus tandem conferret gratiam Fidei saltem sufficientem. Unde licèt non omnibus actu conferatur sufficiens Fidei gratia; siquidem istam Gentilibus Infidelitate negativâ, seu invincibili Fidei ignorantiâ laborantibus sit abscondita seu denegata: attamen omnibus adultis saltem pro primo instanti conceditur per Christũ gratia sufficiens ad naturalis legis adimpletionem seu pietatis naturalis opus, quâ gratiâ si non abuteretur, successu saltem temporis post alias & alias gratias sufficientes naturalis ordinis bene locatas dotandi essent etiam supernaturali ad Fidem sufficiente gratiâ. 22.

Dices. Ex hoc discursu evinci, quòd conferatur omnibus gratia ad salutem *remotè* saltem sufficiens. Unde commune etiam extare axioma Theologorum, quo dicitur, quòd *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Quod equidem axioma per Franciscum de Lugo *cit. lib. 1. disp. 40. cap. 8. n. 28.* & alios Societatis Theologos sic exponi, quòd homini per gratiã ordinis naturalis ex Christi tamen meritis prævento, naturalibusque à Deo immissis ad opera pietatis naturalia invitantibus cogitationibus bene utenti, & sic quod secundùm substantiam est in se, per vires naturales facienti nunquam deneganda sit gratia supernaturalis, quâ traducatur & evehatur ad operandum supernaturaliter; ita ut per opera pietatis naturalis sternatur 23.

tatur via communis ad Charitatem supernaturalem, & per honestatem humanam ad Divinam.

24. Contra. Nam aliud est, quòd opera pietatis naturalia ex speciali gratiâ Christi naturali elicita habeant in se ipsis aliquam sive Dispositionis, sive Congruitatis, vel qualiscunque rationis proportionem, intuitu cujus Deus quomodocunque moveretur ad gratiam supernaturalem, ipsamque demum Fidem, & Iustificationis formam conferendam. At eo ipso, quòd initium Iustificationis nostræ secundùm Concilium Trident. *Sess. 6. de Iustif. cap. 5.* sit ex fide, nequit ullum opus pium ordinis naturalis per modum dispositionis, etiam remotæ *positivè* conducere ad Iustificationem; ut adeò extra lineam fidei in substantiâ supernaturalē nulla sive gratia, & cogitatio per Christum licèt data, sive morale ordinis naturalis pium opus, vel per modum dispositionis etiam remotæ, vel per modum alicujus congruitatis, vel cujuscunq; rationis possit flectere & movere Divinam misericordiam ad Iustificationis formam, sive quamvis cum hac remotè saltem connexam, seu proportionatam actualem supernaturalem gratiam conferendam; uti pluribus demonstravimus *1. 10. q. 9. a. 2. cont. 1.* Unde *ibidem* ostendimus, illud axioma: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*, non posse subsistere in sensu per Franciscum de Lugo exposito. Aliud proinde est, si negetur quidem, opera naturalia pietatis habere in se illam vim Dispositionis, vel congruitatis, vel cujuscunque rationis *positivè* sternentis viam ad Iustificationem; attamen dicatur Deus peccati Originalis, nec non ad carendum omni pietatis seu Honestatis etiam naturalis speciali saltem ac extraordinario auxilio contracti debiti, intuitu meritorum Christi eatenus oblivisci, ut non tantùm omnem hominem aliquo Divinæ ad Bonum morale saltem naturale sufficienter invitantis illustrationis auxilio pro aliquo saltem instanti sit collustrans, sed insuper ex se habeat paratam voluntatem ad gratiam supernaturalem ipsi conferendam, si non poneret obicē, *voluntariè* non acceptando illam naturalis pietatis, & ad Deum Ultimum Finem naturalem conversionis vocationem & invitationem. Quamvis proinde Deus suâ voluntate antecedente habeat paratam omnibus gratiam supernaturalem saluti æternæ consequendæ necessariam, plerisque tamen Infidelitate negativâ detentis nullum unquam conceditur supernaturalis gratiæ auxilium aliquod, sive gratia ad salutem *positivè* conducens: quandoquidem gratia ad pietatis naturalis opera quantumvis specialis, & per Christum data non *positivè* etiam *remotè*, sed *negativè* duntaxat possit ad salutem, seu Fidem consequendam conducere, removendo scilicet obicem, quo sublato, Deus ex seipso, ac intuitu meritorum Christi, non autem ex respectu aliqualis illorum operum naturalium congruitatis, vel qualiscunque positivæ conducibilitatis esset daturus sufficientem Fidei supernaturalis gratiam, veluti fusiùs deductum est *loco superiùs citato*. Verum igitur est, Deum non dare omnibus gratiam respectu salutis *positivè* etiam *remotè* sufficientem, sed tamen paratum esse ad hanc dandam, si non ponatur obex, respuendo gratiam seu illustrationē Divinā ad opera pietatis naturalia invitantem, ut sic respectu salutis *negativè* duntaxat in vi auxilij obicem removere potētis aliqualiter seu *remotè* sufficientē.

Responsio ad opposita fundamenta.

AD primæ sententiæ ex parte Vasquezij *n. 11.* oppositum fundamentum Respondetur. Inprimis falsum esse, quòd Dei antecedens de omnibus salvandis voluntas non extendatur ad parvulos sine Baptismo decedentes; Hoc enim tanquam falsum refutavimus *in 1. 10. q. 6. a. 4. cont. 1.* Imò ex illâ ipsâ de omnibus salvandis voluntate fluxisse sacramentum Baptismatis pro parvulis intra uterum etiam maternum morientibus quoad sufficientiam, licèt non quoad actualem pro illo statu applicationem, institutum. Quinimò ex eâdem voluntate antecedente fieri, ut Deus infantium ejusmodi gerat curam, ipsis deputando Angelum Custodem, ex cujus suggestione matri sufficientia inspirantur remedia, quibus extrahi posset infans extra uterum, vel extractus ad Baptismi gratiam perduci. Et verò Deus in suo æterno memoriali infantis ex matre aliquā infidelitatem negativam habente conceptionem inspiciendo non tantùm matris, sed talis etiam infantis talem gerit curam, ut, dum illi decernit gratiæ illustrationem pro naturali ad Deum Ultimum Finem conversione sufficientem, eatenus cupiat voluntate licèt inefficaci, obicem supernaturalis ad Fidem vocationis in matre removeri, ut exinde infanti etiam ex ipsâ nascituro pateret via ad remedium Iustificationis. Unde licèt infantes in seipsis non sint capaces alicujus actualis gratiæ, in suis tamen parentibus aliqualiter fiunt participes Divini ad salutem non quidem *positivè* sufficientis, sed obicem *negativè* removentis auxilij. Et hinc omnino cum Sancto Augustino tenendum est, infantem in eo loco, ubi ei non potuit per Baptismū subveniri, morte præventū, idcirco quidē decedere sine lavacro regenerationis, quia aliud esse non potuit. Hoc tamen accipi potest de duplici impotentiâ, alterâ Consequente subsistente per infallibilitatem Divinæ prædestinationis; alterâ etiam Antecedente resultante per virtutis causarum secundarum Defectibilitatem. 25.

26.

27. Quæ porro impotentia antecedens adhuc duplex est, ita ut altera potentiæ proximæ, altera verò quasi remotæ ex Divinâ providentiâ, & de omnibus salvandis voluntatis causalitate, si medijs exinde inspiratis pareretur, subministrandæ potentiæ deficientiam sit importans. De quâ proinde priori, non autem posteriori, utpote quam obicem removendo, seu Divinis inspirationibus parendo tollere, *Negativè* sit in potestate parentis, accipiendus est Sancti Augustini *præallegatus locus*. Nec tamen ex hoc evincitur, quasi infantum sine Baptismate morientium interitum culpæ parentum adscribamus; siquidem inspirationes Divinæ tum remedij, quo extra uterum extrahi possent suggestivæ; tum naturalis honestatis, sub cujus observatione tanquam remotione obicis Deus ex seipso ad gratiæ supernaturalis saltem alicujus actualis collationem esset paratus, illustrativæ, vel non semper sint sub culpa obligatoriæ, vel saltem non ita sint propositæ, ut in ordine ad infantē, sed propriū duntaxat suppositū præscriberant aliquod præceptū, nec adeò earum transgressiones ex respectu saltem infantis afficiant parentes aliquâ culpâ. Unde verum etiam est, quòd in tali infantis interitu nulla nisi peccati 28.

 Origi-

Originalis, non autem actualis parentum culpa ex reſpectu ſaltem ad infantem interveniat.

29. Ad ſecundæ ſententiæ *à n. 12.* oppoſita fundamenta Reſpondetur. Illis non plus evinci, niſi quòd omni homini adulto detur aliqua gratia naturalis Boni moralis illuſtrativa, cui ſi conformaret ſe homo, fore, ut Deus tandem conferret gratiam ſupernaturalem, ſaltem actualem ſufficientem. Neque tamen iſtam ſupernaturalem gratiam dandam fore ex reſpectu ad aliquam quaſi congruitatē operis *moraliter* boni naturalis, ſed ex purâ gratuitâ Dei voluntate antecedente gratiæ ſupernaturalis auxiliū cuilibet homini, nō obſtante peccato Originali, intuitu Chriſti meritorum decernentis ac præfinientis, ſi propriâ ſuâ voluntate per legis naturalis non obſervantiam, ſeu gratiæ ad Bonum morale naturale illuſtrativæ abjectionem non poſuerit obicem gratiæ ſupernaturali per voluntatem Dei antecedentem *conditionaliter* præparatæ. Quare negandum quoque eſſe, quòd cuilibet in ordine ad actum aliquem ſupernaturalem eliciendum detur actu gratia ſupernaturalis, quamvis cuivis conferatur *actualiter* excitatio aliqua naturalis ad actum *moraliter* honeſtum, & per hujus poſitionem, non poſito obice, conferenda eſſet ſupernaturalis gratia per voluntatem Dei antecedentem *conditionate* præfinita.

30. Ad tertiæ ſententiæ *à n. 16.* propoſita fundamenta Reſpondetur. Verum eſſe, quòd ex vi peccati Originalis infidelibus invincibilem Fidei ignorantiam habentibus ſubtrahatur omnimoda ſupernaturalis etiam ſufficiens gratia. Nihilominùs pro primo usûs rationis inſtanti cuilibet homini etiam *negativè* infideli eatenus concedi naturalem converſionis ad Deum Ultimum Finem gratiam ſufficientem, ut Deus ſuâ omnes ſalvandi voluntate antecedente gratiam etiam ſupernaturalem *conditionatè* paratam habeat vi talis voluntatis infallibiliter conferendam, niſi reſpuendo illam naturalem converſionis ad Deum gratiam ſufficientem poneret obicem. Quare non tam de *negativè* infidelibus, quàm de Fidei præcepta ſcientibus peccatoribus obduratis ſupereſſe difficultatem; *An ſaltem pro inſtanti, quo inſtat obligatio ad ſupernaturales credendi, ſperandi, ac pœnitendi actus actualiter ipſis conferatur ſufficiens gratia ſupernaturalis?* de quo mox dicetur.

CONTROVERSIA II.

Utrùm peccatoribus quantumvis obduratis, & obcæcatis ſufficiens ad ſupernaturales Fidei, ſpei, & pœnitentiæ actus gratia pro inſtanti ſaltem præcepti ad illos actus obligantis conferatur?

1. PRima ſentētia Henrici *quodl. 2. q. 5.* Gregorij *in 1. diſt. 46. q. un. circa ſolut. tertij.* Bellarm. *lib. 2 de grat. & lib. arb. c. 6.* Gonetij *cit. a. 4. §. 6.* exiſtimantiū; Deum peccatoribus excæcatis ac induratis in pœnam præcedentiū peccatorum interdum ſubtrahere omnia auxilia ſupernaturalia, ita ut per aliquod ſaltem tempus & ſpatium vitæ priventur omnī tam ſufficienti, quàm efficaci gratiâ. Fundamentum deſumptum eſt ex illo *Joſue 11. Domini ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, &c. & non mererentur ullam clementiam.* Et *Pſal. 80. Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum. Eccleſiaſtici 7. Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexit.* Item *2. Machab. 9.* dicitur de Antiocho: *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Denique *Joan. 12.* dicitur de Judæis: *Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias. Excæca cor populi hujus.* At exiſtis verbis evincitur, per excæcationem fuiſſe ademptam potentiam, atque adeò gratiam non efficacem duntaxat, ſed ſufficientem credendi. Unde præter alios ſanctos Patres, nominatim Euſebium *lib. 8. de demonſtrat. cap. 2.* Gregorium Magnum *lib. 11. Moral. cap. 5. & lib. 31. cap. 11.* concludit Iſidorus *lib. de ſummo Bono. cap. 15. Nonnulli,* inquiens, *ita deſpiciuntur à Deo, ut deplorare ſua mala non poſſint.*

2. Confirmatur à Gonetio *cit. art.* ſequenti ratione. Nam gratia ſufficiens ſecundùm recentiores conſiſtit in quibuſdam ſanctis cogitationibus Intellectûs, & pijs affectionibus voluntatis, ſecundùm Thomiſtas verò in motione quadā ſeu qualitate ſupernaturali ad actus bonos potētias animæ applicante. At manifeſtum eſt, & experientiâ conſtat, quòd multi peccatores, quando peccant, & tranſgrediuntur præcepta, non ſemper ſentiunt, nec habent bonas illas cogitationes in mente, & pios illos affectus in corde, nec conſcientiæ morſibus ac ſtimulis ſemper excitantur, imò potiùs in peccato ſibi complacent, & vulneribus ſuis, quæ intenſiſſimè diligunt, ſæpiſſimè gloriantur. Ergo tunc gratiâ ſufficiente carent.

3. Secunda ſententia Bannis *1. p. q. 23. a. 3. dub. 8. concl. 8.* Alvaris *de Auxil. diſp. 112. concl. 3. & diſp. 113. in reſponſ. ad argum.* docet; Deum ſemper eſſe paratum conferre cunctis auxilium ſufficiens etiam ſingulis vitæ momentis, nec ex parte Dei deficere, quandocumque velit homo converti, vel operari virtutem. Quam ſententiam Franciſcus de Lugo *cit. diſp. 43. cap. 2. n. 5.* dicit cum præcedente extremè oppoſitam, ſed malè: quia aliud eſt, gratiam vi voluntatis Divinæ conditionatæ eſſe paratam; aliud verò eſt, ipſam actu conferri & imprimi peccatori, uti cum Banne & Alvare citatis notat Gonetius *cit. a. 4. §. 1. 2. & 3.* ab illis Doctoribus vix diſcrepans. Fundamentum deſumitur ex ſacris litteris ſemper vocantibus ad pœnitentiam. *Ezech. 33. Convertimini, convertimini à vijs veſtris peſſimis.* Item *Eccleſiaſtici 5. Ne tardes converti ad Dominum.* Et *Pſalm. 49. Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Denique *ad Hebræos 3. Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.* Unde Concilium Lateranenſe *in Can. Firmiter. de ſumm. Trinit.* definit, hominem lapſum poſſe ſemper per veram pœnitentiam reparari. Et Concilium Senonenſe *in Decreto Fidei. cap. 15.* neceſſitatem gratiæ non præjudicare libero arbitrio, demonſtrat ex iſto fundamento: *Cùm illa,* inquiens, *ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet.*

4. Tertia ſententia Soti *lib. de nat. & grat. cap. 18.* Suarezij *lib. 4. de Prædeſt. cap. 3. n. 9.* Franciſci de Lugo *cit. cap. 2. n. 20.* Ioannis à ſancto Thomâ *cit. a. 3. n. 30.* tenet, auxilium gratiæ ſufficiens, etſi non detur pro ſemper peccatori obdurato, nunquam tamen denegari pro illo tempore, in quo urget aliquod

quod

quod præceptum, ad cujus adimpletionem est necessarium tale auxilium. Fundamentum desumitur tum ab authoritate. Nam *Ecclesiast. 15* habetur. *Non dicas, per Deum abest.* Unde de ipso etiam Pharaone obdurato Sanctus Augustinus *lib. de Prædest. & grat cap. 14.* ait; *Sic pie de Deo sentiamus, etiam Pharaoni non denegavit misericordiam suam.* Et infra. *Numquid non potuit, sicut flagellis cædens, expulit populum, ita miraculis credens Deum tantæ virtutis agnoscere.* Tum ex ratione. Quia deficiente sufficiente gratiâ, deest adjutorium *sine quo* non possumus. At deficiente potentiâ operandi, nequit subsistere libertas.

CONCLUSIO.

URgente præcepto aliquo naturali nunquam peccatori quantumvis obdurato deest intrinsecum *physicè* sufficiens auxilium; instante verò præcepti supernaturalis obligatione, non semper homo peccator præsertim obduratus habet intrinsecum gratiæ sufficientis supernaturale auxilium, habet tamen ejus habendi moralem potentiam, non quidem ex suis proprijs viribus, sive ex actu *moraliter* bono per naturæ vires elicito, sed ex vi Divinæ voluntatis antecedentis non ponenti obicem offerentis, ac infallibiliter præparantis supernaturale gratiæ sufficientis auxilium ad potentiam supernaturalis præcepti adimplendi necessarium.

5. Probatur. Nam Deus non jubet impossibilia. ex Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 11.* At sine viribus *physicè* sufficientibus impossibilis est legis alicujus hic & nunc obligantis adimpletio. Unde pro instanti, quo legis alicujus naturalis obligatio *actualiter* aliquem afficit, præter intrinsecas voluntati innatas vires ad legis ejusmodi Honestatem prosequendam de se sufficientes, oportet, ex parte intellectûs excitari cogitationem Honestatis ejusmodi ac necessitatis legis sufficienter repræsentativam; cùm sine tali cogitatione vires voluntatis innatæ ita manerent sopitæ, ut impossibile foret, ipsas exire in actum, nec adeò staret tunc legis obligatio. Unde hujus transgressio foret tantùm materialis, nec imputari *moraliter* posset ad culpam & pœnam, Divo Augustino *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 68.* attestante, quòd *nec impossibile potuerit imperare, qui Iustus est, nec damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est.* Cùm igitur vires ad legem naturalem adimplendam *physicè* sufficientes consistant partim in naturali, & innatâ voluntatis ad Bonum Honestum, ac vi legis *moraliter* necessarium prosequendum facultate, partim in cogitatione Boni ejusmodi repræsentativâ, evidenter constat non posse actualem legis naturalis obligationem afficere hominem, quin vires ad ejus adimpletionem *physicè* sufficientes habeat sibi intrinsecas.

6. Dices. Si possit in hac vitâ dari status obdurationis, in quo legis naturalis adimplendæ non habeat auxilium nisi *physicè* sufficiens, non videri distingui à statu obdurationis Damnatorum, cùm etiam isti retineant vires *physicè* sufficientes ad Boni Honesti naturalis sub lege præsertim naturali *moraliter* necessariæ prosecutione. Probatur illud assumptum. Quia vires naturales in dæmonibus & animabus Damnatis nō sunt sublatæ, quinimò dæmones præter innatam voluntati suæ ad Bonū Honestum naturale prosecutivam facultatē habent sibi connaturaliter repræsentatas leges naturæ suæ convenientes ac *moraliter* obligatorias v. g. de Deo ceu Ultimo Fine etiam naturali diligendo. Unde etiam fit, quòd odiendo Deum semper peccent, juxta illud *Psal. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Contra. Nam verum quidem est, Dæmonibus quantumvis obduratis inesse auxilium *physicè* sufficiens ad Deum ceu Finem naturalem diligendum, aliasque leges naturales observandas: attamen præter auxilium efficax ipsis deest auxilium ad ejusmodi *moraliter* honestos naturales actus excitativum, præter cogitationem Boni Honesti *physicè* loquendo sufficienter repræsentativam importans intelligibilem objecti Honesti sub quâdā voluntatis *practicè* motivâ & allectivâ vi repræsentationem, nec non piam Divinitùs impressam voluntatis, salvâ licèt indifferentiâ Electivâ, ad Bonum inclinativam. Insuper ne in morali quidem potestate sunt ex vi Divinæ etiam voluntatis antecedentis habet auxilia supernaturalia sufficientia ad pœnitentiam, aliosve actus supernaturales. Unde ipsorum obduratio includit & carentiam efficacis ad Bonum Honestum etiam naturale concursûs divini, & privationem excitativi ad Bonum Honestum etiam naturale auxilij sufficientis, relictâ solâ physicâ sufficientiâ, & omnimodam tum physicam, tum moralem impotentiam ad actus supernaturales. At verò in obduratis hujus viæ peccatoribus potest quidem diversimodus subesse status: alij enim ab Bonum Honestum naturale prosequendum tempore saltem alicujus instantis obligationis sunt præcisè destituti auxilio efficaci, nō verò sufficiente etiam excitativo; alij verò sunt illo quidē etiam privati, solâ physicâ potentiâ sufficiente relictâ, attamen si hac sufficientiâ bene utendo, per peccatum non ponerent obicem, vi antecedentis de omnibus salvandis sufficientiâ ad supernaturalis pœnitētiæ ac fidei, ceu actus necessitate medij necessario, pro viæ statu præparativæ voluntatis Divinæ, recepturi essent vires etiam supernaturales sufficientes ad præcepta supernaturalia adimplenda. Unde patet evidens discrimen inter obdurationem statûs Damnatorum, ac viatorum, quòd istis sit semper saltem physica ad legis naturalis adimpletionem sufficientia cum morali etiam ad sufficientem pro legibus supernaturalibus adimplendis gratiam, utpote ex vi Divinæ antecedentis voluntatis pro omnibus, quamdiu sunt viatores, nō ponant obicem, paratam potestate: cujusmodi potestas, atque adeò omnimoda salutis spes radicitùs sublata est in statu damnatorum.

Instabis ex Gonetio *tr. disp. 3. art. 6. §. 2.* Ad hoc, ut obduratus inexcusabiliter reus sit peccati, non esse necessarium, quòd debeat esse *intrinsecè* potens ad actum præceptum eliciendum, si talis defectus & carentia potentiæ oriatur ex ejus culpa. Unde non esse, cur instante actuali legis alicujus naturalis obligatione, opus sit intrinseco auxilio *physicè* sufficiente, sed posse obduratum suis præcedentibus peccatis, eatenus dedisse causam cogitationis ad Bonum Honestum lege naturali præceptum sufficienter subtrahendæ, ut non obstante 8.

stante intrinseci sufficientis auxilij subtractione, ipsi *moraliter* imputetur ad culpam legis etiam naturalis transgressio.

9. Contra. Nam aliud est, actum aliquem esse solùm *participativè* culpabilem, aliud verò est, esse culpabilem *formaliter* in seipso. At licèt, si prævideretur, Deum aliquo peccato in tantum fore irritandum, ut talem peccatorem deinceps cogitatione bonâ ad legem etiam naturalem adimplendam sufficiente ac necessariâ destitueret, legis naturalis transgressio in suâ causâ *indirectè* voluntaria *moraliter* imputaretur ad culpam; tota tamen malitia peccati esset *formaliter* contracta sub illo peccaminoso actu, ex quo prævidebatur Deus irritandus ad auxilia ejusmodi in posterum subtrahenda. Unde actus peccaminosi sine auxilio *physicè* sufficiente facti non *formaliter*, sed *participativè* duntaxat forent deinceps mali, per malitiam ex illo obdurationis causativo peccato derivatam. At verò non videtur admittendus viæ status, sub quo redigeretur peccator ad eam conditionem, ut scelera ipsius deinceps non *formaliter*, sed *participativè* duntaxat ex actu priori haberent malitiam moralem. Et verò, cùm ista ex actu priori malitiæ moralis derivatio non subsisteret, nisi peccator prævidisset se justo Dei judicio suæ concupiscentiæ relinquendum, & omni deinceps bonâ cogitatione destitutum, in malitiâ obdurandum esse. Idcirco vix appareret, qualiter peccatores obdurati de Divinarum legum tum naturalium, tum supernaturalium transgressionibus essent rei, nisi ipsis superesset pia quædam de Bono honesto naturali cogitatio, atque adeò intrinsecum pro legis naturalis obligationibus servandis auxilium *physicè* sufficiens, nec non potestas saltem moralis ad auxilia supernaturalia pro præceptis supernaturalibus observandis sufficientia, ni ponerent obicem, recipienda.

10. Urgebis. Istam moralem ad supernaturalia pro pœnitentiâ, alijsque supernaturalibus medij necessitate necessarijs actibus sufficientia auxilia vi Divinæ antecedentis voluntatis, ni ponatur obex, habenda potestatem non aliunde nobis cognitam esse, nisi ex eo, quòd, cùm in primo usûs rationis instanti sit obligatio se convertendi ad Deum Finem Ultimum, eatenus cuique pro tunc præstò sit sufficiens talis in Deum naturalis saltem conversionis auxilium, ut, si eo uteretur, Deus foret paratus ad auxilium etiam supernaturale conversionis supernaturalis ad Iustificationem peccati Originalis *formaliter* extinctivam proximè dispositivæ. Unde verificari, quòd stante illo cuique pro primo usûs rationis instanti *actualiter* collato ad naturalis in Deum conversionis actum au-

mento. Alterum est antecedens de omnibus, ni peccatis legi naturaliter cognitæ contrarijs posuerint obicem, salvandis. Ex vi enim hujus voluntatis Divinæ fit, quòd, cùm in primo usûs rationis instanti Primum morale Principium, atque adeò Deus sub confusâ saltem Numinis voluntatis nostræ unicè satiativi, atque adeò super omnia appretiabilis cognitione affulgeat, ipsique voluntati ad hujus Numinis prosecutionem sint innatæ vires *physicè* sufficientes, consequenter debeat vi Divinæ voluntatis antecedentis media saluti necessaria, atque adeò supernaturalia, ni per actuale peccatum ponatur obex, præparata habentis, moralem cuique homini potestatem facere ad supernaturale saluti consequendæ *simpliciter* necessarium auxilium sufficiens recipiendum. Alterum proinde moralis ad supernaturale non sufficiens duntaxat, sed efficax auxilium pro illo primo usûs rationis instanti recipiendum potestatis fundamentum in eo se tenet, quòd, cùm ex Fidei Divinæ revelatione non pateat nisi duplex Damnatorum status; unus puerorum cum solo Originali decedentium, alius peccato mortali actuali obstrictorum proprius, nec adeò supersit locus aliquibus Originali & veniali obstrictis deputandis, consequenter arguere liceat, fore quempiam hoc ipso iustificandum, atque adeò supernaturali perfectâ ad Deum Ultimum Finem conversione convertendum in primo usûs rationis instanti, si tunc contra lumen naturale non peccaret mortaliter, atq; adeò se *actualiter* converteret in Deum Ultimum Finem naturalem. Ex quo proinde posteriori fundamento specialiter eruitur, Deum vi suæ antecedentis de omnibus etiam post peccatum Originale contractum intuitu meritorum Christi salvandis, voluntatis esse paratum ad efficax supernaturalis ad Deum Ultimum Finem conversionis auxilium, ni per legis naturalis transgressionem ponatur obex, in primo rationis usûs instanti infallibiliter conferendum. Etsi verò nullo extet fundamento sacræ scripturæ, quo probetur Deum pro quolibet vitæ momento paratū fore ad efficax supernaturale, ni contra legē naturalē ponatur obex, concedendum. Nihilominùs possibilitas servandi præcepta Divina exigit in nobis moralē ad ea servanda potentiam. At verò ex vi hujus Divinæ voluntatis supernaturalia, instante saltem præcepti supernaturalis obligatione, auxilia sufficientia, ni ponatur obex, offerentis, voluntas nostra jā non est in morali potestate ad servandam ejusmodi supernaturalem legem, licèt actu non recipiat supernaturale sufficiens auxilium. Cùm igitur possibilitas adimplendi præcepta supernaturalia non tam exigat vires *physicè* sufficien-

rius ponatur obex, conferenda paratæ voluntatis.

Confirmatur. Nullum enim est assignabile instans, quo v. g. pœnitentiæ supernaturalis præceptum afficiat peccatorem obduratum, quin simul obliget Jus naturæ ad aliquam naturæ rationali etiam in puris naturalibus spectatæ congruam Deo quà Ultimo Fini etiam naturali læsæ exhibendam satisfactionem, seu recognitionem. Quare isto supernaturali præcepto instante, cum hujus repræsentatione excitabitur etiam cogitatio de prætacto naturali præcepto. Cui equidem potest satisfieri per pœnitentiam supernaturalem, utpote illius *Eminenter* contentivam, quamvis econtra nequeat huic satisfieri per actum naturalem. Nihilominùs voluntas creata, stante illâ mentis pulsatione seu cogitatione, eatenus habet in se vires *physicè* saltem sufficientes ad actum ejusmodi eliciendum, ut Deus etiam voluntate suâ antecedente, ni ponatur obex, paratus sit conferre auxilium supernaturale sufficiens ad actum supernaturalis pœnitentiæ. Quando igitur peccator obduratus ad pœnitentiam tam naturalem, quàm supernaturalem efficaci, & ad istam, non verò ad illam *physicè* sufficiente destitutus auxilio, manet impœnitens, tunc peccando cõtra Jus naturale ponit obice Divinæ ad auxiliũ supernaturale sufficiens conferendum ex se paratæ voluntati. Quare licet hoc auxilium non habuerit in se *physicè* receptum, quia tamen id habuit in suâ morali potestate, lædendo Jus naturæ fit eo ipso etiã reus violati præcepti supernaturalis, quatenus per Juris naturalis transgressionem voluntariam causa est denegati sufficientis ad supernaturale præceptum auxilij, atque adeò peccati inde contracti. Patet igitur, quòd supernaturalium præceptorum obligatio non exigat in peccatore obdurato actualem supernaturalium *physicè* etiam sufficientium auxiliorum receptionem, sed moralem potestatem in Divinæ antecedentis, ni voluntarius ponatur obex, ea offerentis voluntatis causalitate radicatam.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Illis authoritatibus solùm evinci consequentem pœnitendi in obduratis impotentiam. Hanc verò sitam esse in infallibilitate Divini Decreti auxilia ad pœnitendum efficacia subtrahentis, & ut sic talem pœnitendi impotentiam inferentis, quæ non tollat vires ad pœnitendum sufficientes, vel intrinsecas, vel in morali saltem, ni poneret obicem, peccatoris potestate positas, sed quæ importet incompossibilitatem cum actu pœnitendi ortam ex Divini auxilij efficacis ad talis actûs positionem *essentialiter* necessarij denegatione. Quam equidem denegationem eatenus infallibiliter inferre impœnitentiam, ut hæc ipsa tamen sit dependens ex libertate voluntatis nostræ, cui proinde oportere, esse vel vires intrinsecas ad pœnitendum *physicè* sufficientes, vel moralem tales ad pœnitentiam supernaturalem sufficientes vires ex vi Divinæ voluntatis habendas potestatem. 13.

Ad confirmationem *n. 2.* propositam respondetur. Gratiam non merè *physicè* sufficientem, sed excitativam consistere in cogitatione sanctâ non *merè sufficienter*, sed *affectuosè* objecti Honesti repræsentativâ, nec non piâ voluntatis affectione. Neque verò illam qualitatem supernaturalem ad actus bonos potentias applicantem spectare ad gratiam sufficientem, sed efficacem. Quare nos libenter concedere, tam istam qualitatem supernaturalem, quàm illas affectuosas sanctas cogitationes, & pias excitationes plerumque negari peccatoribus obduratis. Quibus tamen adhuc inexistere vires *physicè* sufficientes ad præceptorum naturalium adimpletionem, & moralem potestatem ad gratiæ auxilium pro supernaturalibus præceptis adimplendis necessarium ac sufficiens, ni legis alicujus naturæ viribus observatu *physicè* saltem possibilis transgressione obicem ponerent, actualiter recipiendum; uti probant fundamenta *n. 3. 4. & 5.* deducta. 14.

QVÆSTIO QUARTA
DE
GRATIA HABITUALI.

1\. IN primo ſtatim limine hujus quæſtionis poſſet oriri dubitatio; cur iſto gratiæ Habitualis nomine ſecundùm communem loquendi modum veniat ſola forma ſanctificans, non autem virtutes infuſæ ſupernaturales? Si enim gratia Habitualis accipiatur ſecundùm oppoſitionem gratiæ actualis, quæ ſe habet per modum formæ tranſeuntis, cur non omnis ſupernaturalis forma permanens dicenda erit gratia Habitualis? Verùm hujus videtur conveniens reſponſio, ſi dicatur, omnem quidem infuſam virtutem ſupernaturalem poſſe reduci ad lineam Habitualis formæ ſeu gratiæ ſupernaturalis, eoipſo tamen, quód in formâ Juſtificante ſit quædam ad virtutes ſupernaturales infuſas, nec non Dona Spiritûs Sancti connaturalis exigentia, idcirco forma Juſtificans utpote nullam ſui connaturalem radicem ſupponens, omnem ſupernaturalem virtutem *virtualiter* in ſe tanquàm radice connaturali continens *ſimpliciter* ac *eminenter* meretur nomē Gratiæ Habitualis. De quâ proinde tres hìc inſtituemus articulos: in primo *Eſſentiā & proprietates ipſius* inquiſituri. In ſecundo *Cauſam ejus tam Effectivam, quàm Diſpoſitivam* inveſtigaturi. In tertio *Effectum ejus formalem, qui eſt remiſsio peccatorum.*

...mur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes. Unde idem Sacrum Concilium can. 11. ſic concludit. *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſolâ imputatione Juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſsione, excluſa gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.*

Cujus equidem deciſionis ratio deduci poteſt ex Sacris Litteris. 3. Nam gratia ſanctificans habet vim animam noſtram vivificandi, *juxta illud ad Roman. 8. Spiritus verò vivit propter juſtificationem.* At forma tribuens vitam ex formali ſuâ ratione eſt intrinſeca. Eſt autem gratiæ juſtificantis, vivificare animam ſeu Spiritum ſub altiori Divinæ quaſi ſpecificæ participationis formalitate, *juxta illud 2. Petri 1. Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Oportet igitur, gratiam ſanctificantem eſſe formam Spiritui ſeu animæ intrinſecam ejus *formaliter* vivificatricem in lineâ participationis quaſi ſpecificæ Divinæ.

De hac proinde Juſtificationis formâ ſequentes inſtituemus controverſias. 1. *Quiſnam ſit ejus primarius effectus formalis, ac differentia a reliquis formis ſupernaturalibus eſſentialiter diſtinctiva?* 2. *An Divinæ quaſi ſpecificæ participationis ratio formæ ſanctificanti ſolùm moraliter, vel phyſicè conveniat?* 3. *Qualiter forma ſanctificans ſe habeat ad virtutes ſupernaturales infuſas?* 4. *An gratia ſanctificans compleat vis phyſicè effectivâ actuum ſupernaturalium, ſuique...*

ARTICULUS I.

lus *ad Roman. 5.* tunc dari nobis ipsummet Spiritum sanctum. Hoc autem fieri per Iustificationem, testatur Concilium Trident. *cit. cap. 7.* Quare vi gratiæ sanctificantis inhabitat in nobis tanquam vivo templo Deus, seu Spiritus sanctus. Hic verò tunc reddit testimonium spiritui nostro, quòd simus Filij Dei, *ad Roman. 8.* Quæ proinde adoptiva Dei Filiatio est tertius effectus formæ Iustificantis. Ex hoc autem, quòd simus Filij Dei, sumus & hæredes, *ex cit. cap. 8. ad Roman.* Unde istud erga regnum Christi, & Dei hæreditatis jus est quartus effectus Iustificationis. De quibus adeò Iustificationis effectibus Formalibus hîc occurrit controversia? *Quisnam ex illis sit primarius, quæque sit ratio Quidditativa & Essentialiter distinctiva formæ Iustificantis?*

Conclusio I.

PRimarius effectus formæ Iustificantis est, animam constituere *formaliter* participem naturæ Divinæ, reliqui verò effectus se habent ad illam per modum proprietatum.

Probatur. Nam quia omnes essentiæ crea-
5. tæ sunt primò per Divinæ Essentiæ Ideationem, sequitur, Essentiam formæ Iustificantis constituendam esse in illa formalitate, quæ intra lineam supernaturalis participationis est prima in ordine ad Divinam Ideationem, At verò linea supernaturalis participationis importat exemplationem secundùm quartum perfectatis modum ex quasi specifico Divinitatis gradu specificatam, Unde primam Gratiæ sanctificantis quidditatem oportet constituere in tali Divinitatis participatione, quæ sit exemplata seu Ideata, & ut sic in Quarto perfectatis modo specificata ex ipsomet Divinæ naturæ gradu quasi specifico, ut *supra q. 1. a. 2. conl. 1.* fusius disseruimus. Ergo ratio inhabitationis Spiritûs sancti, Filiationis Dei adoptivæ, juris hæreditatis Filiorum Dei propriæ se habent ad gratiam sanctificantem solùm ut proprietates ipsius essentiam quodammodò connaturaliter consequentes.

Confirmatur ista illatio. Nam Dei, seu Spi-
6. ritûs sancti in animâ sanctâ inhabitatio importat intimum quendam illapsum Divinum. Hic verò illapsus seu præsentia intima *inchoative* importat actionem Dei Immanentem, *Consummative* verò effectum ex Divinâ causalitate Transeuntem. Unde Deus in effectibus suis inhabitat sub Divinæ suæ Bonitatis ac perfectionis formalitate, sub quâ

Deinde Filiatio supponit similitudinem naturæ ex generatione acceptam. Ejusmodi verò similitudo Divinitatis supponit hujus formalem sub gradu quasi specifico communicationem, non quidem consubstantialem, utpote filiationis naturalis propriam, sed accidentariam, & analogicam, Filiationis adoptivæ fundatricem. Denique cum jus hæreditatis Filiorum Dei secundùm Apostolum *ad Roman. 8.* sit consequens Filiationem. Hæc verò sit supponens naturæ similitudinem non quidem consubstantialem & univocam, sed accidentariam & analogicam. Ista verò similitudo fundetur in Divinitatis secundùm gradum quasi specificum participatione, evidenter infertur, hanc, non verò illas formalitates esse primam formæ sanctificantis Quidditatem. 7.

Conclusio II.

GRatia sanctificans distinguitur *essentialiter* à cœteris formis supernaturalibus, quod Divinæ naturæ ex hujus gradu quasi specifico *secundùm Quartum Perfectatis modum* specificata participatio ipsi conveniat tanquam primæ ordinis ac lineæ supernaturalis radici.

Probatur. Nam Divina secundùm gradum quasi specificum participatio accidentaria per sui in potentialitate immersionem est eo ipso limitata, & sub tali limitationis formalitate in plures *realiter* distinctas formas supernaturales dispertita. Hinc autem fit, quòd Divinæ secundùm gradum quasi specificum participationis ratio sit generica lineæ Entis secundùm substantiam supernaturalis ut sic constitutiva, ac sub pluribus specificis differentijs contrahibilis. Quare alia est forma secundùm substantiam supernaturalis per modum actûs, alia per modum habitûs seu proximæ ad supernaturaliter operandum potentiæ alia denique per modum primæ in ordine supernaturali radicis seu radicalis principij. Sub hac vitur posteriori formalitate distinguitur gratia sanctificans tum ab habitibus per se infusis, tum ab actibus quoad substantiam supernaturalibus. 8.

Dices. Ipsammet etiam Visionem Beatificam habere vim *formaliter* expulsivam peccati mortalis, atque adeò *formaliter* sanctificativam, veluti per nos probatur *præced. 10. 2. q. 1. a. 1. conl. 6.* Ergo formam quâ sanctificantem non importare necessariò ac essentialiter rationem primæ in lineâ su- 9.

moralium virtutum actibus, quòd isti sint divini quasi specifici gradûs participationes solùm *secundum quid*, sub suâ specificâ differentiâ eatenus coarctatæ, ut in se non habeant omnimodæ intra lineam supernaturalem participationis *Eminenter*, vel *Radicaliter* contentivam perfectionem. Quamvis proinde tam Gratiæ Habituali, quàm Visioni Beatificæ ex illâ tum radicali, tum eminentiali omnimodæ supernaturalis perfectionis continentiâ conveniat, esse formam sanctificantem, illa tamen, non ista meretur *simpliciter* nomen gratiæ sanctificantis.

II. Probatur istud assumptum. Nam gratia *simpliciter* dicitur illa, quæ in nullo radicatur jure ac debito. Visio autem Beatifica radicatur in ipsius gratiæ Habitualis exigentiâ connaturali & Iure hæreditatis Filiorum Dei. Unde solùm *radicaliter*, non autem *Formaliter* habet rationem gratiæ. At eo ipso, quòd gratia Habitualis se habeat per modum primæ intra lineam supernaturalem radicis, seu principij radicalis, nequit esse radicata in aliquo connaturalitatis Debito intrinseco. Ergo cùm ipsi conveniat tum ratio formæ sanctificantis, ut sic visioni quoque Beatificæ congruentis, tum ratio *omnimode* ac *simpliciter* dictæ gratiæ, visioni Beatificæ nullatenus competentis, consequens est; Gratiam Habitualem, non autem visionem Beatificam dicendam esse gratiam sanctificantem.

❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An Divinæ quasi specificæ participationis, & Iustificationis ratio Gratiæ Habituali conveniat physice, *vel* moraliter *duntaxat?*

1. SCotus *in 4. dist. 16. q. 2. n. 4. juncto* Hicquæi *comment. ibi. à n. 35.* docet, effectum formalem participationis Divini Esse, Filiationis Dei adoptivæ, juris ad regnum Dei, & Iustificationis *moraliter* duntaxat, non autem *physice* convenire

patio Divini *Esse* ex naturâ suâ, ita ut eâ positâ non posset non amare justum secundùm amorem adoptionis, & filiationis, quem traheret secum forma tanquam effectum naturalem, sequeretur quòd creata gratia necessariò eam conservaret. Probatur ista sequela. Quia quidquid Deus necessariò amat amore efficaci, necessariò conservat in *Esse*, imò & necessariò producit, cùm voluntas ejus non sit defectibilis. At ille amor est efficax, suppositâ Iustitiâ saltem. Ergo trahit secum necessariò omne medium conservandi justum in Iustitiâ: siquidem sit amor amicitiæ perfectæ, in quâ secundùm æqualitatem gratia constituit justum in ordine ad Deum, independenter à voluntate ejus aliâ ab illâ, quâ dedit ei gratiam. Atqui amor amicitiæ perfectæ & sinceræ hoc habet, ut efficaciter intendatur conservatio amici. Est autem in potestate Dei, confirmare justum in justitiâ datâ, eique donare consequenter merita, & reliqua, quæ ad justitiam conservandam faciunt. Ergo si amaret necessariò positâ Justitiâ, etiam eadem necessitate amaret ei conservationem ejus in re ipsâ & effectu. At hoc non facit, cùm & reprobi iustificentur, & electi etiam cadere possint, & plures ceciderint. Ergo justitia ex naturâ rei non trahit secum amorem amicitiæ Divinæ, aut filiationis, aut adoptionis, sed tantùm ex voluntate differenti Dei, quæ non impeditur, aut determinatur in oppositū ejus quod per regulas infinitæ suæ sapientiæ statuit circa salutem, & libertatem, & opera viatoris.

Confirmatur 2. Iustitia enim & gratia eatenus daret jus adoptionis ad gloriam, quatenus est participatio Divini *Esse* secundùm prædicatum univocum, quod habet necessariam connexionem cum hæreditate seu gloriâ, & summo bono. Atqui tale prædicatum, ut est in Deo, dicit necessariam connexionem ad gloriam, & inseparabilē substantialiter ex naturâ suâ, non autem jus diversum ab actu, seu potentiam. Vel ergo tale prædicatum in gratiâ participaretur sub hac ratione determinatâ & specificatâ, quod nemo dicet sanâ fide, cùm aliàs non posset gratia separari à gloriâ, & hæreditate in actu: vel non participaretur quà dicit connexionē ad gloriam. Tunc autem non esset natum dare jus ad gloriam, ut participaretur Deus in *Esse* 3.

Fundamentum desumptum est ab Authoritate Divi Thomæ 1. *2. q. 110. a. 2. ad* 2. docentis; id, quod *substantialiter* est in Deo, *accidentaliter* fieri in animâ participante Divinam naturam. Ergo gratia est forma *accidentaliter* participans totum Esse Divinum.

6. *Secundò.* Alphonsus Curiel *præf. q. 110. a. 3. dub. 2. §. 17.* & ferè Amicus *cit. sect. 4. n. 118* existimant gratiam consistere in participatione Divinæ Intellectualitatis, quatenus nostro intelligendi modo constituit naturam Divinam. In quâ porro Intellectualitate Divinâ duo venire consideranda; alterum esse modum ipsum intellectualitatis, quod sit infinita, & illimitata ex parte Dei; alterum vero esse ipsam excellentiam objecti, quod attingit, & à quo veluti specificatur Divinus intellectus. Si proinde consideretur Divina Intellectualitas ex parte objecti attacti, sic participari per gratiam, quatenus elevat creaturam Intellectualem, ut intelligat ipsum in se, & in hoc objecto attingendo habet consortium cum Divino Intelligere. At verò in modo attingendi illimitato, & infinito, sicut & in modo Essendi, gratiam non posse illum consortium, & formalem participationem seu convenientiam habere cum Divinâ naturâ. Fundamentum est. Quia inter operationes & potentias, quæ sunt earum principia proxima, & naturam, quæ est principium radicale, debet esse convenientia in gradu. Atqui operationes & virtutes, quæ præsupponunt gratiam ut principium radicale, pertinent ad gradum Intellectualem in ordine supernaturali. Ergo etiam ipsa gratia, ut adeò Sanctus Thomas *1. 2. q. 110. a. 2.* & *alibi* apertè insinuet. Essentiam gratiæ constitui in quâdam intellectualitate supernaturali, habente modum naturæ & principii radicalis.

7. *Tertiò.* Ioannes à sancto Thomâ *cit. a. 1. n. 12.* docet, gratiam esse formalem participationem naturæ Divinæ, & infinitatis ejus, ut in se est, *objectivè*, non tamen ut habere modo infinito in se, & ex parte subjecti; atque adeò convenientiâ cum Deo quasi objectivâ: sicut imago convenit cum objecto, quod repræsentat *formaliter* convenientiâ objectivâ, & potentia, aut virtus cum suo objecto. Fundamentum est. Sicut enim nostra Intellectualitas respicit pro objecto quidditatem sensibilem, & Intellectualitas Angeli quidditatem spiritualem, ita Intellectualitas gratiæ,

Iustif. cap. 7. sic decernente: *Unica formalis causa Iustificationis est Iustitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.* Ex quo ita licet argumentari. Forma realis & physica ex ipsâ suâ naturâ *physice* tribuit effectum formalem, qui resultat ex subjecti per formam actuatione. At forma Iustificans seu causa formalis Iustificationis unica est forma in nobis recepta, atque adeò se habet ut forma realis & physica, ex sui in subjecto receptione eatenus actuans animam nostram ceu subjectum *realiter* receptivum, ut per eam verè simus justi. Est autem impossibile, quòd forma per sui in subjecto receptionem tribuat aliquem effectum formalem, cujus ratio non sit *formaliter* contenta in ipsâ formæ naturâ & essentiâ. Consequens igitur est, rationem formalem Iustificationis earumtus esse de Essentiâ & naturâ gratiæ sanctificantis, ut effectus formalis Iustificationis per gratiæ sanctificantis in animâ receptionem realem & physicam resultans conveniat ipsi non tantùm *moraliter*, sed *physice* & ex naturâ rei.

Dices ex Bartholomæo Mastrio *1. 2. disp. 7. a. 1.* Quando ex mente Scotistarum dicitur. Iustificationem esse gratiæ sanctificantis effectum formalem non *physice*, & ex naturâ rei, sed *moraliter* & ex ordinatione Divinâ, hoc non ita intelligendum esse, quasi sola extrinseca Dei ordinatio & acceptatio, ut est quid condistinctum à Divinæ gratiæ habitu, sit totalis & præcisa causa nostræ Justificationis, ipsa verò gratiæ qualitas omninò *materialiter* & *per accidens* ad id se habeat. Imò potiùs esse dicendum, quòd ipsa quoque gratia in Esse qualitatis simul cum Divinâ ordinatione *adæquate* constituat propriam & formalem nostræ Iustificationis causam, ita ut de facto sola extrinseca Dei acceptatio sine tali adjuncta qualitate non valeat ad nos *formaliter* justificandos, siquidem forma nos justificans de facto sit aliquid nobis intrinsecum & inhærens. Cujus ratio à Mastrio *citato n. 2.* deducta est. Nam Concilium Tridentinum *cit. Sess. 6. cap. 7.* expresse distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ, tanquam duas actiones ex naturâ suâ distinctas, indicans, remissionem peccati esse peculiare Dei beneficium & actum distinctum ab infusione gratiæ. Inquit e- 9.

lùm *radicaliter*, non autem *Formaliter* habet rationem gratiæ. At eo ipso, quòd gratia Habitualis se habeat per modum primæ intra lineam supernaturalem radicis, seu principij radicalis, nequit esse radicata in aliquo connaturalitatis Debito intrinseco. Ergo cùm ipsi conveniat tum ratio formæ sanctificantis, ut sic visioni quoque Beatificæ congruentis, tum ratio *omnimode* ac *simpliciter* dictæ gratiæ, visioni Beatificæ nullatenus competentis, consequens est; Gratiam Habitualem, non autem visionem Beatificam dicendam esse gratiam sanctificantem.

********(*)********

CONTROVERSIA II.

An Divinæ quasi specificæ participationis, & Iustificationis ratio Gratiæ Habituali conveniat physice, *vel* moraliter *duntaxat?*

1. SCotus *in 4. dist. 16. q. 2. n. 4. juncto* Hicquæi *comment. ibi. à n. 35.* docet, effectum formalem participationis Divini Esse, Filiationis Dei adoptivæ, juris ad regnum Dei, & Iustificationis *moraliter* duntaxat, non autem *physice* convenire Gratiæ sanctificanti. Fundamentum est. Quia seclusâ voluntate suâ, ejusque determinatione, non potest Deus obligari ad extra, positâ quâcunque creaturâ: cùm alioquin subesset legi inducenti talem obligationem. Ergo nulla creata forma habet pro effectu formali naturali constituere jus Dei obligatorium ad hæreditatem: alioquin enim gloria non esset gratia ex gratiâ, & ex liberalitate glorificantis: neque per adoptionem homo esset filius Dei, sed per naturam. At si aliqua forma creata haberet pro effectu formali naturali constituere justum & gratum, Deus ex vi talis formæ obligaretur ad conferendam hæreditatem cœlestem. Probatur ista sequela. Quia constituere justum, est dare jus ad hæreditatem, & facere Dei amicum. Ista verò amicitia in hoc consistit, ut per eam homo ad gloriam & hæreditatem debitam lege acceptetur. At si gratia sanctificans naturaliter constitueret amicum, vi cujus amicitiæ homo esset naturaliter acceptatus ad gloriam & hæreditatem lege debitam, sequeretur Deum amare aliquid extra se necessariò, atque adeò ab eo dependeret.

2. Confirmatur 1. Si enim gratia esset participatione Dei, confirmare justum in justitiâ datâ, eique donare consequenter merita, & reliqua, quæ ad justitiam conservandam faciunt. Ergo si amat necessariò positâ justitiâ, etiam eadem necessitate amaret ei conservationem ejus in re ipsâ & effectu. At hoc non facit, cùm & reprobi justificentur, & electi etiam cadere possint, & plures ceciderint. Ergo justitia ex naturâ rei non trahit secum amorem amicitiæ Divinæ, aut filiationis, aut adoptionis, sed tantùm ex voluntate differenti Dei, quæ non impeditur, aut determinatur in oppositũ ejus, quod per regulas infinitæ suæ sapientiæ statuit circa salutem, & libertatem, & opera viatoris.

3. Confirmatur 2. Iustitia enim & gratia eatenus daret jus adoptionis ad gloriam, quatenus est participatio Divini *Esse* secundùm prædicatum univocum, quod habet necessariam connexionem cum hæreditate seu gloriâ, & summo bono. Atqui tale prædicatum, ut est in Deo, dicit necessariam connexionem ad gloriam, & inseparabile substantialiter ex natura suâ, non autem jus diversum ab actu, seu potentiam. Vel ergo tale prædicatum in gratiâ participaretur sub hac ratione determinatâ & specificatâ, quod nemo dicet sanâ fide, cùm alias non posset gratia separari à gloriâ, & hæreditate in actu; vel non participaretur quà dicit connexionẽ ad gloriam. Tunc autem non esset natum dare jus ad gloriam, ut participaretur Deus in *Esse* à gratiâ. Non igitur est intelligibile, quâ ratione dicatur gratia seu justitia esse physica participatio Divini *Esse*.

4. Econtrario Aureolus *in 1. dist. 17. q. 1. a. 2.* Capreolus *ibid. q. 3.* Suarez *lib. 6. de grat. cap. 1. 2. & 12.* Bellarminus *lib. 2. de Iustif. cap. 16.* Vasquez 1. 2. *disp. 204. cap. 2. & seq.* Medina 1. 2. *q. 110. a. 4.* Nazarius 1 *part. q. 12. a. 5. cont. 2. §. Tertiò recolendum.* Navarrete 1. *p. 10. 1. cont. ... §. 6.* Alvarez *lib. 7 de auxil. disp. 64.* Amicus *præf. disp. 24. sect. 4.* Vincentius Asturicensis *relect. de grat. ... pag. 14.* Ioannes à sancto Thomâ *hîc disp. 22. a. 1. n. 12.* tenent effectum formalem participationis Divinæ, amicitiæ, & filiationis Dei adoptivæ convenire gratiæ non tantùm *moraliter* ex ordinatione Divinâ, sed *physicè* ex natura ...

5. Verùm in modo explicandi istam divinam participationem non convenit præfatis Doctoribus. Nam *primò* Vincentius ... & plures ex Thomistis sentiunt, gratiam esse participationem formalem divinæ naturæ, quatenus participat perfectiones Divinas, ... Divinæ sunt, id est, in quantum est ... & ipsum *Esse* independens, imò secundariò esse formalem Totius Augustissimæ Trinitatis participationem.

Funda-

quod attingit, & a quo veluti specificatur Divinus intellectus. Si proinde consideretur Divina Intellectualitas ex parte objecti attacti, sic participari per gratiam, quatenus elevat creaturam Intellectualem, ut intelligat ipsum in se, & in hoc objecto attingendo habet consortium cum Divino Intelligere. At verò in modo attingendi illimitato, & infinito, sicut & in modo Essendi, gratiam non posse ullum consortium, & formalem participationem seu convenientiam habere cum Divinâ naturâ. Fundamentum est. Quia inter operationes & potentias, quæ sunt earum principia proxima, & naturam, quæ est principium radicale, debet esse convenientia in gradu. Atqui operationes & virtutes, quæ præsupponunt gratiam ut principium radicale, pertinent ad gradum Intellectualem in ordine supernaturali. Ergo etiam ipsa gratia, ut adeò Sanctus Thomas *1. 2. q. 110. a. 2. & alibi* apertè insinuet, Essentiam gratiæ constitui in quâdam intellectualitate supernaturali, habente modum naturæ & principij radicalis.

7. *Tertio*. Ioannes à sancto Thomâ *cit. a. 1. n. 12.* docet, gratiam esse formalem participationem naturæ Divinæ, & infinitatis ejus, ut in se est, *objective*, non tamen id habere modo infinito in se, & ex parte subjecti, eoque adeò convenientiâ cum Deo quasi objectivâ: sicut imago convenit cum objecto, quod repræsentat *formaliter* convenientiâ objectivâ, & potentia, aut virtus cum suo objecto. Fundamentum est. Sicut enim nostra Intellectualitas respicit pro objecto quidditatem sensibilem, & Intellectualitas Angeli quidditatem spiritualem; ita Intellectualitas gratiæ, quæ est participatio Dei, respicit Quidditatem Divinam, & consequenter ipsum actum purum, & Esse Divinum ut intelligendum in se. Unde dicitur expressio Divinæ naturæ, non sicut repræsentatio intelligibilis, sed sicut virtus Intellectualis, & sicut Principium intelligendi Deum in se. Et sic *Formaliter* convenit cum Deo convenientiâ objectivâ, qualis est inter virtutem intelligendi, & objectum specificativum ejus, non tamen convenientia Entitativa, quasi ipsa forma participans sit ejusdem entitatis cum Deo.

CONCLUSIO I.

GRatiæ sanctificanti *physice* & ex naturâ rei convenit effectus formalis Iustificationis, & adoptivæ Filiationis Dei, atque non connaturalis ad Gloriam æternam Debiti.

8. Probatur ex Concilio Tridentino *Sess. 6. de* tribuat aliquem effectum formalem, cujus ratio non sit *formaliter* contenta in ipsâ formæ naturâ & essentiâ. Consequens igitur est, rationem formalem Iustificationis carentis esse de Essentiâ & naturâ gratiæ sanctificantis, ut effectus formalis Iustificationis per gratiæ sanctificantis in animâ receptionem realem & physicam resultans conveniat ipsi non tantùm *moraliter*, sed *physice* & ex naturâ rei.

9. Dices ex Bartholomæo Mastrio *in 2. disp. 7. a. 1.* Quando ex mente Scotistarum dicitur, Iustificationem esse gratiæ sanctificanti effectum formalem non *physicè*, & ex naturâ rei, sed *moraliter* & ex ordinatione Divinâ, hoc non ita intelligendum esse, quasi sola extrinseca Dei ordinatio & acceptatio, ut est quid condistinctum à gratiæ habitu, sit totalis & præcisa causa nostræ Iustificationis, ipsa verò gratiæ qualitas omninò *materialiter* & *per accidens* ad id se habeat. Imò potiùs esse dicendum, quòd ipsa quoque gratia in Esse qualitatis simul cum Divinâ ordinatione *adæquate* constituat propriam & formalem nostræ Iustificationis causam, ita ut de facto sola extrinseca Dei acceptatio sine tali adjunctâ qualitate non valeat ad nos *formaliter* justificandos, siquidem forma nos justificans de facto sit aliquid nobis intrinsecum & inhærens. Cujus ratio à Mastrio *cit. n. 2.* deducta est. Nam Concilium Tridentinum *cit. Sess. 6. cap. 7.* expressè distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ, tanquàm duas actiones ex naturâ suâ distinctas, indicans, remissionem peccati esse peculiare Dei beneficium & actum distinctum ab infusione gratiæ. Inquit enim *ab initio*, Quod Iustificatio non sit sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio. Et *circa medium* subdit. Unde in ipsâ Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo. Et *can. 11.* docet; Nostram Iustificationem non consistere in solâ remissione peccatorum, exclusâ gratiæ infusione. Cum igitur Iustificatio sit *formaliter* importans tum remissionem peccatorum, tum sanctificationem interioris hominis, mediante qualitate gratiæ infusæ homini præstandam: consequens est, quòd Iustificatio *adæquate* sumpta non sit *physice* ex solâ gratiâ sanctificante, sed sit *moraliter* etiam ex ordinatione & acceptatione gratuitâ Dei remittentis peccata.

10. Contra. Nam sacrum Concilium *Tridentinum* duo intendebat, alterum erat condemnatio hæresium Lutheranorum, & Calvinistarum, alterum erat definitio veræ orthodoxæ circa Iustificationem doctrinæ. At per illas hæreses Iustificatio nostra importabat tum favorem Dei, tum nostram fidem, quâ apprehenderemus Iustitiam Christi

quâ solus Dei favor extrinsecus, seu imputatio Christi Justitiæ per fidem apprehensa adstrueretur causa nostræ Justificationis. In hac ipsâ verò condemnatione sacrum Concilium non intendebat à Justificatione excludere tum extrinsecum Dei peccata nostra gratuitò remittentis favorem, tum Christi Domini ex justitiâ satisfactionem, seu Justitiæ ipsius imputationem moralem, tum fidem meritorum Christi & satisfactionis apprehensivam, sed ista reduci volebat ad causam tum Dispositivam, tum *physicè* Effectivam, tum *moraliter* seu *meritoriè* effectricem.

11. Probatur istud assumptum. Nam sacrum Concilium, cùm *praced. 6. cap.* primam Justificationis dispositionem posuisset fidem, illam præcipuè, quâ crederemus, impium Justificari per gratiam Dei, per redemptionem, atque à Deo Justitiæ satisfactionem, quæ est in Christo Jesu, nec non ipsius Christi Domini tanquàm fontis Justitiæ dilectionem. Exinde *cap. 7* subdit, Dispositionem *prætacto cap. 6.* expositam consequi ipsam Justificationem, quæ non sit sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio interioris hominis, vi cujus homo ex injusto justus, & ex inimico amicus, & sic hæres fiat secundùm spem vitæ æternæ. In cujus proinde justificationis expositione sacri Concilii procedit per omnes causas, *ex parte causæ* [illegible] adstruendo, Deum gratuitò abluentem, sanctificantem, & ungentem Spiritu promissionis Sancto; *ex parte* [illegible] *causæ* [illegible] ponendo Christum Dominum sanctissimâ suâ passione nobis Justificationem merentem, & pro nobis Deo Patri satisfacientem. Videtur igitur à sacro Concilio haud negari, quòd in Justificatione nostra interveniat favor Dei, sive Decretum gratuitum, ceu causa Justificationis nostræ *physicè* effectiva. Et quia Christi merita ut sic ipsamet Christi Justitiam & sanctitatem Verbi Increatam *Dignitate* includentia sub quâdam morali ergà nos imputatione applicantur, oportet, in Justificatione nostra intervenire etiam moralem Justitiæ Christi imputationem nobis applicatam, sub genere tamen Causæ meritoriæ seu *moraliter* Effectivæ, non autem sub genere Causæ Formalis. Quare dum sacrum Concilium partim *explicitè*, partim *implicitè* asserit, in Justificatione intervenire tum favorem Dei, tum remissionem peccatorum ex Divina meritorum Christi nobis applicatorum acceptatione subsistentem, tùm Justitiam nobis inhærentem, nequaquam intendebat, uti facit Mastrius, hæc omnia ponere ex parte causæ formalis, sed distinguendo singulas causas, Favorem Dei extrinsecum, sive Decretum peccati ex meritis Christi acceptatis gratuitò remissivum [illegible] ponebat ex parte Causæ Efficientis, ut solam Justitiam

Transeuntem ex naturâ rei *virtualiter* distinctam ab actione infusionis gratiæ, ex parte tamen formalis causæ Justificationis unicè ponere Justitiam in nobis receptam, nostræ animæ *intrinsecè* informativam. Cùm igitur tota Effectûs formalis per intrinsecam suam informationem ac physicam in subjecto receptionem causati ratio debeat formæ ejusmodi *physicè*, & ex naturâ rei convenire; effectus autem formalis per formalem Justificationis gratiam causatus secundùm sacri Concilii doctrinam in eo se teneat, quòd homo ex injusto fiat justus, & ex inimico amicus, ac hæres secundùm spem vitæ æternæ, evidenter infertur, omnes istas formales rationes *physicè*, & ex naturâ rei convenire gratiæ Justificanti.

Instabis ex Mastrio præallegato, sacrum Concilium *cit. can. 11.* addere; quòd gratia, quâ justificamur, non tantùm sit favor Dei extrinsecus. Hisce autem verbis clare insinuari, in gratiâ, quâ justificamur, includi aliquem Dei favorem præter nudam ejus entitatem, cùm alias malè diceretur, eam non esse tantùm Dei favorem. Consequens proinde esse, quòd per illum loquendi modum intendat Concilium, in ratione gratiæ includi aliquem Dei favorem, ac extrinsecam voluntatem, à qua dependenter habeat virtutem sanctificandi & justificandi. 13 14

Contra. Nam illis verbis intendebat Concilium condemnare & anathematizare hæresin Calvinisticam, & Lutheranam. In hac verò hæresi talis fiebat veritatis orthodoxæ eversio, ut favorem Dei extrinsecum respectu Justificationis se tenentem ex parte Causæ Efficientis poneret loco Causæ formalis: Justitiam animæ intrinsecam ceu unicam Justificationis causam formalem omninò excludendo, & non nisi Extrinsecum Justificationis principium statuendo. Adversùs istam proinde hæreticam doctrinam, nostræ Justificationis principium sub confuso causæ conceptu in Extrinseco duntaxat collocantem, anathema tulit sacrum Concilium, ibi quidem non exponendo singulas Justificationis causas, sed condemnando hæresin non nisi Extrinsecum principium Justificationis causale statuentem, ut consequenter oporteret, illud extrinsecum esse formalem Justificationis causam; siquidem nulla denominatio formalis subsistere posset sine aliquâ causâ formali. Constat proinde, sacri Concilii intentionem fuisse, condemnare doctrinam, quæ Causam Effectivam & formalem inter se confundendo, Justificationis principium in Extrinseco duntaxat collocasset, non verò illud Dei extrinsecum favorem unà cum intrinsecâ gratiâ reducendo ad Justificationis causam formalem, [illegible] Concilium sacrum alioquin videri posset docere

dare

perexcedens, vel non? Si prius afferatur, tunc illam ipsam Gratiæ Entitatem considerare licebit tanquàm formam divinæ ad extra mirabilitatis in suâ essentia participantem, sub conceptu aliquo seu ratione formali superexcedente omnis creabilis substantiæ, & in hac radicati accidentis perfectionem ac proportionem. At nulla quidditas formalis intelligi potest omnimodæ creabilis substantiæ, & in hac connaturaliter radicati accidentis proportionem ac perfectionem superexcedens, nisi sit quædam participatio Divinæ perfectionis sub gradu quasi specifico spectatæ. siquidem omnis Dei ad extra participatio Deitatis gradum quasi specificum non attingens sit intra lineam & proportionem alicujus substantiæ creatæ seu creabilis, & accidentis in hac radicati. At verò si entitas gratiæ justificantis ex suâ

13 Essentiâ & quidditate sit quædam Divinitatis secundùm gradum quasi specificum participatio, poterit eo ipso intelligi Justificationis causa formalis de se sufficiens ad omnes ejus effectus formales, prout infra patebit. Si proinde dicatur posterius, quòd scilicet entitas gratiæ non sit Essentia intrinsecè supernaturalis omnimodæ creabilis substantiæ, & in hac radicati accidentis proportionem ex suo specifico conceptu superexcedens. Tunc quærere licebit ex Malrdo, utrùm effectus formalis Justificationis ut sic sit quid in

14 substantia supernaturale, omnimodæ creabilis substantiæ, & accidentis in hac radicati proportionem excedens? Quòd si neget, evidenter infertur, posse ipsum esse formam substantiæ creabili radicatam, effectus formalis justificationis utpote sibi proportionati & connaturalizati formaliter contentivam, nec adeò pro tali effectu opus esse fugere ad favorem Dei extrinsecum tanquàm causam formalem inadæquatam. Si verò illud utpote cum sanâ orthodoxa fide haud cohærens admittere nolit, sed affirmet, effectum formalem Justificationis in suâ substantia & essentia spectatum superexcedere totius creabilis naturæ, & in hac radicati accidentis proportionem, tunc sane talis effectus formaliter qua talis non poterit fluere ex illâ formâ inhærente.

15 Probatur istud assumptum. Ex nullâ enim

16. formâ potest fluere effectus formalis, nisi sub eâ formali ratione, sub qua fluit ex tali forma, in se formaliter illum præcontineat. At eo ipso, quòd effectus formalis Justificationis ut sic totius creabilis substantiæ & in hac radicati accidentis proportionem, atque connaturalitatem sit superexcedens, nequit ejus ratio formalis ut sic esse formaliter præcontenta, nisi in forma totam illam proportionem seu connaturalitatem superexcedente, atque adeò Divinæ perfectionis sub gradu quasi specifico participationem intrinsecè ac formaliter importante. Nequit ergo effectus for-

ignis ... Dei favorem ... ex parte Causæ formalis Justificationis, sed causæ duntaxat Effectivæ ut supra ex Concilio Tridentino demonstratum est.

Urgebis ex Hicquæo superius citato n. 47. 17.
Hinc evincit, quòd Gratia Habitualis ceu quædam per qualitatem formaliter participata esset sanctitas per Essentiam ... per Essentiam, atque repugnare peccatum veniale ac mortale. Esse autem de fide, quòd cum nostrâ justificante gratiâ componi possit peccatum veniale.

18. Contra. Nam sanctitas eatenus radicatur in puritate Essendi ut sic ... formalem rationem importante, ut ... ad ... sanctitatis reduci debeat omnis illa formalitas, quæ per Essendi puritatem omnimodam, sive per Esse purè subsistens specificatur. At verò alia per Esse purum formaliter ... specificatio est in primo modo ... secundùm formalem rationem ... Hæc verò est propria Divinæ naturæ, quatenus ipsum Esse subsistens Dei per sui veritatem Transcendentalem in ... actuatum ... intelligibiliter expressum, habens ut ... naturæ. Alia verò per Esse Dei subsistens specificatio est simul in primo & quarto modo ... Ejusmodi verò specificatio convenit Verbo Divino, quatenus natura Divina sive æterni Patris per ... Esse subsistens ... specificata ... eatenus est principium verbi Divini in quarto perseitatis modo ... specificativum, & eadem Intellectio Divina in primo etiam ... modo per se sit ... constitutiva, atque adeò distinctiva verbi Divini. Alia proinde per Esse Dei subsistens specificatio est præcisè in quarto Perseitatis modo. Ejusmodi autem specificatio convenit formis creatis quoad substantiam supernaturalibus, ipsique adeò gratiæ sanctificanti. At ista in quarto duntaxat perseitatis modo ex Divino subsistente Esse specificatio convenit formæ creatæ, quatenus vel intentionaliter est unitiva cum Esse Dei subsistente tanquàm formâ vel ... vel ... actuante. Illa verò prior secundùm Hypostaticam actuationem Esse Divini subsistentis cum naturâ creatâ unio fit in personali Verbi ad Humanitatem conjunctione. At posterior secundùm intentionalem in Esse intelligibili actuationem fit formaliter per visionem Beatificam, ... per lumen gratiæ, ... autem per gratiam sanctificantem. ... sanctitati per Essentiam Dei ... specificatæ omnimodè repugnet peccatum tam veniale, quàm mortale; adeò ut ipsi etiam Humanitati Christi formaliter quà subsistenti per Verbi Divini Hypostasin in primo ... modo per se sanctificatæ ... de convenit omnimoda impeccabilitas. Nul-

Essentialiter repugnet impeccabilitas; nequit gratia sanctificans *simpliciter* dici sanctitas per Essentiam, sed cum addito duntaxat dici potest sanctitas ex Divini *Esse* gradu quasi specifico *in quarto perseitatis genere* participata.

CONCLUSIO II.

GRatia sanctificans est participatio divinæ naturæ non *physicè* duntaxat, sed etiam *formaliter* ex Divinæ naturæ gradu quasi specifico ideata, & ut sic secundùm quartum perseitatis modum specificata.

19. Probatur. Nam quia Essentia Divina est purum Esse subsistens, ideò est purissima veritas Transcendentalis, & actualissima Intelligibilitas, estque adeò supsius formalissima Intellectio. Ut sic autem habet rationem naturæ Divinæ. Hujus proinde naturæ Divinæ ceu purissimæ in se expressæ intelligibilitatis, sive Intelligibilis *per Esse Dei subsistens formaliter identice* specificatæ expressionis participatio creata & accidentaria constituit lineam accidentis quoad substantiam supernaturalis. Omnis igitur forma, quæ ex sua intrinsecâ Essentia ordinatur ad intelligibilem *Esse subsistentis* ut est in se, purissime actuatam expressionem est intra lineam Entis creati quoad substantiam supernaturalis. At verò alia forma ad illam Divini subsistentis Esse in se purissime actuatam intelligibilem expressionem se habet ut forma ipsius tanquam verbi, seu Termini in esse intelligibili *vitaliter & actualiter* attractiva, quæ est visio beatifica: alia se habet ad instar potentiæ ad illam vitalem verbi increati, seu Divini Intelligibilis purissime subsistentis Esse contactum habilitantis, ac id ipsum intelligibile verbû in actu primo cum Intellectu creato unientis, quæ est tamen gloriæ. Alia se habet ut virtus vitalis erga illud Intelligibile Dei subsistens Esse quà *vitaliter* attactum impulsiis & affectivæ unionis elicitiva, quæ est charitas. Alia se habet ut virtus verbi creati, ceu speculi ænigmatici, ex illo ipso lumen intelligibili Dei *subsistente Esse*, tanquàm objecto formali, *in quarto perseitatis modo*, sive *immediatè* specificati formativa, quæ est Fides. Alia est verbi [illegible] per Intelligibilitatem ex verbo Fidei seu [illegible] supernaturaliter [illegible], atque [illegible] formæ ex intelligibili Dei *subsistente* [illegible] sub diversis formalitatibus [illegible] intellectualia [illegible] Honestatis [illegible] Divino Intelligibili [illegible] *vitaliter* attingit [illegible] bentis, atque [illegible] specificatæ ex illo Intelligibili Dei [illegible] quæ sub diversis formalitatibus [illegible] virtutes morales [illegible] [illegible] voluntati [illegible] in co[illegible]

cum Divino in se *intelligibiliter* expresso *purissimè subsistente Esse*, ut istud se habeat ad illam gratiam sanctificantem, ut objectum, seu Terminus *in quarto perseitatis modo* ejusdem, non quidem quà vitalis attactûs, sed quà principij radicalis ejusdem *vitaliter* attactivi *formaliter* specificativus. At hæc ipsa specificatio seu specifica gratiæ sanctificantis differentia eatenus est naturæ Divinæ participatio objectiva, id est ex intelligibili Dei subsistente *Esse* tanquàm Divinâ naturâ *objectivè* specificata, ut sit tamen formalis Divinæ naturæ non quidem univoca, sed analogica participatio.

Probatur istud assumptum. Nam quia omnis Essentiæ creatæ prima ratio est per Divinæ Essentiæ ideationem, oportet, quamlibet Essentiam creatam esse formalem, sed analogicam alicujus Divinæ Essentiæ gradûs participationem. In ejusmodi verò Essentiarum creatarum ex Divinæ Essentiæ Ideatione participatione eatenus resplendent diversi Essentiæ Divinæ gradus, ut vel hinc oporteat, istos ex naturâ rei non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* esse distinctos. 20.

Si proinde Divinæ Essentiæ formalitatem, essentiarum creatarum quoad substantiam supernaturalium ideantem inquiramus, oportet, esse ipsummet Divinæ naturæ quasi specificum gradum. Probatur hoc assumptum. Qui unicus quasi specificus naturæ Divinæ gradus eatenus est Divinitatis ab Essentijs creatis primò distinctivus, ut nequeat ulli creatæ formæ esse *substantialiter* communicabilis, sitque adeò totius naturæ seu substantiæ creatæ & creabilis proportionem superexcedens. At ex terminis manifestum est, Ens creatum quoad substantiam supernaturale ex suâ Essentiâ esse superexcedens totius creabilis substantiæ seu naturæ proportionem. Oportet igitur, formalitatem Divinam formæ quoad substantiam supernaturalis Ideantem, & ut sic *in quarto perseitatis genere* per modum principij Exemplativi specificativam esse ipsum naturæ divinæ gradum quasi specificum. Cùm igitur gratia sanctificans in ordine & lineâ supernaturali se habeat tanquàm primum radicale principium, oportet, ipsam esse Intelligentiæ creatæ inexistentem ceu primam in lineâ formalis ex naturæ Divinæ gradûs quasi specifici ideatione, per Intellectum Dei ab æternitate formatæ, non quidem substantialis, & univocæ, sed analogicæ & accidentariæ participationis formam, omnis alterius ad lineam illam spectantis formæ in se *radicaliter* contentivam. Hinc autem fit, quòd forma gratiæ Habitualis ex suâ naturâ habeat vim *formaliter* sanctificativam, peccati que [illegible] remissivam, nec non amicitiæ cum Deo, Filiationis Dei adoptivæ, & hæredis [illegible] Divinæ collativam. 21.

Probatur istud assumptum. Nam sanctitas in Deo est puritas Divini [illegible] in se *intelligibiliter* [illegible], adeoque *purissime* expressi. At gratia Habitualis [illegible] intelligibili divini 22.

vina Essentiali sanctitate participatæ. At eo ipso, quòd ista physica hujus sanctitatis ceu participatæ cum Divinâ naturâ similitudinis cum animâ unio sit descendens ex Divina causalitate: hæc verò quia Deo immanens sit *formalissimè* amor divinus illius participatæ sanctitatis communicativus & effectivus, fit consequens, Deum infundendo istam sanctitatem, amare animam in gradu participatæ cum Divinâ naturâ similitudinis. Ejusmodi verò amor Divinus ad participatam Deitatis similitudinem ceu subjecti intrinsecam Dignitatem terminatus dicitur amicitiæ. Unde quia per gratiam Habitualem inest animæ dignitas Divinum amicitiæ amorem terminans, sequitur, per illam formam suppositum constitui in Esse Amici Dei. At verò cùm peccatum mortale sit *moraliter* perseverans in Divino ex se concitato odio, ac effectu hinc resultante Divinæ scilicet per gratiam participationis privatione, oportet, eo ipso peccatum mortale esse remissum, dum gratia sanctificans non nisi ex Divinæ participatæ similitudinis communicativo amore descendens infunditur; siquidem ex vitalis amoris Divinum ex peccato concitatum odium tunc *virtualiter* ac *effectivè* quoad effectum scilicet privationis ex ipso inductæ, atque adeò moralis peccati perseverantia quasi *physicè* tollatur. Et quia effectûs cum causâ secundùm naturæ quà intellectualis gradum quasi specificum similitudo fundat filiationem, evidenter infertur, gratiam Habitualem, utpote participatam in gradu quasi specifico Divinæ intellectualitatis & naturæ similitudinem, fundare filiationem Dei adoptivam, non autem naturalem, eò quòd ista importet similitudinem consubstantialem, in ipsis substantiæ genitæ & generantis naturis *formaliter* radicatam, illa verò sufficienter fundari possit super analogicâ gratiam *formaliter* importante naturæ Divinæ participatione. Quia denique gratia sanctificans ex suâ Essentiâ est radicale omnis formæ supernaturalis in se *connaturaliter* contentivum principium, eo ipso ex naturâ suâ confert in ordine ad visionem Beatificam, tanquam perfectionem in lineâ supernaturali consummatam, jus intrinsecum non quidem Dei, utpote absolutum super omnes res creatas Dominium tenentis obligatorium, sed *connaturaliter*, cum Essentiali licèt ad Divinæ prædominantis causalitatis subordinatione causativum. Constat igitur, gratiam sanctificantem eatenus esse sub ratione principij radicalis formalem Divinæ naturæ gradûs quasi specifici participationem realem & physicam, ut consequenter Iustificationis, amicitiæ cum Deo, Filiationis Dei adoptivæ, & Iuris ad hæreditatem cœlestem effectus formales ipsi competant *physicè* & *realiter*, non verò *moraliter* duntaxat.



causalitati *essentialiter* subordinata accipiendum. Ejusmodi proin Ius ad hæreditatem cœlestem competere ex ipsámet GratiæHabitualis entitate intrinsecâ. Et hinc vitalis gratiæ per ipsum Divinum amicitiæ amorem causatæ constitui hominem Deo *formaliter* gratum, ac respectu hæreditatis cœlestis acceptum, quatenus ipsa gratia sanctificans est forma, non quidē *essentialiter* cōnexa, minùs Dei obligatoria ad conferendam gloriam, quæ tamē respectu istius cōnaturalem habeat proportionem ac exigentiam. In quâ proinde connaturali exigentiâ dicitur gratia inordine ad hæreditatem cœlestem accepta, non quidem quoad actualem hujus collationem, sed quoad radicalem, tum Divinæ causalitatis ac libertatis Dominio, tum suppositi ex se peccabilis mobilitati subjectam continentiam.

24. Ad *primam n. 2.* oppositam confirmationem Respondetur. Verum quidem esse, quòd supposità gratiæ Habitualis infusione, animam tali formâ dotatam tanquam filium suum adoptivum, & cœlestis regni hæredem Deus necessariò amet, non alio tamen, quàm illo amore, qui per modum causalitatis Efficientis erat liberè infundens gratiam sanctificantem. Unde illam amandi necessitatem esse purè consequentem, nec ex vi intrinsecæ voluntatis Divinæ immobilitatis posse Dei obligatoriam esse, nisi in ordine ad illos effectus formales, qui ex ipsâ gratiæ quà animam informantis naturâ *formaliter* resultant, non verò in ordine ad gratiæ conservationem, seu gloriæ collationem actualem.

25. Probatur istud assumptum. Nam licèt gratia constituat animam in statu amicitiæ cum Deo, exigentis connaturaliter sui, ipsiusque adeò gratiæ ex Divini amoris causalitate conservationem. Hæc tamen connaturalis ad conservationem amicitiæ, in hac ipsâ radicatæ, exigentia subest Divinæ prædominanti causalitati. Unde ex altiori sui judicij fine potest gratiam efficacem, mediante quâ Habitualis sanctitas conservaretur, eatenus denegare, ut non æternâ illâ gratiæ ad sui conservationem, vel etiam gloriæ actualem collationem connaturali, Divinæ causalitati, ejusque adeò Dominio *essentialiter* subordinatâ exigentiâ, sit hoc ipso faciens Iudicium sui absoluti Dominij.

26. Ad *secundam n. 3.* oppositam confirmationem Respondetur. Justitiam & gratiam dare jus adoptionis ad gloriam, quatenus est participatio Divini *Esse* tum secundùm prædicatum univocum, prout scilicet istud se habet ex parte Divinæ gratiam ex Essentiâ suâ exemplantis ideationis, tum secundū prædicatum analogum, prout istud se tenet ex parte ipsius gratiæ ex Divina natura *in Quarto perseitatis modo* specificatæ ac Ideatæ. Ex vi autem talis Divini in gratiâ sanctificante solùm *analogicè* participati prædicati non convenire gratiæ essentialem, sed connaturalem duntaxat respectu gloriæ connexionem, seu connaturalitatis proportionem, se habentem per modum

causalitatis Dominio *essentialiter* subordinatâ, facilè intelligi posse, qualiter gratia, prout Deus in *Esse* per ipsam solùm *analogicè in Quarto perseitatis modo* participatur, conferendo jus ad gloriam, non habeat cum istâ connexionem substantialiter inseparabilem.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA III.

Qualiter forma sanctificans se habeat ad virtutes supernaturales infusas?

IN Justificatione unà cum gratiâ infundi virtutes Theologicas, definita sententia est sacri
1. Concilij Tridentini *sess. 6. de Justif. cap. 7.* sic decernentis: *In ipsâ Justificatione cum remissione hac omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Unde in *præcitato cap. 7. in init.* dicitur, *quod Iustificatio non sit sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & Donorum,* ut[i]que Spiritûs Sancti.

2. Quoad virtutes morales secundùm substantiam supernaturales, infundi istas in Justificatione, evincitur tum ex illo *Sap. 8. Sobrietatem, Prudentiam docet & Iustitiam.* His que namque verbis dicitur sapientia æterna utique in Justificationis instanti docere illas tres virtutes. At Spiritum Sanctum, & sapientiam æternam docere virtutes, nihil aliud est, quàm illas infundere, uti eruitur ex Concilio Milevitano *cap. 4.* Docet enim Spiritus Sanctus ungendo, juxta illud: *Unctio Spiritus Sancti docebit vos.* Ungimur autem Spiritu promissionis Sancto in ipsâ Justificatione, per quam fit infusio gratiæ & Donorum. ex *cit. cap. 7.* Concil. Trident. Consequens igitur est, in Justificationis instanti infundi prætactas virtutes morales. Unde *in Cathechismo Roman. de effectu Baptismi* habetur, quòd simul cum gratia infundatur nobilissimus virtutum comitatus.

Quibus adeò suppositis, duæ restant hic expediendæ difficultates. 1. *Utrum gratia sit realiter distincta ab infuso charitatis habitu?* 2. *Utrùm virtutes supernaturales infusæ activè dimanent ex gratiâ Habituali.*

Referuntur sententiæ.

CIrca primam difficultatem negant Scotus
3. *in 2. dist. 27. q. un. n.* [illegible] Lychetus *ibi.* Heinricus [illegible] *4. q. 10.* Balsolis *in 2. dist. 28.* Major *in* [illegible] *q. 1.* [illegible] *1.* Bellarm. *lib. 1. de Grat. & lib.* [illegible] *cap. 6.* Esparza *in quæst. de Iustif.* [illegible] *4.* Rada [illegible] *14. a. 1.* Mastrius de Meldula *in 2.* [illegible] Fundamentum est. Quia excellentia omnes & effectus, qui tribuuntur gratiæ a scripturis & Patribus, [illegible] charitati. At sicut ex [illegible] formalium [illegible] formarum, sic ex [illegible]. Ergo charitas & gra-

facit etiam charitas, juxta illud *Ioann. 14. Qui diligit me, diligetur a patre meo.* Secundus est, Justificare à peccato. At istud etiam facit charitas, juxta illud *Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertius est, transferre de morte ad vitam. At hoc vel maximè convenit charitati, juxta illud *1. Ioan. 3. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Quartus est, facere filios Dei adoptivos. At istud quoque congruit charitati. *1. Ioan. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus.* Denique utraque secundùm Divum Augustinum *15. de Trinit. cap. 18.* dividit inter filios Dei, & perditionis, utraque est etiam forma virtutum, & neutra potest esse informis; utraque etiam conjungit Ultimo Fini perfectâ conjunctione, qualis potest esse in viâ. Cùm igitur gratia & charitas habeant eosdem effectus formales, consequens est, non esse formas inter se realiter distinctas.

Quòd si cùm Amico *præs. disp. 29. sect. 3. n. 71.* respondeas. Ea, quæ sunt propria gratiæ, tribui Charitati & èconverso; tum propter mutuam Conjunctionem & inseparabilitatem; tum quòd actus charitatis sit proxima dispositio ad gratiam, ut adeò, quæ de gratiâ verificantur 4.
formaliter, de charitate verificentur *dispositivè*; opponit Mastrius *præcitatus à n. 134.* tum quòd gratis dicatur, omnia prætacta sacræ scripturæ loca debere intelligi de charitate actuali, seu de actu charitatis, qui est dispositio ad gratiam, quin potiùs locus postremus: *Videte, qualem charitatem dedit nobis &c.* nequeat intelligi de charitate actuali, sed Habituali; tum quod necessaria & naturalis connexio duarum formarum in eodem subjecto non sit sufficiens, ut proprietates & effectus formales unius tribuantur alteri promiscuè, veluti pateat in alijs materijs. 5.

E contrario affirmant Divus Thomas *1. 2. q. 110. a. 3.* Et *de Verit. q. 27. a. 2.* S. Bonaventura *in 2. dist. 27. a. 1. q. 2.* Et *in 3. dist. 27. a. 1. q. 3. & 4.* Ægidius *in 2. dist. 26. q. 2. a. 1.* Ferrariensis *3. contra Gentes. cap. 151. §. ad evidentiam.* Cajetanus *cit. q. 110. a. 3.* Serra *ibidem.* Sotus *lib. 2. de Naturâ & grat. cap. 17. & 18.* Suarez *lib. 6. de Essent. grat. cap. 12.* Amicus *cit. sect. 3. n. 58.* Ioannes à Sancto Thomâ *cit. disp. 22. a. 2.* Fundamentum est. In ordine enim supernaturali dantur in nobis virtutes rectè disponentes & ordinantes erga Finem supernaturalem. Sicut in ordine naturali dantur virtutes, quibus rectè disponimur & ordinamur circa Finem naturalem. At virtus naturalis est dispositio secundùm convenientiam ad naturam rationalem naturaliter operantem. Ergo virtus supernaturalis debet importare dispositionem secundùm convenientiam ad naturam rationalem ut elevatam & supernaturalizatam. At non potest respectu naturæ quà elevatæ [illegible] dispositionis convenientis, [illegible] ponatur natura elevata, respectu [illegible] reddatur illa virtus dispositio conveniens. Ergo ante omnem virtutem supernaturalem supponi debet aliqua forma reddens naturam elevatam, ut in ordine ad illam virtus sit dispositio conveniens. At charitas est vera virtus, & una ex Theo- 6.

logicis

naturali: cum in ordine naturali non sit dispositio conveniens. Illa ergo forma, quâ elevatur natura antecedenter ad illam dispositionem, quæ est virtus & charitas, distinguetur ab ipsâ charitate, quia præsupponitur ad illam, sicut natura rationalis ad virtutem.

7. Quòd si dicat adversarius: Fidem & Spem ceu virtutes supernaturales, teste Concilio Trident. *Sess. 6. de Iustif. cap. 7.* infundi quidem simul cum gratiâ Justificationis, manere tamen in peccatore, nec adeò requirer naturam elevatam per gratiam, ad hoc, ut subjectum disponatur convenienter ad operandum. Instat Ioannes à Sancto Thomâ *citatus n. 9.* Tum quòd Fides & Spes possint habere duplicem statum, scilicet ut informes, & formatæ. Etsi verò in Esse informi præcedant gratiam, ad quam disponunt: attamen ut formatæ in Esse virtutis supponunt gratiam. Ut sic enim habent rationem dispositionis convenientis ad optimum, ideſt ad finem; quem ordinem non habent in statu informi, licèt habeant entitatem, quâ disponunt ad gratiam, & ita sint in subjecto ante existentiam gratiæ. At verò cum formantur & coexistunt gratiæ, dicunt etiam habitudinem, ut virtutes, videlicet ut imperatæ à charitate, & ordinatæ ad Finem Ultimum secundùm rectam dispositionem. Tum quòd Fides & Spes in peccatore non sint connaturali modo, sed præternaturali, siquidem per se exigant esse cum gratiâ, atque adeò quasi præternaturaliter relinquantur in peccatore, ut scilicet possit excitari, & disponi ad conversionem in Deum, juxta illud *Isaiæ* 1. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen* (id est, Fidem) *quasi Sodoma fuissemus.*

8. Circa secundam difficultatem Cajetanus *in 3. p. q. 62. a. 2. §. In corpore circa medium,* docet, quòd, sicut ab Essentiâ fluunt potentiæ, sic à gratiâ fluant perfectiones potentiarum, dona scilicet & virtutes. Unde Amicus *præs. disp. 29. sect. 5. n. 213.* infert, Cajetanum, ac recentiores Thomistas in eâ esse sententiâ, quòd virtutes infusæ *activè* dimanent à gratiâ. Fundamentum est. Quia gratia tanquam similitudo Divini Esse perficit ipsam Essentiam animæ, virtutes autem tanquam perfectiones potentiarum in ordine ad ipsarum actus perfectivæ, se habent ad illam ad instar proprietatum. Atqui proprietates *Effectivè* dimanant ab Essentiâ substantiæ.

9. Econtra Alphonsus Curiel *præs. q. 110. a. 3. dub. 2. §. 3. ad ult.* existimat, virtutes infusas non pendere ex gratiâ, ut ab Efficiente & conservante, sed postulare gratiam Habitualem in animâ ex suâ virerum ordinatione, & dispositione, non ex naturâ rei. Et quamvis hæc ordinatio, quantum est ex parte Dei, non sit immutanda, tamen ex culpâ hominum posse provenire, ut immutetur, scilicet quia ipsi peccata committunt, quæ repugnantiam habent cum gratiâ Habituali, non cum Fide & Spe. Verùm Ioannes à Sancto Thomâ *citatus* & Amicus *cit. sect. 7. 8. & 9.* tenent, tum quòd virtutes infusæ ex ipsâ naturâ rei postulent gratiam, adeò ut Fides & Spes præternaturaliter sint in animâ destitutâ gratiâ sanctificante; tum quòd ex gratiâ dimanent non quidem *activè*, sed secundùm connaturalitatis exigentiam, sintque adeò secundùm talis connaturali-

CONCLUSIO I.

GRatia sanctificans est qualitas realiter distincta ab infuso Charitatis habitu.

Probatur. Quis enim neget, in infinito divinæ sapientiæ thesauro contineri formam ad extra producibilem, quæ in ipsâ animæ substantiâ *immediatè* subjectata intra ordinem supernaturale sit prima, se habens ut radix omnium virtutum, & Donorum supernaturalium: unde animæ substantia ita elevetur & habilitetur, ut ipsi non merè per accidens sit, informari virtutibus omnium ad rationalem ipsius portionem spectantium potentiarum in ordine ad actus supernaturales intrinsecè proportionantibus. Quam proinde primam formam supernaturalem oporteret, in se habere quandam connaturalitatis proportionem in ordine ad virtutes supernaturales infusas ceu proxima supernaturalium actuum principia. Hinc autem rursus fieret, quòd virtutes ejusmodi per sui in illâ formâ supernaturali radicationem etiam inter se ipsas essent *per se* connexæ. At verò ejusmodi formam, dicendum est dari de facto, esseque ipsam gratiam sanctificantem. Probatur istud assumptum. Nam Deus creaturam intellectualem elevando ad conditionem supernaturalem, constituit illam in statu perfecto. 11. Sicuti autem perfectio status naturalis in eo se tenet, quòd cujusque substantiæ sit una Essentia prima, in quâ radicentur omnes perfectiones ipsi connaturales: sic in Divinæ quasi specificæ analogicæ participationis ordine, & lineâ supernali assignanda est forma non quidem substantialis, sed accidentaria, quæ in hoc ordine sit prima, & in quâ secundùm aliquam connaturalitatis proportionem omnes supernaturalis ordinis perfectiones radicentur. Non enim Deus intuendo suam essentiam magis ex gradu specifico intellectualitatis per ipsam met Esse subsistentis Intelligibilitatem actualissimam specificatæ gradu est exemplans talem formarum inter se subordinatarum connaturalitatis proportionem, ut una per modum primæ radicis, cæteræ verò per modum potentiarum, & proprietatum, & vi hujus in unâ primâ formâ radicationis inter se connaturaliter connexarum, se habeant. Hæc proinde in supernaturali Divinæ quasi specificæ participationis ordine prima forma est, per quam reddimur Divinæ consortes naturæ, hanc sub ratione primi radicalis principij in ordine ad intelligibilem Divini *subsistentis Esse* unionem participando. Ex vi ejusdem formæ reddimur *intrinsecè* docibiles Dei, id est, ex Spiritu Sancto mediantibus Donis & virtutibus infusis ab intrinseco mobiles. Hinc reddimur etiam Deo grati & amabiles secundùm participationis quasi specificæ Dignitatem, Divini amicitiæ amoris ut sic terminativam. Exinde regenerati in Naturæ Divinæ similitudinem in ipsâ animæ substantiâ receptam constituimur Filij Dei, habentes intrinsecum Jus Gloriæ cœlestis, utpote cujus semen sit gratia sanctificans. Ex quibus adeò patet, talem formam, in quâ, 12.

 supera

supra probavimus, constitui Gratiam sanctificantem, eatenus esse Divinæ Naturæ sub gradu quasi specifico similitudinem participatam, non quidem univocam *in primo perseitatis modo*, sed analogicam *in Quarto perseitatis genere*, ex Divino in se intelligibiliter expresso purè subsistente Esse specificatam; ut in se *radicaliter* præcontineat omnimodam ordinis supernaturalis perfectionem, ipsummet quoque lumen gloriæ ac visionem Beatificam. Atqui charitas est forma voluntatis ad Deum sub intelligibili supernaturali lumine repræsentatum *appretiative* super omnia diligendum. Ejusmodi verò forma in voluntate, non in animæ substantiâ *immediatè* recepta, est restricta ad unicam amoris Divini speciem, non verò est *radicaliter* in se præcontinens omnimodæ perfectionis supernaturalis formam.

13. Probatur istud assumptum. Quamvis enim actus charitatis Theologicæ sit proxima dispositio ad gratiam; attamen sicuti dispositio naturalis respectu formæ, ad quam disponit, habet proportionem alicujus præparationis subjectum habilitantis; quæ adeò proportio est potius in genere potentialitatis quasi actuabilis, quàm in genere formæ & actûs *radicaliter* formam ejusmodi præcontinentis: sic actus Dilectionis Dei ad gratiâ disponens se habet per modum congruitatis subjectum ad gratiæ sanctificantis congruam receptionem habilitantis, nec adeò se habere potest per modum actûs gratiam sanctificantē in se *radicaliter* præcontinentis, sed per modum dispositionis potentialitatem subjecti quà ex formâ sanctificante actuabilem *intrinsece* proportionantis. Unde à fortiori evincitur, quòd charitas neque luminis gloriæ, seu visionis Beatificæ habeat eâ se ipsâ radicalem continentiam, sed duntaxat proportionem tum congruitatis subjectum *intrinsece* habilitantis, tum connexionis connaturalis per intrinsecam utriusque charitatis, & luminis Gloriæ in unâ Gratiâ sanctificante radicationem fundatæ. Ex quâ proinde radicatione etiam fit, ut Charitatis Theologicæ actus valorem gratiæ sanctificantis superinduendo, fit *condignè* meritorius luminis gloriæ ac visionis Beatificæ. Cùm igitur charitas sit qualitas se habens per modum virtutis ad determinatam actûs speciem coarctatæ, & in voluntate receptæ, gratia verò sanctificans in ipsâ animæ substantiâ *immediatè* subjectata, omnimodam supernaturaliter operativam virtutem sit *radicaliter* præcontinens, evidenter sequitur; Gratiam esse *realiter* distinctam à charitatis virtute.

14. Dices ex Mastrio *præcitato n. 156. & 158.* Concilium Trident. *Sess. 6. de Iustif. cap. 7.* describendo Justificationem impij, affirmare, quòd ista fiat, dum per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus nostris. Hinc autem manifeste evinci, quòd charitas sit ipsa forma Justificans. Unde Sanctum quoque Augustinum *L. de nat. & grat. cap. 42.* docere; *quod ipsa charitas sit verissima, & purissima, perfectissimaque Iustitia.*

15. Contra Nam aliud est, loqui de Justificatione, ejusque effectu formali *in concreto*, prout fit *in actu Exercito*: aliud verò est, loqui de eâdem *in abstracto*, prout consideratur *in actu signato*. At Justificatio *concretè in actu Exercito* spectata importat non sibi duntaxat Essentiam, sed proprietates connaturaliter secum connexas, nec non dispositionem proximam cum Gratiâ sanctificante infallibiliter ac inseparabiliter conjunctam. Tali ergo modo secundùm Sanctos Patres verificatur, tum quòd charitas actualis sit *Dispositive* perfectissima Habitualis Justitia, seu forma sanctificans, imò sit perfectissima nobis possibilis Justitiæ satisfactio pro peccato, sitque adeò verissima Justitia actualis; tum quòd charitas *concretè* sumpta cum formâ, in quâ ceu primo radicali principio radicatur, tribuat formalem effectum Justificationis. De quâ proinde Justificatione *concretè*, prout per merita Christi fit *in actu Exercito* Sacrum Tridentinum Concilium *cit. cap. 7.* ait; In ipsâ Justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipere hominem, Fidem, Spem, & Charitatem. Quod si verò de Justificatione, ejusque effectu formali *in actu signato* seu *in abstracto* sermo sit, tunc ponderandus venit sacer textus ex opposito præallegatus, quo dicitur, quòd *Charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ex hoc enim sacro textu ita licet argumentari. Charitas datur per Spiritum Sanctum nobis datum sive inhabitantem. Unde Spiritus Sanctus non ab extrinseco, sed quà inhabitans est causa charitatis. Ergo pro aliquo priori naturæ & causalitatis realis subsistit, quòd Spiritûs Sanctus per prius sit inhabitans, quàm per ipsum inhabitantem diffundatur charitas in cordibus nostris. Atqui Spiritus Sanctus non est inhabitans nisi per formam creatam, quam infundendo, illabitur animæ sub illâ Divinæ participationis lineâ, sub quâ dicitur inhabitans, ita ut per ipsammet suam substantiam sit quidem inexistens, illapsus tamen ipsius in animam *inchoative* sit causalitas ipsi immanens, *consummative* verò importet realem ex ipso causatam impressionem. Oportet igitur, pro priori realis Charitatem cordibus nostris infundendam antecedentis causalitatis instanti assignari formam animæ nostræ impressam, per quam Spiritus Sanctus animam nostram fit inhabitans, & ut sic diffundens charitatem. At talis forma se habet ut principium radicale charitatis, estque adeò forma antecedenter ad infusionem charitatis sanctificans. Consequens igitur est, formam sanctificantem utpote *realiter* priorem infusione charitatis esse ab istâ *realiter* distinctam. 16.

CONCLUSIO II.

VIrtutes supernaturales infusæ non dimanant *activè* ex gratiâ sanctificante, sed per quandam intrinsecam connaturalitatis exigentiam cum istâ sunt connexæ. 17.

Probatur. Si enim virtutes supernaturales infusæ dimanarent *activè* ex gratiâ sanctificante, deberent in hujus activitate *Eminenter* præcontineri. Unde omnis perfectio formarum supernaturalium sub eminentiali quâdam unitate esset superaddita in unâ simplici formæ sanctificantis Entitate. At gratia Habitualis non tam est *Eminenter* continens perfectionem luminis gloriæ ac visionis Beatificæ, quàm anima gratiâ sanctificante instructa, per luminis gloriæ ac visionis Beatificæ formas sit adhuc perfectibilis & actuabilis. Unde gratia Habitualis non tam per modum

actuali-

actualitatis omnes formas supernaturales sub eminentiali unitate in se continentis, quàm per modû qualitatis aliquâ perfectibilitatis per virtutes & actus supernaturales actuabilis potentialitatē importantis se habet ad virtutes supernaturales infusas tanquàm radicale earundē principium. Hujus verò radicalis principij ratio eatenus importat quandam connaturalitatis respectu virtutum supernaturalium exigentiam, ut hæc tamen sit actuabilis ac determinabilis per Divinam effectricem causalitatem, quâ mediante fiat supernaturalium virtutum infusio. Quare virtutes supernaturales infusæ cum gratiâ sanctificante connexionem habent sub quâdam connaturalitatis exigentiâ, non verò ex vi activæ earundem ex gratiâ emanationis.

18. Dices. Si gratia sanctificans respectu virtutum supernaturalium habeat intrinsecam connaturalitatis exigentiam, sequi, quòd Deus istas infundendo respiciat ad talem connaturalitatis exigentiam. Unde istam exigentiam ad Decretum illarum virtutum effectivum se habere tanquam Finem non quidem ipsius Divinæ voluntatis motivum, sed ex parte volitorum eatenus Terminativum, ut ejus intuitu fiat virtutum ejusmodi infusio. Hinc autem fore consequens, quòd destructâ gratiâ, destruendæ etiam forent virtutes Fidei ac Spei Theologicæ. Probatur istud assumptum. Quia pro instanti, in quo fit gratiæ sanctificantis destructio, non potest Decretum hujus connaturalem respectu virtutum infusarum exigentiam tanquàm Finem ex parte volitorum Terminativum respiciens, esse conservativum virtutum supernaturalium non nisi ad illam gratiæ exigentiam infusarum. At Fides & Spes Theologica non nisi unà cum gratiâ infunderentur ad hujus connaturalem exigentiam: Sacro Tridentino Concilio *sess. 6. de Iustif. cap. 7.* definiente hominem in Justificatione hæc omnia simul infusa accipere, Fidem, Spem & Charitatem; Consequens igitur foret, quòd ad destructionem gratiæ, Decretum Fidei ac spei effectivū & conservativum cessaret in harum virtutum conservationem influere. At istud adversatur præallegato sacro Concilio *can. 28.* anathematizanti illum, qui dixerit, *amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti.*

19. Contra. Nam alia Fidei seu spei Theologicæ effectio seu conservatio est connaturalis, alia verò præternaturalis. Sicuti verò proprietates naturales cum essentiâ subjecti sunt *in secundo modo Dicendi per se* connexæ: sic virtutes supernaturales infusæ ex suâ quidditate habent quandam connaturalitatis connexionem cum gratiâ sanctificante tanquàm suo radicali principio. Unde connaturalis earum productio & conservatio non fit nisi in subjecto pro aliquo naturæ priori per gratiam sanctificantē informato. Quare Decretū divinū virtutum supernaturalium secundùm harum connaturalem in gratiâ radicatā exigentiam effectivum & conservativum simul ac inseparabiliter tendit ad gratiæ & virtutum, atque Donorum Spiritûs Sancti infusionem. De quo pro inde Decreto accipi debet Concilium Tridentinum *ubi supra* decernens, tum quòd Justificatio fiat per voluntariam susceptionem Gratiæ & Donorum; tum quòd hæc omnia simul infusa, Fidem, Spem & Charitatem accipiat homo in Justificatione. Nihilominus sicuti proprietas alicujus substantiæ præternaturaliter est ponibilis in substantiâ, nullam respectu illius connaturalem proportionem habente; sic quia Dei omnipotentia ad nullam connaturalitatis exigentiam est adstricta, potest habere Decretum Fidei ac Spei virtutum sine gratiâ effectivum & conservativum. Vi cujus adeò Decreti fit Spei ac Fidei infusio præternaturalis. De cujusmodi adeò infusione accipi debet, tum quòd secundùm Divum Thomam *2. 2. q. 6. a. 2. ad 3.* quandoque antecedenter ad gratiæ infusionem infundatur gratia sanctificans; tum quòd secundùm Concilium Tridentinum *præcitatum*, gratiâ per mortale peccatum extinctâ, conservari possit supernaturalis habitus Fidei Theologicæ.

Responsio ad primæ difficultatis opposita fundamenta.

AD *n. 3.* oppositum Respondetur. Omnes illos effectus eatenus respondere *formaliter* gratiæ sanctificanti, ut dilectioni Dei respondeant *dispositivè*. Etenim illi effectus non possunt *formaliter* procedere nisi ex illâ formâ, quæ sit talis ex Divinæ Naturæ quasi specifico gradu secundùm *quartum perseitatis modum* specificata participatio, ut omnimodam lineæ supernaturalis perfectionem radicaliter præcontineat. Probatur istud assumptum. Nequit enim vi alicujus primæ supernaturalis homo in ordine supernaturali *simpliciter* esse gratus & dilectus, nisi vi talis Divinæ dilectionis habeat sibi participatam omnimodam supernaturalem perfectionem saltem in principio *radicaliter* ejusdem præcontentivo. Unde cum remissio peccati mortalis non fiat nisi mediante dilectione Dei, peccatorem ex efficaciâ odij per peccatum concitati omnimodâ supernaturali perfectione de jure in totâ æternitate privandum restituente saltem in radice ad universam supernaturalis perfectionis eminentiam; consequens est, remissionem peccati mortalis non fieri *formaliter* per cujuslibet supernaturalis formæ infusionem, sed illam duntaxat, quæ *eminenter*, vel *radicaliter* sit continens omnimodam supernaturalem perfectionem. Cùm proinde charitas sit ad determinatā actûs supernaturalis speciem coarctata, nec adeò sit omnimodæ supernaturalis formæ *radicaliter* præcontentiva: nequit ejus actus nisi *dispositivè*, secundùm quandam congruitatis subjectum proportionantis rationem disponendo ad gratiæ sanctificantis infusionem, parere illos effectus. Vel si effectus illi formales attribuendi sint charitati Habituali, procedit talis appropriatio in aliquo improprio seu tropico Sacris Litteris persamiliari sensu, quatenus scilicet secundùm inseparabilem charitatis & gratiæ connexionem hujus formales effectus dici queant de charitate non *abstractè* ac *signatè* secundùm suam præcisam quidditatem spectatâ, sed prout *in actu exercito* ex vi Divinæ gratiam simul & charitatem infundentis causalitatis contingit, charitatem esse inseparabiliter concretam cum gratiâ sanctificante. 20.

Ad Matthæi *n. 5.* oppositum Respondetur. Illum sacrum textum, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur & simus:* accipiendum esse in sensu causali, quasi diceretur, videte, quanta sit charitas Dei Filiationem Divinam in gratiâ scilicet sanctificante radicatam in 21.

nobis causantis. Cujus equidem responsionis fundamentum haberi ex versione Syriacâ sic se habente: *Porro videte, quanta sit charitas Patris, ut Filios Dei vos vocarit.* Etsi verò duarum in uno subjecto formarum connexio *metaphysice*, singulas *signate* spectando, non sufficiat, ut unius effectus formales alteri attribuamus, si tamen eas consideramus *concretè*, prout stant *Exercitè* sub unâ earundē effectrice causalitate, tunc habere quandam quasi idiomatum communicationem, ita ut effectus formales, seu prædicata unius dicantur in cōcreto etiam de alterâ. Cujusmodi adeò loquendi modum Sacræ Scripturæ non sub abstractione metaphysicâ *signatè* consideranti rerum naturas, sed eas, prout Divinæ subitant causalitati, *in actu Exercito concretè* spectanti perfamiliarem esse.

Responsio ad secundæ difficultatis opposita fundamenta.

22. AD *n. 1.* oppositum Respondetur. Proprietates connaturales ita se habere ad creatam, in quâ radicantur, Essentiam, ut principium generans intrinsecam ad tales proprietates determinationem ipsi imprimendo sit causa earundem taliter effectiva, ut ex ipsâ tamen essentiâ Geniti sint emanantes. Hanc verò emanationem in eo se tenere, tum quòd forma Geniti sit ab intrinseco determinata quoad speciem suarum proprietatum, ut adeò principium generans formam geniti specificam influendo, suâ actione generativâ sit hoc ipso proprietatum ejusmodi quoad speciem cōsideratarum per se Effectivum; partim quòd forma geniti quoad suam intrinsecam individuationem determinetur ex causalitate Divinâ, quæ proinde secundùm connaturalem talis individualis determinationis exigentiam sit effectiva formæ simul ac proprietatum eidem connaturalium sub individuali etiam ratione consideratarum. Sic proinde unam individualem voluntatis Divinæ gratiam unà cum virtutibus infundendam præfinientis actionem effectricem eatenus terminari simul ad gratiam & virtutes, ut harum tamen infusio sit divinitùs præfinita intuitu gratiæ, ejusque connaturalis ad tales virtutes exigentiæ.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA IV.

Utrùm gratiæ sanctificanti competat vis physicè effectrix actuum supernaturalium, suique ipsius mediantibus conservativa?

1. CIrca primam hujus controversiæ difficultatem affirmant Suarez *lib. 6. cap. 13. n. 14.* & problematicè An[...]cus *cit. disp. 29. sect.* [...] gratiam Habitualem *effectivè* concurrere cum quâlibet virtute infusâ ad actus supernaturales. Fundamentum est. Quia anima Effectivè concurrit ut principium vitale universale cum omnibus suis potentiis vitalibus cognoscitivis ad [...]rum vitales actus. Anima non debet solum elevari potentia per virtutes infusas ut principia proxima elicitiva actuum supernaturalium, sed ipsa etiam anima est principium remotum universale elicitivum eorundem actuum supernaturalium. Nequit autem alia forma animæ ut remoti actuum supernaturalium elicitivi principij elevativa esse præter gratiam Habitualem *immediatè* receptam in animâ. Oportet igitur, gratiam Habitualem ut principium universale supernaturale *effectivè* concurrere cum animâ ad singulos actus supernaturales infusarum virtutum producendos.

E contrario Cajetanus *1. 2. q. 110. a. 3. in fine.* Ferrariensis *3. contra gent. cap. 151.* & Thomistæ communiter negant gratiæ Habitualis immediatum influxum in actus supernaturales. Fundamentum est ab authoritate Sancti Thomæ *q. 27. de verit. a. 2. ad 7.* asserentis; Gratiam Habitualem esse quidem in primâ specie qualitatis, non tamen esse propriè habitum; cùm non *immediatè* ordinetur ad actum, sed ad quoddam Esse spirituale, quod in animâ facit. 2.

Circa secundam controversiæ partem movetur difficultas. *An gratiæ sanctificanti eatenus sit connaturale ac debitum auxilium ordinis supernaturalis ad Divina præcepta etiam perseveranter in finem usque servanda, ut vel hinc dici possit, habere vim sui conservativam?* In quo pro parte affirmativâ militare videntur duo sequentia fundamenta. Nam 1. cur homo in statu naturæ lapsæ indigeat speciali auxilio ad resistendum gravibus tentationibus, hujus tota ratio est, quòd sit deordinatus ab Ultimo Fine, atque adeò reddatur ipsi indebitum auxilium ad operandum circa talem finem. Unde etiam fit, quòd homo in statu ejusmodi careat formâ & principio intrinseco operandi Bonum. At totum hoc non currit in homine justificato, utpote sanato per gratiam, & converso ad finem debitum. 3.

2. In eo, qui brevissimo tempore post acceptam gratiam moritur, non videtur ad finalem ejus perseverantiam necessaria specialis gratia. Probatur. Quia in tali casu præterquam, quòd mortis acceleratio ut naturalis quædam generatio & corruptio intervenire debeat, solùm requitur auxilium pro brevi illo tempore servandi præcepta, & resistendi tentationibus. At pro tempore tam brevi non statim occurrunt tentationes graves nec difficiliora occurrunt exequenda opera. Quare non opus est auxilio gratiæ speciali, quam illud sit proportionatum, & connaturale statui gratiæ sanctificantis. 4.

Econtra Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 21. a. 1. n. 5.* ex communi Theologorum sententiâ tenet; hominem etiam justum indigere speciali auxilio ad vincendas graves tentationes, & implendam totam legem, licèt hoc speciale auxilium illi frequentius detur, & magis in promptu sit, propter defectum indignitatis, quæ est in peccatore, ut illi tribuatur. Fundamentum ex Divo Thomâ *1. 2. q. 1[..]. a. 9.* petitum est. Quia licèt homo per gratiam sanetur, quantum ad mentem & partem superiorem; attamen manet non sanus, quantum ad rebellionem appetitus inferioris, & obscuritatem, vel debilitatem rationis. Unde ad repugnandum tentationibus insurgentibus non sufficit habitus gratiæ justificantis, nisi detur propositio finis boni, & affectio ad ipsum, ex quo movetur voluntas. Probatur istud subsumptum. Quia habitus est principium per 5.

modum

modum inclinationis affectivæ, non autem per modum rationis formalis volitivæ, hæc enim est bonitas apprehensa voluntati applicata. Quare quantumcunque homo habeat gratiam Habitualem, nisi per gratiam excitantẽ & adjuvantem applicetur ipsi bonitas finis, tanquàm ratio ad operãdũ & appetendũ motiva, nullo modo poterit voluntas elicere actum bonum. At insurgentibus gravibus tentationibus, hoc ipso ligatur & impeditur judicium rationis, ne consideret bonum oppositũ, per quod ipsis tentationibus resistat. Ergo quantumcunque homo habeat habitum sanctificantem, ad resistendum gravibus tentationibus indigebit eodem auxilio, atque ille qui non est justificatus. Atqui tale auxilium est indebitum & speciale. Probatur istud assumptum. Quia datum est ad resistendum formæ in subjecto prædominanti, tentatione scilicet gravi proponenti & applicanti bonum ad trahendam voluntatem, impediente, ne proponatur oppositum. Ergo si hoc eodem modo proponatur in Justificato, consequenter eodem modo erit indebitum auxilium, eritque adeò speciale. Atqui tale auxi-
6. lium esse per Christum, evincitur ex Concilio Arausicano II. *cap. ult.* sic decernente: *Confitemur, baptizatos, quæ ad salutem pertinent, posse & debere implere, Christo tamen auxiliante & cooperante.* Item ex Concilio Trident. *Sess. 6. de Iustif. cap. 16.* definiente; *Quòd Christus Iesus tanquam Caput in membra in ipsos Justificatos virtutem jugiter influat, quæ omnia bona eorum opera antecedit, comitatur, & subsequitur, & sine quâ nullo modo illi grata & meritoria esse possunt.*

7. Author *præcitatus a. 2. n. 3.* asserit, omnem conjunctionẽ gratiæ cum assecutione Finis gloriæ esse Donum specialis providentiæ ac præcipuum effectum prædestinationis, atque adeò postulare speciale auxilium saltem extrinsecæ protectionis. Imò videri satis periculosum, & parum tutum asserere, quòd finalis perseverantia etiam pro brevissimo tempore non sit specialis gratia. Fundamentum 1 ab authoritate petitum est. Quisquis enim brevissimo etiam tempore perseverat usque ad mortem, verè ac propriè habet Donum perseverantiæ; juxta illud Sancti Augustini *de Dono Perseverant. cap. 1.* differentis. *Hanc certe, de quâ nunc agimus, perseverantiam, quâ in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveravit usque in finem, potiusque hanc habuit unius anni fidelis, quàm* uti priùs dixerat, *is, qui ex quo fidelis factus est, vixit decem annos, & eorum tempore medio lapsus a fide quinque annos perseveravit.* Atqui secundùm fidem, qui habet hoc Donum perseverantiæ, habet ex speciali gratiâ, & providentiâ Dei. Hinc enim Concilium Arausicanum secundùm *cap. 10.* decernit. *Adjutorium Dei etiam sanctis implorandum, ut ad bonum finem possint pervenire, vel in bono opere perdurare.* Et Concilium Trident. *sess. 6. de Iustif. can. 22.* anathematizat illum, qui dixerit. *Iustificatum sine speciali auxilio in acceptâ Iustitiâ perseverare posse.*

8. Fundamentum 2. ex ratione desumptum est. Cùm enim assecutio gloriæ sit ultimus & proprius effectus prædestinationis, sequitur evidenter, perseverantiam finalem cum assecutione gloriæ infallibiliter connexam, esse speciale beneficium Divinæ prædestinationis proprium.

CONCLUSIO I.

Gratia sanctificans non habet vim *immediatè efficienter* influendi in actus supernaturales virtutum infusarum.

Probatur. Nam ista ad immediatum unà cum virtutibus infusis in actus supernaturales 9.
effectivum influxum vis gratiæ sanctificantis propria non ita se haberet ad virtutes infusas, ut tam istæ, quàm illa in æquali quasi lineâ essent ad instar duorum principiorum partialium, sed oporteret, inter gratiam sanctificantem, & virtutem infusam ponere aliquam in causando subordinationem, sicuti etiam inter animam, si immediatam in actus vitales exerceat activitatem, nec non potentias vitales, est in causando aliqua subordinatio. At verò ejusmodi subordinatio in eo se teneret, quòd alterum principium se haberet per modum Determinabilis, alterum verò per modum Determinativi. Neque verò gratia sanctificans posset se habere ad virtutes infusas tanquàm Principium istarum quoad Specificationem Determinativum, sed potiùs esset econtra per virtutes supernaturales infusas quoad speciem actuũ Determinabile principium. Quemadmodùm igitur, si animæ in actus vitales sit activitas immediata, hæc per modum principij Effectivi Determinabilis se habens, virtutem quoad determinatas actuum species determinationem recipit ex intrinsecâ potentiarum sibi inexistentium informatione, & actuatione; sic gratia sanctificans, si vim in actus supernaturales *immediate* influxivam haberet per modum principij Effectivi Determinabilis, deberet in ordine ad determinatas actuum supernaturalium species actuari per intrinsecam virtutum infusarum informationem. At ista non recipiuntur in gratiâ sanctificante, nec hujus adeò sunt *intrinsecè* actuantes, sed subjectantur [illegible] in intellectu, & voluntate, harum elevabilitatem obedientialem actuando, & in *esse* principij actuum supernaturalium [illegible] operativi constituendo. Negandum proinde est, quòd gratia sanctificans per modum etiam principij mediantibus virtutibus infusis determinabilis habeat activitatem actuum supernaturalium [illegible] effectivam.

Dices. Ex hoc præcisè, quòd [illegible] vir- 10.
tutes infusæ radicentur in gratiâ [illegible], posse per suam entitatem ex ist[illegible] exigentiâ quodammodò dimanan[illegible], et [illegible] habere tanquam principia activitatis [illegible] ctificanti quà principio quoad spec[illegible] supernaturalium determinabili [illegible] co[illegible] stentis Determinativa, licet virtute[illegible] ejusmo[illegible] non recipiantur *subjectivè* in entitate gratiæ; [illegible] cuti voluntas Divina præfinitiva est voluntatis creatæ liberæ *causaliter* determinativa, quin [illegible] cipiatur *subjective* in voluntate creatâ.

Contra. Nam in quo genere aliquod princi- 11
pium se habet, ut *intrinsece* determinabile, eatenus habet potentialitatẽ intrinsecam sub ratione talis principij *formaliter* actuabilem. At verò entitas gratiæ in dato casu se haberet *intrinsece* per modum principij effectivi quà determinabilis. Unde sub tali formalitate involvere potentialitatem eatenus actuabilem, ut consequenter eju[illegible]

 termi-

terminatio fieri deberet per formalem principij quoad speciem determinati actuationem. Oporteret igitur, virtutes infusas gratiæ sanctificantis ad certam actuum supernaturalium speciem in Esse principij determinativas esse *subjectivè* receptas in gratiâ hanc *formaliter* actuando & informando. Et hinc patet disparitas præallegata ex Divinâ perfectione voluntatis creatæ liberæ ad operandum *Causaliter*, non autem *Formaliter* determinativâ petitæ instantiæ; siquidem ista supponat voluntatem in actu primo sub vi electivâ indifferentiæ, & activitatis Dominativæ omnino completam & actuatam. Ergo ad talem actûs primi actuationem perfectam non requiritur aliquis actus voluntatis informativus, licèt in ordine ad actum secundum eatenus exigatur voluntatis per Divinam præfinitionem excitatio causalis, ut ipsâ suppositâ, voluntas sit sui ipsius per actum immanentem *intrinsecè formaliter* eatenus determinativa, ut hæc ipsa tamen ex volũtate creatâ emanans determinatio habeat secum identificatâ divinitùs formalitatē impressæ, & ex illâ præfinitione causatę motionis. Patet proinde, quòd pro illâ sive actus primi, sive actûs secundi lineâ, in quâ intelligitur principij alicujus ex seipso quoad actûs speciem non determinati, sed determinabilis potentialitas, necessum sit, talem determinationem fieri per actum *intrinsecè formaliter* subjectatum in tali principio Determinabili. Consequens igitur est, virtutes infusas supernaturales debere in gratiâ sanctificante *subjectivè* receptas esse, si hæc in ordine ad actus supernaturales se haberet per modum principij per virtutes illas in actu etiam primo determinabilis.

CONCLUSIO II.

GRatia sanctificans habet vim radicalem in actu primo *physicè* sufficientem ad sui conservationem ac perseverantiam etiam Finalem, licèt in ordine ad istam in actu secundo habendam opus sit speciali gratiâ tum prædestinationis, tum auxilij actualis.

12. Probatur. Tria enim in ordine ad gratiæ conservationem, ejusque perseverantiam obtinendam interveniunt; *primum* est, vis *physicè* sufficiens; *secundum* est gratia sufficiens affectiva & sub motivo Divino vim tentationis occurrentis superante allectiva; *tertium* est actualis contra tentationem victoriæ seu perseverantiæ collatio, seu hujus præfinitio & prædestinatio gratiam cum gloriâ *causaliter efficaciter* conjungens. At *primum* importat tum in intellectu illustrationem, quæ motivum aliquod salutare sub minori etiam ad alliciendum efficaciâ, quam sit ex parte tentationis propositum, repræsentet, tum in voluntate virtutem seu potentiam operis ex præcepto hic & nunc obligante debiti *physicè* effectivam quandoque naturalem, quandoque etiam supernaturalem. At planum est, hanc virtutem *physicè* sufficientem in ordine ad actus tum naturales, quibus omnium præceptorum sub quâvis etiam tentatione fieri potest adimpletio, velle ex vi gratiæ Justificantis, utpote cum quâ *connaturaliter* connexæ sint virtutes infusæ, & Dona Spiritûs Sancti tam Intellectualia, quam Moralia. Secus verò est de *secundo*. Probatur istud assumptum. Nam gratia affectiva ex parte intellectûs importat illustrationem motivi salutaris non utcumque repræsentativam, sed sub vi & efficaciâ allectivâ superante motivum tentationis; insuper ex parte voluntatis importat quandam divinitùs inspiratam piam affectionem. Etsi verò ista vis affectiva, tam ea, quæ ex illustratione intellectûs in voluntate, sufficiente virtute ad Bonum propositum prosequendum instructâ, v Iconnaturalis sympathiæ resultat, quàm illa, quæ piam quandam Divinitùs inspiratam affectionem tentationis allicientiâ superiorem elicit, ex se ipsâ non valeat voluntatem in ordine ad Bonum *infallibiliter* inclinare, sed vi Dominativæ ac liberæ voluntati inexistentis facultatis recusari possit, ut tamen Deus quasi *connaturaliter* subtrahat voluntati adjutorium ipsius velle infallibiliter collativũ, exigitur talis affectiva gratia quæ tentationis motivum suâ allicientiâ superet. 13.

At eo ipso, quòd gratia sanctificans eatenus quidem sit radicale omnis virtutis & actûs supernalis principium, ut tamen carnis fomitem, ejusque contra spiritum rebellionem non reparet, ac in primum Justitiæ Originalis statum in hac vitâ non reducat, idcirco vi gratiæ sanctificantis nõ est debita illa affectiva tentationis Motivo superior gratia non merè *physicè*, ad *simpliciter* agendum, sed *moraliter* ad suaviter operandum sufficiens. Et hinc talis gratia dicitur etiam specialis, utpote gratiæ sanctificantis porportioni non simpliciter coæquata, sed connaturalem ejus exigentiam aliqualiter superans. Quare verum est, in ordine ad suaviter operandum contra graves tententationes & sic ad ipsammet gratiam conservandam, atque perseverandum in gratiâ, specialis gratiæ auxilio non merè *physicè* sufficiente, sed affectivo hominem justificatum indigere non quidem *simpliciter* ad *physicè* posse, sed *secundum Quid* ad posse *moraliter* & suaviter. Quare à fortiori 14.

dicendum erit, in ordine ad tentationes superandas, atque adeò conservandum gratiæ statum, atque in gratiâ perseverandum indigere Justificatum speciali tum actualis auxilij gratiâ ex parte actûs se tenente, atque ut sic sanctificantis gratiæ connaturalem exigentiam superante. Porbatur istud assumptum. Nulla enim vis & potentia creata intelligi potest sub tali virtute activâ, quin *transcendentaliter* ac *essentialiter* sub ipsâ etiam activitatis vi habeat imbibitam potentialitatem, mediante Divinâ causalitate actuabilem. Hæc verò Divina causalitas, quæ Deo immanens est prædestinatio, quæ verò extra Deum Transiens est motio Divina à nostro velle vitalis prædestinationis causato & donato indistincta. At verò ad gratiæ conservationem, ac perseverantiam etiam finalem obtinendam ita quandoque procedit Deus, ut homo Justificanti gratiæ restitutus in amentiam incidat, nec ullo actu ulteriori in vi alicujus præcepti indigeat. In hoc proinde casu ad perseverantiam finalem non quidem opus est gratiæ efficacis ad extra Transeuntis actuali auxilio, attamen ipsa prædestinatio est illius status, quatenus cum gloriæ consecutione immediatam ac infallibilem connexionem habet, infallibiliter causativa: nec talis status positio posset nisi ex Divinâ ad gloriam prædestinatione oriri. Unde talis status non quidem secundùm se præcise, sed secundùm sui cum gloriæ consecutione infallibilem

lem connexionem spectatus est gratia, non quidem *formaliter* in se ipso, ac secundùm suam entitatem, sed *imperativè* secundùm sui cum vitâ æternâ ex prædestinationis efficaciâ, & causalitate in se derivatam connexionem. Ista proinde prædestinationis gratia pro qualibet perseverantiâ finali eo ipso est cuivis homini justificato necessaria, quòd, licet gratia sanctificans habeat quandam respectu gloriæ connaturalem exigentiam; hæc tamen utpote potentialitatem *Transcendentaliter* ac *Essentialiter* involvens nequeat nisi ex Divinæ causalitatis efficaciâ omninò indebitâ ad
15. actualem gloriæ consecutionem pertingere. A potiori igitur, si ad perseverantiam finalem homo justificatus indigeat alicujus præcepti adimpletione, seu actu supernaturali, opus habet non tantùm gratiâ prædestinationis, sed actualis etiam adjutorij ipsum velle bonum actu conferentis. Eo ipso autem, quòd gratia sanctificans quantumvis intensa ac virtutes infusæ nequeant extrahi extra statum suæ potentialitatis in ordine ad velle & operari *Essentialiter* subordinatæ Divinæ causalitatis actuationi & motioni, fit consequens, istam actualis auxilij, ipsam in velle & operari bono *formaliter* sitam perseverantiam finalem conferentis, ex vi solius gratiæ sanctificantis quantumvis intensæ ac perfectæ non posse unquam esse debitam. Patet igitur, qualiter gratia sanctificans ex se ipsâ præcisè sine speciali gratia non sit efficax ad actualem perseverantiam, sed habeat perseverandi, ac se ipsam conservandi vim merè *physicè* sufficientem.

Responsio ad primæ difficultatis opposita fundamenta.

16. AD *n.* 1. oppositum Respondetur. Essentiam animæ non *immediatè*, sed mediantibus potentijs ex suâ substantiâ emanantibus influere in suos actus vitales. Cùm enim substantiæ creatæ non ex seipsis sint subsistentes ac existentes, sed mediantibus formalitatibus extra suam essentiam se tenentibus; consequenter sicut in lineâ Essendi sunt sub purâ potentialitate per formalitates à se distinctas actuabili, sic in lineâ operandi important meram activitatis potentialitatem, mediantibus potentijs ex se emanantibus actuabilem. Quare gratiam sanctificantem in lineâ Essendi supernaturali eatenus elevare animam, ut eo ipso tamen, quòd hujus substantia non habeat vim alicujus formalis activitatis, sed radicalis duntaxat, in animæ substantiâ & entitate quà ad potentias suas connaturales *intrinsecè* determinatâ se tenentis; nequeat animæ tribuere effectum formalem alicujus virtutis, per modum principij vitalis etiam universalis, *activè immediatè* influentis in operationes supernaturales. Unde communicando animæ intrinsecè connaturalis ad infusas superadditas, & in potentiâ Intellectivâ ac volitivâ *immediatè* receptas virtutes exigentiæ determinationem, constituere animam in ratione principij solùm radicalis non *immediatè* sed mediantibus virtutibus infusis influxivam in actus supernaturales; uti rectè probat auctoritas Sancti Thomæ *n.* 2. adducta.

※(o)※

Responsio ad secundæ difficultatis opposita fundamenta.

AD *n.* 3. oppositum Respondetur. In homine peccatore ex diversis capitibus esse indigentiam respectu gratiæ ad bene operandum necessariæ. *Primo* enim carendo omnis supernaturalis actûs principio radicali, ne quidem *physicè* sufficientes habere vires ad supernaturaliter operandum. *Secundò* ex peccato præterito quà Divini omnimodo rectè operandi auxilio actuali præsertim efficaci, justitiâ privantis odij concitativo inesse peccatori obicem ad bene operandum. 17.
Tertiò. Ex quâdam Habituali seu virtuali ad malum inclinatione sub tantâ efficaciâ de facili excitari ac repræsentari in ipso motiva ad malum inclinativa, ut ad istam affectivæ allicientiæ vim superandam opus sit non quâlibet Boni moralis utrumque, sed secundùm specialem allicientiæ vim motivam repræsentativâ illustratione, connaturalem animæ sensibilibus immersæ, seu naturæ lapsæ statum superante. *Quartò.* Eò vel magis esse indebitum supernaturale efficax auxilium, quòd in ordine ad actus supernaturales ne quidē *physicè* sufficientes vires ac virtutes peccator habeat sibi inexistentes. Etsi proinde in homine justificato fiat reparatio tum virtutum supernaturaliū vires ad supernaturaliter operandum *physicè* sufficientes conferentium, tum principij radicalis, gratiæ scilicet sanctificantis ab intrinseco habentis connexionem connaturalem cum auxilio *physicè* saltē sufficiente ad perseverandum: Attamen non fieri vi Justificationis reparationem concupiscentiæ & carnis erga Spiritum rebellionis, ac essentialis tum gratiæ ac virtutibus infusis, tum animæ, ejusque potentijs *transcendentaliter* inexistentis potentialitatis, ut sic in ordine ad bene operandum sub gravi præsertim tentatione indigentis speciali gratiâ per gratiam sanctificantem neutiquam debitâ; uti etiam probant fundamenta *n.* 5. & 6. deducta.

Ad *n.* 4. oppositum Respondetur. Ex præadductis palam esse, qualiter in casu ibi posito ad perseverandum opus sit speciali prædestinationis Divinæ, non autem actuali, Divinitùs impressi auxilij supernaturalis gratiâ, uti rectè probant fundamenta à *n.* 7. deducta. 18.

ARTICULUS II.

DE

Gratiæ sanctificantis causâ tum Effectivâ, tum Dispositivâ.

MOveri hîc posset etiam quæstio de immediato Gratiæ Habitualis subjecto. Verùm ex quo eam à Charitate distinctam ostendimus, evincitur manifeste, eam *immediatè* subjectari in ipsâ animæ substantiâ, uti ex dictis *præced. artic.* constat. Restat igitur decidendum de Causâ Effectivâ & Dispositivâ gratiæ habitualis.

CON-

❊❊❊❊❊❊❊(❊)❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA I.

Utrùm creaturæ poſſit eſſe vis principaliter Effectiva gratiæ Habitualis & virtutum ſupernaturalium?

NUlla ſpecialis eſt difficultas, quin creaturæ alicui ſecundùm potentiam obedientialem competere poſſit vis inſtrumentari ad cauſandam gratiam. Qualiter autem hoc accidat, *to. 1. q. 8. a. 1. cont. 5.* oſtendimus, ac ſpeciatim demonſtrabimus *tomo 4. de Sacramentis.* Neque poſtquàm *cit. to. 1. q. 4. a. 1. cont. 3* probatum eſt, implicare ſubſtantiam creatam ſupernaturalem, controverſia procedit de hoc: *Utrùm creatura aliqua poſſit connaturaliter eſſe principalis cauſa gratiæ habitualis?* Supereſt igitur tantùm decidere; *An per Dei potentiam creaturæ ſecundùm potentiam obedientialem ſit communicabilis vis ſupernaturalis principaliter cauſativa formæ ſanctificantis, ac virtutum ſupernaturalium?*

Referuntur ſententiæ.

PRima affirmativa ſententia videtur evinci poſſe 1. ab authoritate Sancti Thomæ *præs. q. 112. art. 1.* taliter diſſerentis: *Sicut impoſſibile eſt, quòd igniat, niſi ſolus ignis, ſic impoſſibile eſt, quod Deificet per gratiam, niſi ſolus Deus.* At verò licet ex connaturali virtute per modum cauſæ univocæ nequeat ignire, niſi ſolus ignis; haud tamen repugnat, vel implicat, ſubſtantiam formæ ignis neque *formaliter*, neque *eminenter* contentivam ex communicatâ ſibi virtute poſſe producere ignem; veluti patet in ferro candenti. Pari ergo ratione videtur dicendum, poſſe aliquam creaturam divinitus elevari, & inſtrui quâdam ſupernaturali virtute, quâ mediante poſſit eſſe principalis cauſa gratiæ.

4. 2. Ex ſequenti ratione. Si enim implicaret, virtutem ſupernaturaliter communicari creaturæ ad gratiam Habitualem per modum Cauſæ Principalis efficiendam, hujus implicantiæ cauſa foret vel ex eo, quòd gratia producatur per creationem, cujuſmodi vis creativa ne quidem inſtrumentaria, multò minùs principalis, per abſolutam Dei etiam potentiam ſit communicabilis creaturæ: vel ex eo, quòd gratia ſit forma ſupernaturalis. At ex neutro capite oritur implicantia. Probatur iſta minor. Tum quia, licèt gratia dicatur creari *moraliter*, quatenus datur ſine præcedentibus meritis, non tamen producitur per creationē *phyſicè* loquendo, ſiquidem fit in animâ, ut accidens inhærens ſubjecto. Tum quia ſi ex ratione ſupernaturalitatis oriretur illa implicantia, neque creaturæ poſſet communicari vis ſupernaturalis principaliter effectiva actuum ſupernaturalium. At hoc manifeſtè falſum eſt. Ergo & id, ex quo ſequitur.

5. Negativa ſententia ex communi Divi Thomæ *cit. a. 1.* & Theologorum conſenſu per Amicum *præs. diſp. 10. n. 1.* & Ioannem a Sancto Thomâ *præs. diſp. 24. n. 4* tradita ſtabilitur ſequenti [illegible] fundamento. Nam gratia eſt participatio Divinæ naturæ non quomodocunque ſive *mediate*, ac [illegible], ſed *primariò ex ſe* ac *formaliter*; non enim eſt participatio operationis duntaxat, ſeu attributi Divini; ſed ipſius naturæ Divinæ eſt immediata communicatio. At quod per ſe primò excedit facultatem alicujus, & eſt immediata participatio ſuperioris, impoſſibile eſt, quòd procedat ab aliquâ naturâ inferiori, tanquàm à causâ principali etiam per virtutem communicatam, quia talis virtus communicata neque poſſet eſſe inferior reſpectu formæ per illam producendæ, neque ſuperior, neque æqualis. Probatur iſtud aſſumptum. Si enim eſſet inferior, foret hoc ipſo improportionata ad formā ordinis ſuperioris *principaliter* producendam. Si verò illa virtus gratiæ *principaliter* cauſativa diceretur ſuperior, deberet eſſe immediatior Naturæ Divinæ participatio. At cùm gratia ſit prima & immediata participatio Naturæ Divinæ, manifeſtè implicat, dari immediatiorem hujus participationem. Si denique illa gratiæ *principaliter* effectrix virtus dicatur æqualis gratiæ, ſequeretur, ipſimet etiam innatam eſſe vim alterius gratiæ effectricem, atque adeò poſſet una anima *phyſice efficienter* alteram ſanctificare. 6.

Confirmatur. Quia Deus dicitur nos generare per gratiam, adoptando in filios. At *voluntariè nos genuit verbo veritatis. Iacobi. 1.* Unde gratia *eſſentialiter* eſt effectus gratuitus divinæ voluntatis, quâ nos liberè diligit, & gratos ſibi reddit, atque amicos per conſortium & participationem ſuæ naturæ. At contra rationem liberi & gratuiti Doni eſt, quòd *principaliter* producatur quaſi connaturali modo per communicationē & diffuſionem ſui. Ergo gratia *eſſentialiter* pendet à voluntate Dei liberè illam cauſante. Unde ſi ab aliquâ alia formâ cauſetur, erit ex motione Divinæ voluntatis, atque adeò *principaliter* à Deo & ſolùm *inſtrumentaliter* à formâ creatâ. 7.

CONCLUSIO.

EO ipſo, quòd gratia *Eſſentialiter* ſit prima participatio Divinæ naturæ, ex hujus quaſi ſpecifico gradu *per ſe primò*, & *immediate* ideata, implicat, dari virtutem creatam ejuſdem *principaliter* cauſativam.

Probatur. Nam gratia ſanctificans ex hoc dicitur Prima Divinæ Naturæ participatio, quòd, ſicuti actualitas Puri ſubſiſtentis Eſſe per formaliſſimam realem identitatem ſui intelligibiliter expreſſiva eſt ipſa Natura Divina, ac prima Dei operatio per ſeipſam *immediate* Verbi Divini, ac mediante amore ex ſe *virtualiter* pullulante Spiritûs Sancti productiva, omniſque etiam formæ creatæ per illam ipſam puri ſubſiſtentis Eſſe in ſe intelligibiliter expreſſi actualitatem *in Quarto perſeitatis genere* ſpecificatæ exemplativa, atque adeò *Eminenter* contentiva; ſic forma ſanctificans per ſui ex Naturâ Divinâ Ideationem non quidem ſub puræ actualitatis, ſed potentialitatis *in quarto* adeò, [illegible] *primo perſeitatis genere formaliter* ex Divini ſubſiſtentis Eſſe in ſe intelligibiliter expreſſi actualitate ſpecificatæ ratione ſit *rad*[illegible] contentiva omnis creatæ formæ ad Divinam gradus quaſi ſpecifici participationem ſpectantis. Unde etiam fit, quòd licet gratia ſanctificans ſit minùs perfecta 8.

fectâ visione Beatificâ quasi *concretè* spectatâ, prout non præcisum vitalem Divini in se intelligibiliter expressi subsistentis [illegible] attractum, sed hoc ipsum Increatum Intelligibile Verbum per modum termini cum intellectu creato *intentionaliter* uniti importat, sit tamen eâdem visione Beatifica quasi *abstractè* sub præciso vitalis attactûs conceptu consideratâ perfectior, ejusque ut sic *radicaliter* contentiva. Sicut unioni quoque Hypostaticæ præcisè pro actione unitivâ acceptæ est supereminens, ejusque *radicaliter* per modum dispositionis contentiva. Unde virtus gratiæ sanctificantis *principaliter* effectiva debet primam ex Divinæ naturæ quasi specifico gradu idearum, & in quarto perseitatis gradu specificatam ut sic omnimodæ formæ creatæ ad Divinæ quasi specificæ participationis lineam spectantis *radicaliter* contentivam formam [illegible] Essendi modo *virtualiter* in se continere per modum adeò fontalis & primi principii.
9. Probatur istud assumptum. Prima enim natura Divinæ participatio, omnis id [illegible] ex Divinæ Essentiæ & naturæ gradu quasi specifico *in Quarto perseitatis genere* specificatæ *radicaliter* contentiva nequit *virtualiter* esse contenta in procipio formæ alicujus Essendi modo, nisi iste sit simpliciter primus, sitque adeò Divinus, non *in Quarto* dumtaxat, sed *primo perseitatis ac specificationis genere*. At principium ex suo Essendi modo *in Primo et [illegible] perseitatis genere* Divinum est ipsa Essentia & Natura Divina, se habens per modum Primi [illegible] [illegible] respectu omnimodæ quasi specificæ communicationis, tam ipsius per ad intra *in Primo [illegible] perseitatis genere* est Divina, quam illius, quæ ad extra secundùm *Quartum dumtaxat perseitatis* modum est divina. Consequens igitur est, quod, cùm gratia sanctificans sit Prima Divini specifici gradûs *in quarto perseitatis ac specificationis genere* participatio, virtus ejusdem *principaliter* causativa nequeat esse alia, quàm ipsius Dei, ut sic *in primo perseitatis genere* per Dei subsistens in se per modum purissimæ actualitatis intelligibiliter expressum Esse *formaliter identicè* specificata.

Responsio ad opposita fundamenta.

10. AD *n.* [illegible] oppositum Respondetur. Ignis quâ ignire valentis, & Dei quâ per gratiam Deificare potentis operationem accipi debere *non* [illegible], sed *proportionaliter*. Sicut enim ignire non potest causa, nisi formæ ignis *formaliter*, vel *eminenter* contentiva; sic quia Deificatio per gratiam est quædam ex Divinæ naturæ quasi specifico secundùm omnimodæ Divinæ ad extra participationis radicalem continentiam *in Quarto perseitatis genere formaliter* specificata Ideatio, nequit reduci in aliam causam, nisi illam, quæ per Divini specifici Esse gradum *[illegible] primo*, atque adeò *in primo perseitatis modo formaliter identicè* est specificata, atque ut [illegible] secundùm *Quartum perseitatis genus* ex Divino specifico in se intelligibiliter expresso subsistente Esse specificatæ primæ radicalis participationis *eminenter* contentiva. Etsi verò possibile sit, formam ignis *Eminenter* contineri ab aliquâ superiori substantiâ, est tamen *simpliciter* impossibile, Divini specifici Esse *in primo Dicendi modo* per se communicati formam creatam. Unde cùm virtus gratiæ sanctificantis principaliter effectiva nequeat esse alia forma, quàm illa, quæ per Divinum specificum Esse *in primo perseitatis modo formaliter identicè* est specificata, evidenter infertur, talem virtutem soli Deo posse convenire.

Ad *n.* 4. oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quod gratia sanctificans *physicè* loquendo non producatur per creationem, sed per actionem eductivam; siquidem producatur in animâ tanquam subjecto inhæsionis, atque adeò non ex Dei præcisè immanente, sed etiam transeunte per animæ [illegible] potentialitatem modificatâ actione procedat: [illegible] actio non per ipsum [illegible] purum subsistens Esse specificata, sed per [illegible] subjecti eam *in Quarto perseitatis genere* specificantis potentialitatem modificata, nequeat esse creativa, sed eductiva. 11.

Nihilominùs istam actionem eductivam *essentialiter* terminari ad formam per modum primæ ex Divinâ naturâ *in Quarto perseitatis modo* specificatæ participationis se habentem, ut sic unicè reducibilem in tale, Principium Effectivum, quod per Divinum specificum Esse *in primo Dicendi modo* per se sit specificatum cujusmodi est solus Deus. Quamvis proinde dari possit in nobis virtus supernaturalium actuum ad Divinæ quasi specificæ participationis lineam non *primò immediatè*, secundùm universalem omnimodæ talis formæ radicalem continentiam, sed *[illegible]* & quasi *secundario* spectantium *principaliter* causativa: ex hoc tamen minimè [illegible] inferre, possibilem etiam esse virtutem gratiæ sanctificantis *principaliter* effectivam; velut constat tum ex dictis in conclusione, tum ex fundamentis à *n.* 5. deductis. 12.

CONTROVERSIA II.

Quænam in ordine ad Justificationem sint prærequisitæ dispositiones; & utrum ultima seu proxima; dispositio Effectivè procedat ab aliquo præsertim charitatis Theologicæ habitu supernaturali, qui una cum gratiâ sanctificante infundatur?

SUpponendum 1. Duplex esse genus dispositionis ad gratiam sanctificantem, Remotæ scilicet ac Proximæ. Hæc est, quæ vel connaturalem habet congruitatis cum gratiâ sanctificante proportionem, vel quandam ex vi sacramenti elevationem, cui ex [illegible] Divinâ, & pacto in Christi meritis fundato sit infallibiliter connexa justificationis infusio. Illa verò habet quandam connaturalitatis non *per se immediatè*, sed mediante alio supernaturali actu proportionabilis connexionem cum gratiæ sanctificantis infusione. 1.

Supponendum 2. Nullum actum moralem ordinis naturalis quantumvis bonum posse habere rationem Dispositionis etiam remotæ positivæ habilitatis, ad gratiæ sanctificantis receptionem, uti *to.* 1. *q.* 9. *a.* 2 *cont.* 2. fusè deductum est. Ex actibus autem supernaturalibus Fidem, imprimis secundùm Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 8 humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem Justificationis habere respectu formæ sanctificantis rationem dispositionis remotæ, non autem proximæ, uti constat ex præcitatâ loci Concilij 2.

cilij *seff. 6. cap. 6. 7. & 8.* Quare proximæ ad justificationem dispositionis ratio convenit cum extra sacramentum actui charitatis Theologicæ, seu virtuali Pœnitentiæ, necnon Contritioni perfectæ, tum in Sacramento etiam attritioni, uti suis locis, præsertim ubi agemus de Pœnitentiæ efficaciâ, ex instituto dicetur. Interea hic superest decidendum: *Utrum actus supernaturalis se habens ad justificationem per modum proximæ, seu ultimæ dispositionis, Effectivè procedat ab habitu virtutis unà cum gratiâ tunc infuso?*

Referuntur Sententiæ.

3. NEgant Divus Bonaventura *in 4. dist. 17. 1. p. a. 2. q. 1. præcipuè ad 1.* Richardus *eâd. dist. a. 6. q. 1.* Scotus *in 4. dist. 14. q. 2.* Mastrius *in 2. dist. 7. q. 7. a. 1.* Vega *lib. 6. in Trident. cap. 33.* Suarez *lib. 8. de grat. cap. 12.* Molina *in Concord. q. 14. a. 13. disp. 8. & disp. 44.* Ysambertus Sorbonicus *ad præs. q. 113. disp. 5. a. 7.* Curiel *ead. q. 113. a. 8. dub. un. §. 3.* Amicus *præs. disp. 29. a n. 246.* Fundamentum 1. Philosophicum est. Quia ut dispositio esset effectus formæ in genere causæ Efficientis, deberet supponere formam ut existentem: non extra subjectum, sed in subjecto. Unde dispositio esset posterior existentiâ formæ in subjecto. At forma intelligitur existens in subjecto antecedenter ad dispositionem. Ergo nequit Dispositio *Efficienter* procedens esse ex formâ.

4. Fundamentum 2. Theologicum est. Quia contritio secundùm Concil. Trident. *seff. 6. cap. 7. & seff. 14. cap. 4.* non solùm est [illegible] dispositio ad justitiam, sed etiam moralis causa movens Deum ad infundendam justitiam, iuxta mensuram dispositionis, *ex præcit. Concil.* At verò implicat, contritionem esse causam moralem imperratoriam [illegible], & simul *activè* ab eâ saltem [illegible] procedere. Minor ista probatur. Ut enim sit impetratoria debet secundùm absolutam suam existentiam in absolutâ scientiâ Dei præcedere justitiam; & simul justitia ut causa Efficiens contritionis debet secundùm absolutam existentiam in eâdem absolutâ Dei scientiâ præcedere contritionem. At implicat, ut in eâdem scientiâ Dei absolutâ contritio secundùm absolutam existentiam præcedat contritionem cùm implicet, idem secundùm idem esse prius & posterius.

5. E contrario affirmant Major *in 3. dist. 18. q. 2. §. Tunc dico.* Cajetanus *1. 2. q. 113. a. 8. §. ad hæc* Medina *ibid.* Alvarez *de auxil. disp. 66. con. 2.* Vasquez *1. 2 disp. 211. cap. 2. & 4.* Valentia *to. 2 disp. 8. q. 3. p. inc. 4. §. Neque ullum inconveniens.* Serra *præs. quæst. 113. a. 8. dub. un.* Fundamentum 1. philosophicum est. Quia non repugnat, causas esse sibi invicem causas, & se habere ut prius & posterius secundùm diversas dependentias, & instantia naturæ. Ergo licèt dispositio antecedat formam in genere causæ materialis, in genere tamen causæ Efficientis subsequitur ipsam formam, estque causata & dependens ab illâ.

6. Fundamentum 2. Theologicum est. Quia contritio est Dispositio ultima, ad [illegible] gloriæ, licèt non sit [illegible], ex Divo Thomâ 1. 2 *q. 112. a. 2. ad* [illegible] At [illegible] contritionis non potest esse [illegible] procedat à gratiâ, [illegible], [illegible] actum, sed [illegible]

Ioannes à Sancto Thomâ *disp. 21. a. 2. n. 12.* distinguit, asserendo; Gratiam Habitualem in instanti, in quo infunditur, de mente S. Thomæ neque ad remissionem culpæ, neque ad contritionem concurrere *Effectivè*, sed ad utrumque *formaliter*, licèt habeat quendam modum causæ Efficientis respectu formationis, quâ actus contritionis in illo instanti formatur. Unde contritionem ut dispositionem ultimam non esse *Effectivè* à gratiâ Habituali, sed ab auxilio, *formativè* autem esse à gratiâ Habituali. Fundamentum est. Nam Divus Thomas *q. 28. de verit. a. 8.* probat, gratiam non posse per contritionem *effectivè* destruere peccatum, quòd alias deberet supponi existentia in gratiâ, atque adeò gratia priùs esset in animâ, quam culpa esset remissa: quod tamen sit impossibile. At non magis ad destruendum peccatum, quàm ad contritionem *effectivè* producendam præsupponi deberet existentia gratiæ in animâ. Eâdem igitur probatione, quâ Divus Thomas probat, remissionem culpæ non posse *Effectivè* esse à gratiâ, probatur etiam, quòd contritio ut dispositio ultima ad remissionem culpæ non sit *effectivè* à gratiâ, sed ab auxilio Dei moventis, ut idem Sanctus Doctor de quâcumque hominis ad gratiam præparatione habet 1. 2. *q. 112. a. 2. in Corp.* Quare contritio ut ultima dispositio est à gratiâ solùm *formaliter*, quatenus scilicet gratia eatenus elevat animam ad Esse supernaturale, ut in hoc Esse communicet omnes virtutes & actus supernaturales, sicut accidentia in Esse substantiæ.

Conclusio.

Ultima & proxima Justificationis dispositio est *effectivè* à gratiâ Habituali, non quidem *immediatè*, sed mediante virtute connaturaliter connexa cum gratia.

Probatur. Nam circa gratiæ habitualis infusionem duo veniunt consideranda; alterum est Dei immanens, gratiæ effectrix actio, cui ut sic respondet exercita gratiæ existentia, tanquam effectus per se formalis *in quarto perseitatis genere*; alterum est Dei Transiens gratiæ ex animæ potentiâ obedientiali tanquam subjecto eductiva actio. Juxta quam proinde duplicem Dei actionem diversa naturæ instantia [illegible] ipsammet gratiæ exercitam existentiam, & [illegible] ex ipsâ actuationem, ac [illegible] eandemque ex subjecto eductionem [illegible]. [illegible] gratia [illegible] statim terminando Divinam [illegible] actionem unitivam [illegible] separabilem [illegible] intelligitur [illegible] principii [illegible] quandam [illegible] emanare posse virtutes [illegible] statim [illegible] [illegible]. [illegible] agere [illegible], [illegible] à [illegible] [illegible] intelligibili, gratia [illegible] vi activa supernaturali contritionis [illegible] cum [illegible] supernaturali. Unde formalitas eductionis [illegible] non *per se formaliter* [illegible], sed [illegible] *tanter* [illegible] principij [illegible] Ergo secundum

cundùm aliquod ſignum rationis poteſt intelligi contritio efficienter producta per gratiam ſeu charitatem ipſi connexam, independenter ſeu antecedenter ad ejuſdem gratiæ ex animâ tanquàm ſubjecto & causâ materiali eductionem. Hæc igitur formalitas eductionis diverſum à priori conſtituit naturæ ſignum ſeu inſtans. In hoc autem res taliter eſt ſtatuenda, ut actio gratiæ ex animâ ſeu ſubjecto eductiva *formaliter* importet quandam ejuſdem formæ ſanctificantis ex causâ materiali dependentiam. Unde diſtinguere oportet, tum gratiæ ex Deo tanquàm principio Efficiente dependentiam, habentem ut ſic rationem cauſalitatis Effectricis; tum animæ ex gratiâ tanquàm principio formali dependentiam, habentem ut ſic rationem unitionis, animam mediante gratiâ actuantis; tum Contritionis ex gratiâ tanquàm principio radicali Effectivo dependentiam, tum denique gratiæ ex animâ tanquàm causâ materiali dependentiam ceu cauſalitatem materialem. At priores duæ dependentiæ per ſe concurrũt ad contritionis ex gratiâ tanquam principio Effectivo emanationem, quarta verò neque *formaliter*, neque *antecedenter* per ſe ſpectat ad efficientiam contritionis cauſa ricem. Unde linea ipſius ad cauſam materialem ſpectans, *diſparate* & ſolum *concomitanter* ſe habet ad cauſalitatem quà effe-

9. ctricem. Quare circa illam lineam alia via eſt ineunda: ita ut contritio ſecundùm inſtans cauſalitatis Efficientis jam priùs emanans ex gratiâ ſeu virtute charitatis infuſæ, pro poſteriori ejuſdem gratiæ ex animâ tanquàm causâ materiali, eductionis ſigno intelligatur per modum diſpoſitionis quandam congruitatis proportionem intrinſecam habentis quodammodo proportionare & habilitare animam ad formæ ſanctificantis ex ipsâ tanquàm ſubjecto & causâ materiali eductionem. Patet igitur, qualiter intelligi poſſet, tum quòd contritio ſecundùm ſignum & lineam cauſalitatis Efficientis ſit poſterior gratiâ ſanctificante; tum quòd eadem contritio ſecundùm ſigni & lineæ cauſalitatis materialis, ſive gratiæ ex animâ tanquàm ſubjecto eductionis ſit prior formâ ſanctificante non ſecundùm ſuam præciſe exiſtentiam, animæque ex ipsâ formalem actuationem, ſed ſecundùm ejuſdem in ſubjecto inhæſionem, & inexiſtentiam materialem, ſive ex ſubjecto & causâ materiali dependentiam conſideratâ. Sub tali proinde diſtinctione omnino tenendum eſt, de facto ita fieri, ut contritio ſe habens ut ultima diſpoſitio ad gratiam, ſit ex iſta tanquàm principio radicali *Effectivè*, *mediate* tamen emanans.

10. Probatur iſtud ſubſumptum authoritate Divi Thomæ *præſ. q. 13. a. 8.* docentis; gratiæ infuſionem in juſtificatione impij eſſe priorem motu liberi arbitrij in Deum: hunc verò motum eſſe priorem motu liberi arbitrij, in peccatum; ad quæ tandem ultimo loco conſequi remiſſionem culpæ. Hujus verò ſecundùm *citatum* ſanctum Doctorem non eſt alia ratio, niſi quòd in quolibet motu naturaliter primum ſit motio ipſius moventis, ſecundum autem ſit diſpoſitio materiæ, ſive motus ipſius mobilis, ultimum verò Finis ſeu terminus motûs, ad quem ſcilicet terminatur motio moventis. Eſt autem Dei in juſtificatione moventis motio ipſa infuſio gratiæ, motus verò vel diſpoſitio Mobilis eſt duplex motus liberi arbitrij, terminus verò, vel Finis eſt remiſſio culpæ, ex *præcitato* S. Doctore. Conſtat igitur, motum liberi arbitrij in Deum, & peccatum, atque adeò contritionem ſe habentem in Juſtificatione per modum diſpoſitionis eſſe naturâ & cauſalitate poſteriorem gratiâ, eodem Angelico Doctore *in arg. ſed contra.* clarè atteſtante, quòd gratiæ infuſio ſit cauſa omnium aliorum, quæ requiruntur ad juſtificationem, ſitque adeò gratia naturaliter prior contritione ad juſtificationem diſponente, adeò ut tota juſtificatio impij *originaliter* conſiſtat in gratiæ infuſione, utpote per quam & liberum arbitrium moveatur, & culpa remittatur. *ex cit q. 113. a. 7.* Sicuti proinde in naturalibus ultima diſpoſitio ad formam eſt ab ipsâ forma non quidem, prout habet Eſſe perfectum in ſubjecto, ſive ex ſubjecto ceu causâ materiali eductum, ſed prout in fieri eſt ſub actione ad ſubjectum unitivâ: ſic ultima diſpoſitio ad gratiam mediante habitu infuſo cum ipsâ connexo eſt ab ipsa gratiâ, prout in fieri ſubeſt actioni Divinæ eam infundenti, non verò prout ſubeſt paſſivæ ex animâ ceu causâ materiali eductioni; veluti Divus Thomas *cit. a. 8. ad 2.* clarè teſtatur: *Diſpoſitionem ſubjecti præcedere quidem ſuſceptionem formæ ordine naturæ, ſequi tamen actionem agentis, per quam etiam ipſum ſubjectum diſponitur: & ideo motum liberi arbitrij naturæ ordine procedere quidem conſecutionem gratiæ, ſequi autem gratiæ infuſionem.*

Confirmatur. Nam pro illo inſtanti, in quo eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, fit eo ipſo hujus ac virtutum ſupernaturalium infuſio. Si proinde contritio, ceu ultima ad gratiam diſpoſitio *Effectivè* procederet à gratiâ actuali, non verò ab infuſo charitatis Habitu gratiæ ſanctificanti connexo, pro uno, eodemque inſtanti duplex animæ inexiſteret principium Contritionis de ſe ſufficienter Effectivum; quorum alterum eſſet gratiæ actualis tranſeuntis auxilium, alterum verò eſſet ipſemet Charitatis Theologicæ habitus infuſus. At videtur inconveniens ac ſuperfluum, pro uno, eodemque inſtanti, in quo elicitur actus contritionis perfectæ, ponere in animâ duplex ejuſdem in ſe ſufficiens Effectivum principium. Videtur ergo potiùs aſſerendum, contritionem tunc *Effectivè* elici ex habitu Charitatis infuſo; non autem ab aliquo actualis gratiæ tranſeunte auxilio. 11.

Reſponſio ad oppoſita Fundamenta.

AD *n. 3.* oppoſitum Reſpondetur. Dum quæſtio eſt de prioritate naturæ, attendi debere præciſe ad id, quod *in Quarto perſeitatis genere* per ſe *formaliter* ſe tenet ex parte virtutis cauſativæ, ejuſque cauſalitatis. At formam in ratione virtutis effectivæ intra ſubjectum ex ſe actuatum eo ipſo intelligi completam & perfectam, quòd ejus ſive formalis, ſive radicalis virtus operativa ſubſit exiſtentiæ ſtatui, atque ſub actione unitivâ *in fieri* ſit actuans ſubjectum, intra quod *immanenter* ſeu *vitaliter* operari debeat. Unde exiſtentiam in ſubjecto *materialiter* & *concretè* ſpectatam pro paſſivâ tum actionis, tum formæ ex ſubjecto dependentiâ ſolùm *materialiter* & *concomitanter*, non autem *in Quarto perſeitatis genere per ſe formaliter* ſe habere ad virtutem formæ efficientem cauſatricem actuum ſuorum naturalium. Falſum proinde eſſe, quòd formæ in ſubjecto exi- 12.

ſtentia *concretè* & *materialiter* ſumpta, prout paſſivam etiam ex ſubjecto tanquàm causâ materiali formæ eductionem importat, prioritate naturæ ſit prior actibus ex formæ effectivâ virtute immanenter cauſatis; ſed talem paſſivam ex ſubjecto formæ dependentiam, tantùm *per accidens* & *materialiter* ſeu *concomitanter* non *in quarto perſeitatis genere* per ſe *formaliter*, habendo ad lineam cauſalitatis Efficientis, non poſſet intrare naturæ ſub iſtâ lineâ tum prioritatem, licet ſub aliâ cauſalitatis ſcilicet materialis lineâ poſſit per ſe ſpectare ad naturæ vel poſterioritatē, vel prioritatē. Pari proinde ratione, gratiæ in animâ tanquàm ſubjecto inhæſionis inexiſtentiam non *per ſe formaliter in quarto perſeitatis genere* pertinere ad effectivam contritionis ex ipsâ emanationem ſaltem mediatam, nec adeò reſpectu contritionis ex gratiâ emanantis habere naturæ prioritatem. Unde nullatenus implicare, contritionem ſub lineâ cauſalitatis Efficientis ordine, naturæ eſſe quidem poſteriorem gratiâ, ejuſque infuſione; attamen ſub lineâ cauſalitatis materialis eſſe priorem gratiâ, non ſecundùm ſuam præciſam Entitatem ac exiſtentiam cauſalitatis ſui Effectricis ut ſic terminativam, ſed ſecundùm paſſivam ex animâ tanquam causâ materiali eductionem ſpectatâ.

13. Ad *n. 4.* oppoſitum Reſpondetur. Nullatenus repugnare, quòd ſcientia Divina in contritione ſub variis cauſalitatis generibus comparata ad gratiam diverſa deſignet prioritatis & poſterioritatis inſtantia. Etenim in comparatione ad paſſivam gratiæ ex animâ tanquàm ſubjecto materiali eductionem videt Deus contritionē ordine naturę priorem gratiâ, in comparatione verò ejuſdem contritionis ad gratiam quà radicale *phyſici* effectivum principium, videt gratiam naturâ priorem: denique in hujus comparatione ad contritionem tanquàm meritum congruum, videt ſub intrinſeca connaturalitatis non quidem perfectâ ac condignâ, ſed imperfectâ proportione fundari ſpeciale motivum, ſub quo in ſuo Decreto executionis moveatur ad gratiam ex congruo decernendam, ut adeò tunc contritio ſub ratione cujuſdam moralis cauſalitatis reſpectu gratiæ ſit naturâ prior.

14. Ad *n. 5.* propoſitum fundamentum Reſpondetur. Id noſtro inſtituto omninò congruere. Nullatenus enim repugnat, Duo ſe invicem eſſe priora & poſteriora ſub diverſis lineis non per ſe ſubordinatis, ſed *diſparatè* ſolùm, & *concomitanter* ſe habentibus. Atque hinc poſſe etiam intelligi fundamentum *n. 6.* propoſitum, Qualiter nimirum verificetur, contritionem, mediante quâ fit Juſtificatio, poſſe gloriæ, non autem gratiæ de condigno meritoriam eſſe. Etenim contritio nequit condignè meritoria eſſe, niſi quia formata per gratiam ſanctificantem. At eo ipſo, quod contritio ſit *phyſicè* emanans ex gratiâ, non poteſt pro ſigno hujus infuſionem antecedente intelligi formata per gratiam, ſicuti econtra pro ſigno etiam realiter priori antecedenter ad gloriam intelligitur contritio diſpoſitiva ad gratiam, exiſtâ, tanquàm ſuo tam Effectivo, quàm *formaliter* Dignificativo principio eſſe formata.

15. Ad Ioannem à Sancto Thomâ *n. 7.* oppoſitum fundamentum Reſpondetur. Si textus Sancti Thomæ ibi allegatus comparetur cum eiſdem Sancti Doctoris [illegible] *a. 7.* ſuperius adducto textu, videtur quandam ſibi eſſe contradictionem, eò quòd in priori neget, gratiam priùs exiſtere in animâ, quàm culpa ſit remiſſa; in poſteriori autem affirmet, *Primum* in Juſtificatione impij eſſe infuſionem gratiæ, *ſecundum* verò ac *tertium* eſſe motus liberi arbitrij in Deum & peccatum ex gratiâ cauſatos, & *quartum* denique remiſſionem culpæ. Quare ad iſtos textus conciliandos oportere diſtinguere remiſſionem culpæ, prout hæc in Divino ex ſe concitato odio *moraliter* primò perſeverat, & prout in maculâ animâ *intrinſecè* afficiente tanquàm effectu, *habitualiter* ſecundariò perdurat. Eo ipſo autem, quòd Deus in vicem illius odij peccatorem ſub ordine ſupernaturali redamando, vi hujus dilectionis ſit *efficienter* infundens gratiam, iam intelligitur culpa ſecundùm priorem illam formalitatem remiſſa, nec adeo iſta remiſſio ſit *effective* per contritionem quà ex gratiâ elicitam, ſed potiùs tam contritio, quàm gratiæ infuſio eſt effectus illius primæ remiſſionis. Quare de remiſſione culpæ, prout maculam animæ intrinſecam *Formaliter* eſt extinguens, ſolùm procedit, quòd eatenus fiat per contritionem ex gratiâ elicitam, ut iſta poſſit habere tum rationem meriti, & ſatisfactionis congruæ, tum diſpoſitionis ultimæ ad peccatorum conſummatam remiſſionem; uti clarè docet Sanctus Thomas *cit. q. 113 a. 2.* 16. Nec obſtat, quòd Sanctus Doctor in priori textu videatur locutus de remiſſione culpæ quoad intrinſecam animæ maculam ſpectatæ, utpote quam dicat *formaliter* extingui per gratiam, quà animæ informativam. Hoc enim eatenus ſubſiſtit, ut, ſi culpæ remiſſio *effectivè* fieret per gratiam, oporteret, gratiam priùs infundi, quam culpa ſecundùm remiſſionem etiam effectivam eſſet primò remiſſa. Hoc autem Sanctus Doctor *ibi* reputat eatenus abſurdum, ut ad hoc evitandum aſſerat, formam ſanctificantem ſolùm *formaliter*, contritionem verò *diſpoſitivè* in genere cauſæ materialis conferre ad remiſſionem culpæ, quâ animam *intrinſecè* maculantis expiativam. At licet contritio pro inſtanti primam cauſalem peccati remiſſionem ſubſequente ſit *effective* procedens ex gratiâ per illam primam cauſalem remiſſionem cauſatâ; adhuc tamen verificatur, tum quòd gratia ſolùm *formaliter*, contritio autem *diſpoſitive*, neutra verò *effective* concurrat ad peccati originariam ipſius etiam maculæ quæ *extrinſecè* extinctivam remiſſionem; tum quòd gratia non prius ſit infuſa, quàm culpa quoad primam effectivam remiſſionem ſit remiſſa. Conſtat proinde, qualiter textus Sancti Thomæ vel maximè cohæreat, ſi contritio dicatur *Efficienter* quidem cauſata per gratiam; ut tamen iſta aſſeratur prior remiſſione culpę conſummatâ, ut ſic maculæ *formaliter* extinctivâ, non autem remiſſione originariâ Dilectionem Divinæ gratiæ cauſatricem importante.



ARTI-

ARTICULUS III.

DE

Gratiæ sanctificantis Effectu formali secundario, qui est remissio peccatorum.

1. DUplex ex peccato mortali relinquitur effectus; alter consistit in privatione rectitudinis supernaturalis, quæ est per gratiam: in cujusmodi adeò privatione consistit peccati Habitualis macula. Alter est moralis quædam perseverantia offensæ divinæ, seu Divini in Ultimo Fine & Primâ Majestate radicati Juris læsi. Qui equidem effectus non eodem modo tolluntur per gratiam sanctificantem, eò quòd ista se solâ absque Dei favore & acceptatione sit *formaliter* expulsiva illius maculæ, utpote *privativè* secum oppositæ: cùm tamen ratio injuriæ & offensæ Divinæ tollatur quidem per informationem gratiæ, non tamen sub præciso sanctificationis conceptu, sed ut est effectus gratuitæ voluntatis Dei condonantis injuriam. Pro cujus adeò dilucidatione sequentes instituemus controversias, in 1. quæsituri, *Utrùm remissio peccati sit mutatio distincta ab infusione gratiæ, & justificatione?* In 2. *An per solam extrinsecam Dei condonationem possit fieri remissio peccati?* In 3. *Utrùm alia forma, quam gratia sanctificans possit formaliter esse expulsiva peccati?* In 4. *An gratia sanctificans sit taliter expulsiva peccati mortalis, ut ne quidem per absolutam Dei potentiam posset componi cum illo lethali?* In 5. denique. *An, & qualiter per gratiam Habitualem possit fieri culpæ venialis remissio?*

CONTROVERSIA I.

Utrùm remissio peccati sit mutatio distincta ab infusione gratiæ, & Justificatione?

AFfirmant Scotus *in 4. dist. 16. q. 2.* §. 4. Hicquæus *ibidem in Comment.* Ysambertus *ad præs q. 113. disp. 6. a. 6.* Fundamenta
2. Scoti, Doctoris ab Hicquæo *citato* deducta præcipua sunt 1. Quia infusio gratiæ & remissio culpæ separari possunt, ut patet in Angelis, quibus infusa est gratia sine remissione culpæ: sicut & in Christo, & Beatissimâ Virgine.
3. 2. Quia diversa determinatio ejusdem causæ requirit etiam diversam rationem effectûs, & mutationem diversam subjecti, ut reducitur in actum à causâ Efficiente, alioquin varietas determinationis in causa esset superflua in ordine ad effectum & subjectum. At remissio peccati requirit diversam determinationem in Divinâ voluntate ab eâ, quâ determinatur ad infusionem gratiæ. Minor probatur. Quia ex infusione gratiæ non tollitur aliquid à subjecto, nisi quod in se est privatio physica gratiæ, aut negatio, aut certè forma contraria & incompatibilis. At neque peccatum est physica privatio gratiæ, neque etiam negatio in hoc genere. Si autem est forma contraria (quod repugnat *physicè loquendo*) ad ipsam est diversa mutatio ab infusione. Ergo ex infusione præcisâ gratiæ non sequitur remissio peccati. Ergo ista remissio requirit determinationem divinæ voluntatis diversam ab eâ, quæ est solius infusionis gratiæ.

Quòd si dicatur, peccatum esse privationem moralem gratiæ. 3. Sic argumentari licet. 4.
Privatio, quæ fundatur in solo debito morali naturæ, non tollitur ex infusione alicujus formæ alterius generis, sed ex voluntate statuentis debitum in naturâ, nempe Dei. Ergo non ex præcisâ voluntate, quâ Deus infundit gratiam, tollitur illa privatio, sed ex voluntate extrinsecâ, quâ statuitur repugnantia inter peccatum & formam gratiæ. Ergo neque productio formæ in *Esse Entis*, aut ipsa forma sic considerata tollit peccatum, sed forma, ut subest Divinæ Institutioni ordinanti talem repugnantiam. Sic autem considerata non infert unam & simplicem mutationem, sed diversas; sicut diversa sunt in ipsâ *Esse naturale*, & *Esse institutum*. In *Esse* autem *morali* sumpta æquivalet tot formis, quot privat peccata, & sic sequitur, tot esse remissiones, quot peccata; sicut & tot esse repugnantias morales in formâ, quot sunt peccata, & tot esse effectus remissorios istius formæ, quot remissiones in unicâ voluntate Dei instituentis cum infusione gratiæ remittere peccata in specie & in individuo.

4. Per Ysambertum præcitatum probatur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de Iust. cap. 7.* sic decernente, *Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem Donorum, & gratiæ.* Et paulò post medium. *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem & Charitatem.* At istæ prioris loci particulæ: *Non sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio*, nec non illa posterioris loci particula *Cum*, denotant aliquam concomitantiam rerum diversarum. Ejusmodi verò particulæ denotant remissionem peccatorum, & interiorem hominis renovationem per infusionem gratiæ, idque in genere & ratione mutationis. Unde *eâdem sess. 6. cap. 4.* 6.
Justificatio impij describitur *Translatio*, seu *transmutatio à statu peccati ad statum gratiæ & adoptionis filiorum DEI.* At per hoc importantur diversæ mutationes. Probatur hoc assumptum. Ubi enim reperiuntur quatuor distincti termini, duo nimirum *à quo* & duo *ad quem*, ibi sunt & reperiuntur duæ mutationes *realiter* à se invicem & ex naturâ distinctæ. At primus terminus *à quo* est *Esse peccati*, & terminus *ad quem* ipsi respondens est *non Esse peccati*. Qui proinde termini constituunt primam mutationem, quæ reperitur in Justificatione. Alter deinde terminus *à quo* secundæ mutationis est *non Esse gratiæ*, cujus terminus *ad quem* est ipsum *Esse gratiæ*.

Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 24. a. 3. n. 6.* Angelici sui Doctoris authoritate etiam 7.
allegatâ, adstipulatur præadductæ sententiæ ex sequenti fundamento. Etenim ex actuali peccato remanet in animâ Habitualis conversio ex parte affectûs ad finem pravum: quamdiu enim non convertitur aliquis ad Deum, ut ad Finem Ulti-

 timum

mum, *totaliter* & *perfectè* se illi subijciendo, manet conversus ad amorem sui ut ad Finem Ultimum. At ista conversio actum peccati præteritum *virtualiter* continens est impedimentum positivum & habituale, ne influxus gratiæ derivetur in animam. Unde, ut producatur gratia, corrumpitur hoc Habituale impedimentum per conversionem oppositam in Deum ut Finem Ultimum. Consequens proinde est, aliam mutationem importari per Justificationem, scilicet Justitiæ generationem, & aliam per remissionem peccatorum, scilicet culpæ corruptionem.

8. Cajetanus *præs. q. 113. a. 6.* negat, in Justificatione impij esse duplicem mutationem. Fundamentum est. Mutatio enim productiva est à *non Esse ad Esse*, & mutatio corruptiva *ab Esse ad non Esse*. At in peccato non relinquitur aliquid, quod habeat Esse, sed solùm, quod sit privatio, vel non Ens. Implicat igitur, in Justificatione peccati remissivâ inveniri mutationem corruptivam.

CONCLUSIO.

Justificatio impij, ac remissio peccatorum *Formaliter* ac *Essentialiter* est una simplex *Realiter* indistincta mutatio physica.

9. Probatur. Nam ex peccato duo remanent; alterum est odium peccatoris ex peccati actu in Deo concitatum *formaliter* quidem æternum, *terminativè* verò temporale, ex connotatione scilicet Termini ex suâ efficaciâ in tempore prodeuntis. Iste enim terminus non est quid positivum, sed Primæ omnimodum ad extra communicabile Esse supernaturale *radicaliter* in se continentis participationis privatio ex vi Divini peccatorem execrantis odij *negativè* quasi causata. In cujusmodi proinde odio Divino peccatum præteritum pro omni illo tempore, pro quo illius privationis est connotatio, seu quasi effectio negativa, dicitur perseverare *moraliter causaliter*. Alterum proinde, in quo peccatum præteritum dicitur perseverare *moraliter formaliter*, est ipsa gratiæ seu primæ omnimodam Divinam *in quarto perfectionis genere* quasi specificam communicabilitatem in se *radicaliter* continentis participationis privatio. At verò illud Divinum odium, licèt in se *formaliter* sit æternum & immutabile, *terminativè* tamen dicitur in dilectionem Divinæ illius per peccatum destitutæ participationis causatricem *virtualiter* mutatum pro illo instanti, in quo ex hujus Divinæ Dilectionis vi & efficacia fit gratiæ sanctificantis infusio. Unde talis DEO immanens gratiæ sanctificantis effectrix dilectio eatenus est *causaliter* remissio peccatorum, ut non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* sit quædam mutatio, non quidem subjectiva, sed effectiva. Quam proinde consequitur gratiæ in animam infusio, tanquam hujus mutatio physica & subjectiva. Eo ipso autem, quòd per Gratiam sanctificantem *formaliter* tollatur sui privatio, in qua *formaliter moraliter* perseverat peccatum præteritum, fit consequens; remissionem peccatorum formalem esse *formaliter* ipsammet gratiæ infusionem *subjectivè* receptam in animâ peccatrice. Quamvis proinde causalis peccatorum remissio dicat mutationem virtualem non subjectivam, sed effectivam ab infusione gratiæ *realiter* distinctam: absolutè tamen dicendum est, quòd remissio culpæ & justificatio non sit duplex mutatio physica scilicet ac subjectiva.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad 1. ex parte Scoti *n. 2.* oppositum Respondetur. Aliud *virtualiter* esse Decretum Divinum gratiæ causativum sine respectu ad peccatū, quod præcisè ex Divinæ sub gradu quasi specifico communicabilitatis seu Bonitatis ad extra exemplabilis motivo sit quasi excitatum: aliud verò ejusdem gratiæ causativum Decretum intelligi quasi ex Divinæ Judicium & Justitiam peccatorum vindicatricem superexaltantis misericordiæ motivo quasi excitatū. Prius proinde non autem posterius Decretū habere rationem causalitatis gratiam infundentis, quin sit causalis peccatorum remissio. Quare in posteriori, non autem priori casu infusionem gratiæ esse formalem peccati remissionem, utpote peccatorum in Divini odij Judicio & Justitia per misericordiam quasi superandâ, nec non in ejusdem gratiæ privatione ex talis odij Divini Judicio *negativè* quasi effectâ *moraliter* perseverantium per se extinctivam. Unde verum quidem esse, quòd aliqua detur infusio gratiæ, quæ non sit remissio peccatorum, ex hoc tamen solùm evinci, quòd dentur actiones gratiæ ex subjecto eductivæ *individualiter* eatenus diversæ, quatenus ex Decretis Divinis seu actionibus Immanentibus, ac illarum Transeuntium gratiæ ex subjecto educentium actionū effectricibus *virtualiter* distinctis natæ sint emanare. Nihilominùs pro illo casu, in quo gratiæ infusio non ex puro bonitatis Divinæ quasi specificæ communicabilitatis, sed ex misericordiæ Divinum justi ex peccato concitati odij Judicium superexaltantis motivo procedat, nulla realis formalis distinctio est inter mutationem justificationis ac formalis peccatorum remissionis. 10.

Ad 2. *n. 3.* oppositum Respondetur. Verum quidem esse, quòd diversa determinatio causæ pro uno, & eodem instanti inferat diversam rationem effectûs, & mutationem diversam subjecti, prout istud à causâ Efficiente reducitur in actum. At ex parte Divinæ voluntatis ad gratiam sanctificantem efficiendam Bonitatis & misericordiæ Divinum justi ex peccato concitati odij Judicium superexaltantis motivo motæ esse unicam simplicem determinationem, se habentem per modum unius *virtualiter* indivisibilis Deo immanentis actionis. Ergo non opus esse, quòd alia sit mutatio animæ secundùm infusionem gratiæ, alia verò secundùm remissionem peccatorum. 11.

Ad 3. *n. 4.* oppositum Respondetur. Oppositionem, quæ est inter peccatum & gratiam, in eo se tenere, tum quòd peccatum actuale eatenus sit concitativum odij Divini suæ justæ executionis efficaciâ *negativè* quasi causativi privationem gratiæ, ut consequenter peccatum actuale præteritum in talis odij Divini justo judicio sit *moraliter effectivè* perseverans. Unde, cùm gratia sanctificans non sit effectibilis, nisi per Dilectionem Divinā animæ sub ordine Divinæ quasi specificæ participationis, atque adeò primi in Esse

Esse

Esse supernaturali radicalis principij appretiativam, & ut sic gratiæ sanctificantis Effectivam, sit consequens, peccatum eatenus habere repugnantiam cum gratiâ Habituali, quatenus impossibile sit, idem suppositum respectu unius & ejusdem instantis secundùm Esse supernaturale seu quasi specificè Divinæ participationem simul amari à Deo, & haberi odio. Et hinc sicuti lux solis non *formaliter*, sed *virtualiter contrariè* opponitur frigori, sic quatenus peccatum est [illegible] Divini odij [illegible] execrationis ac judicij [illegible] privationem gratiæ *negativè* quasi causantis concitativum, idcirco inter gratiam & peccatum actuale esse virtualem privationem, & *moraliter* loquendo contrariam oppositionem. Quam proinde contrarietatem moralem non fundari præcisè in extrinsecâ D[illegible] [illegible], sed in ipsâ re[illegible] naturâ; tum quòd peccatum sub ratione offensæ Majestatem Divinam [illegible] destruentis ex suâ essentiali malitiâ, sit [illegible] Divini odij concitativum, & hoc [illegible] privationis gratiæ efficaciter inductivum; tum quòd gratia sanctificans per suam naturam, & [illegible] nata sit causari ex duplici Decreto Divino, altero quidem per puræ Divinæ sub gradu quasi specifico ad extra participabilitatis, altero autem per Divinè justum ex peccato concitatum odij judicium superexaltantis misericordiæ motivum excitato. Ex quorum adeò priori Decreto emanare actionem Dei transeuntem gratiæ sanctificantis eatenus effectricem, ut [illegible] tunc fiat peccatorum remissio, ex posteriori autem Decreto procedere actionem Dei transeuntem gratiæ simul effectivam. Et hinc gratiam sanctificantem mediante istâ actione determinari, ut formalem in suâ essentiâ [illegible] contentum remissionis peccatorum effectum ab intrinseco tribuat animæ tali Divinâ actione per[illegible], atque adeo gratia in Esse [illegible] [illegible] peccatum Habituale in privatione gratiæ per peccatum præteritum quà Divini odij [illegible] [illegible]. Unde etiam fieri consequenter, quòd actio peccatorum remissiva sit una [illegible], non autem pro diversitate peccatorum [illegible] ac diversa.

13. Ad Ysamberti [illegible] oppositum Respondetur. [illegible] Tridentinum solùm intendisse adversus hæreticos definire, quòd peccatorum remissio [illegible] per solam extrinsecam [illegible] condonationem seu justitiæ Dei, & Christi imputationem, sed importare [illegible] etiam hominis renovationem & [illegible], atque gratiæ & Donorum voluntariam susceptionem. An verò ista gratiæ susceptio [illegible] se habeat ad remissionem peccatorum per modum distinctæ mutationis solùm *concomitanter*, vel potiùs *formaliter* per modum unius cum istâ realiter identificatæ mutationis, sanè de hoc utpote subtilitate Scholasticâ nihil intendisse Sacrum Conciliú.

14. Ad ejusdem Ysamberti *n. 6.* oppositam probationem Respondetur. Remissionem peccatorum aliam esse [illegible] in Deo *formaliter* Immanentem, aliam formalem ex Deo Transeuntem. Et quidem in priori importante Divinum ex Misericordiæ justum in Deo odij ex peccato concitati Judicium superexaltantis motivo excitatum nullam subesse mutationem nisi virtualem, [illegible] Deus in se omninò immutatus odium ex peccato concitatum [illegible] *[illegible] nenter* immutat in amorem gratiæ sanctificantis causatricem. Ex quo eodem amore Divino fluere actionem transeuntem formæ sanctificantis eatenus effectricem, ut sit *formaliter* actio peccatorum remissiva, atque de statu peccati in statum gratiæ translativa. In quâ porro translatione [illegible] per modum termini *à quo* Esse peccati Habitualis *formaliter* consistentis in privatione gratiæ per peccatum præteritum [illegible] Divini odij concitatam causatâ, per modum autem Termini [illegible] habere peccati [illegible] non per modum [illegible], sed per modum formæ positivæ, [illegible] gratiæ sanctificantis illam privationem [illegible] expellentis, quatenus actio ex misericordiæ Judicium superexaltantis Decreto procedens per suam individualem differentiam est gratiæ determinativa, ut formalem in suâ essentiâ [illegible] contentum effectum *exercitè* communicet non tantùm quoad formalitatem sanctificationis, sed peccatorum quoque expiationis ac remissionis.

Ad Ioannem à Sancto Thomâ [illegible] oppositum Respondetur 1. Quoad Divi Thomæ [illegible] insinuatam authoritatem; quòd ille Sanctus Doctor *q. 28. de verit. art. 1.* asserat, aliud in ratione mutationis esse infusionem gratiæ, & remissionem culpæ, si culpa aliquid [illegible] ponat secundùm rem. Eo ipso autem, quòd absentia gratiæ [illegible] considerata se habeat per modum pœnæ, nec [illegible] relinquitur ex actu voluntatis [illegible] rationem culpæ, debere culpam [illegible] aliquid positivum. Et hinc [illegible] remissio ex corporis opaci [illegible] importantis ablatio non solùm tenebrarum, sed corporis etiam opaci ablation[illegible] quia remissio culpæ non solùm gratiæ absentiæ, sed impedimenti gratiæ ex actu [illegible] contracti ablationem importat, [illegible] infusionem gratiæ & remissionem culpæ non esse idem secundùm rem. Ex quo [illegible] Sancti Doctoris discursu patet, gratiæ [illegible] & remissionem peccatorum [illegible] distingui, quatenus ista importat [illegible] ablationem impedimenti gratiæ. [illegible] peccati contractum impedimentum *formaliter ac primariò* non est positiva formalitas animæ peccatrici impressa, sed est Divinum ex peccato concitatum odium, & Judicium justum gratiæ impeditivum & *negativè* quasi causativum. Quatenus igitur per remissionem peccatorum [illegible] in Divino gratiæ effectivo amore sitam *virtualiter* tollitur illud impedimentum, ut sic in ratione mutationis non formalis ac subjectivæ, sed virtualis ac effectivæ, est secundùm rem distincta ab infusione gratiæ; quamvis hæc [illegible] *determinatè* importat actionem, quæ per suam differentiam individualem ex Divino [illegible] justum odij ex peccato concitati [illegible] superexaltantis Decreto emanat, ut sic *realiter formaliter* sit ipsa actio, peccatorum non [illegible], sed *forma*[illegible] à statu peccati ad statum justitiæ [illegible] 15.

Respondetur 2. Quoad rationem [illegible] à Sancto Thomâ [illegible] [illegible] Habitualis [illegible] [illegible] [illegible] peccati [illegible] etiam [illegible] [illegible] ad remissionem peccati, tum [illegible] 16. 17.

lis, sic à fortiori Habitualis ad finem pravum conversio ut sic malitiam solum finitam continens per contrarium v.g. religionis actum, vel certè per Dei super omnia dilectionem naturalem videatur sufficienter ablata, quin sequatur peccatorum remissio. Quare falsum esse, quòd illa Habitualis ad pravum finem conversio utpote in casibus proximè deductis jam sublata, sit impedimentum infusionis gratiæ. Unde potiùs dicendum esse, quòd istud impedimentum sit odium Divinum ex peccato per modum justi judicij concitatum ut sic execrationis suę efficaciâ *negativè* quasi causativum privationis gratiæ. Quo proinde impedimento per Divinum misericordiæ judicium superexaltantis Decretum *virtualiter* ablato eatenus fieri infusionem gratiæ, ut hæc sit *radicaliter* plena & perfecta sub omnimodæ Divinæ quasi specificæ participationis eminentia Habitualis in Deum finem supernaturalem conversio, atque adeò formalis peccatorum remissio mediante actione emanante ex Divino misericordiæ Judicium superexaltantis Decreto. Et hinc fieri consequens, quòd remissio peccatorum solùm causalis illud positivum gratiæ impedimentum *virtualiter* tollens, non autem actio *formaliter* remissiva peccati *realiter* distincta ab infusione gratiæ sanctificantis, veluti Cajetanus *n. 8. citatus* benè probat ex Angelico Doctore.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊)❊(❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

CONTROVERSIA II.

An per solam extrinsecam DEI condonationem posset fieri peccatorum remissio?

DUplex hîc latet difficultas; altera in eo sistens, *An scilicet peccatum remitti possit absque prævio actu retractationis?* Verùm illud commodiùs decidetur, dum agemus de necessitate Pœnitentiæ. Altera proinde hîc discutienda superest difficultas; *An per Dei potentiam absolutam ex vi solius Divinæ voluntatis fieri posset peccatorum remissio absque gratiæ sanctificantis infusione?*

Referuntur sententiæ.

1. AFfirmant Alensis 4 *p. q. 17. memb. 4. a. 6. §. ad arg.* Scotus *in 1. dist. 17. q. 2. §. de secundo. & in 2. dist. 28. §. ad quæstionem.* Et *in 4. dist. 14. q. 1. §. de secundo. & dist. 16. q. 2.* & Scotistæ communiter apud Mastrium *in 2. disp. 9. q. 3.* Suarez *3. p de Pænit. disp. 8. sect 4. & lib 7. de grat. cap. 23.* Coninch *de pœnit. disp. 2. dub. 10.* Curiel *præs. q. 113. a. 2. dub. 2. §. 8.* Arriaga *disp. 46.* & alij plures. Fundamenta per Mastrium fusiùs deducta sunt. 1. Quidquid [illegible] cedit ad instantiam, vel [illegible] creaturæ, potest etiam Deus concedere sine [illegible] præviâ petitione pro sola suâ libertate. Atqui Deus solet *formaliter* [illegible], & remittit habitualem peccatum, [illegible] ad [illegible], vel exigentiam creaturæ, [illegible] gratiæ seu contritionis. Ergo potest de absolutâ potentiâ illud remittere ex sola suâ voluntate, non prævia hujusmodi petitione per solam extrinsecam condonationem.

2. Nam quidquid est in peccato, tolli potest à Deo per meram voluntatem ipsius sine aliquâ physicâ mutatione, & sine impressione alicujus qualitatis in homine: cur enim non æquè Divina ac humana offensa & injuria tolli posset per puram condonationem offensi absque collatione alicujus Doni intrinseci? Deinde ratio etiam inimicitiæ inter homines per reconciliationem absque Doni intrinseci infusione tollitur; cur igitur non idem esset dicendum de statu inimicitiæ ex peccatis contra Deum contracto. Et quia ratio conversionis in Deum, cui ut sic opponitur aversio à Deo, *eminenter* continetur in actu Divinæ Dilectionis, poterit ista malitia absque infusione gratiæ reparari per actum Divinæ dilectionis. 2.

3. Ratio, cur peccatum non posset remitti absque infusione gratiæ, fundatur in oppositione privativâ gratiæ & peccati. At eo ipso, quòd gratia auferri possit sine peccato, sequitur, illam rationem nullius esse efficaciæ. Poterit proinde, æquè peccatum tolli etiam absque gratiæ infusione. 3.

Nonnulli, speciatim Ysambertus *ad præs. q. 113 disp. 10. n. 3.* adstipulantur cum aliquâ restrictione, asserendo, hominem creatum in puris naturalibus, si peccaret mortaliter, tunc posse justificari à Deo per puram & simplicem extrinsecam culpæ condonationem, sine ullo habitu, aut actu interno. Fundamentum est. Quia homo in statu purorum naturaliũ non esset capax gratiæ Habitualis, ita ut carentia illius esset in eo aliqua privatio rei sibi, vel suo statui debitæ. At nihilominus Deus posset remittere peccatum in tali statu commissum; Ergo absque infusione gratiæ habitualis. 4.

Albertus Magnus *in 4. dist. 17. a. 10. ad 1. loco 2.* Divus Thomas *1. 2. q. 113. a. 2. & 3. contra Gentes cap. 157.* Ferrariens. *ibi.* Cajetanus *cit. a. 2 in fine.* Vasquez *1. 2. disp. 206. cap. 2. & 3.* Amicus *præs. disp. [illegible] n. 15.* Esparza *q. 8. de Justif.* Serra *cit. q. 113. a. 2. dub. 3.* Joannes à Sancto Thomà *præs. disp. 24. a. 3.* & alij quamplures negant, posse peccatum perfectè saltem remitti absque infusione gratiæ. Fundamentum 1 per Joannem a Sancto Thomà *n. 8. ac seq.* deductum est. Nam per ablationem perfectam peccati intelligitur illa, vi cujus tollitur peccatum in ratione maculæ & offensæ etiam quoad ipsam indignationem, & fœditatem intrinsecam peccati, ita quòd non possit judicari homo [illegible] aliquâ pœnâ ex vi hujus culpæ. [illegible] verò ablatio imperfecta & inadæquata [illegible] posset dici, vel quia non tollit indignitatem intrinsecam & fœditatem peccati, sed [illegible] obligationem ad pœnam, quæ fundatur super talem indignitatem, quæque ex sola voluntate creditoris deobligantis debitorem, tolli potest: vel est ablatio ipsius quasi Dispositiva, non quasi formalis, sicut per actum contritionis *dispositivè*, non *formaliter* tollitur peccatum. At verò ut tollatur peccatum non solùm quoad obligationem [illegible] ex parte creditoris, sed etiam quantum ad intrinsecam indignitatem, requiritur Dilectio Dei acceptans hominem ad suam [illegible], & collativa gratiæ. Probatur istud assumptum. Quia 5.

pecca-

peccatum facit hominem *intrinsecè* aversum ab Ultimo Fine, & consequenter indignum omni bono pertinente ad talem Ultimū Finem, & omni jure habendi talia bona. Ergo quamdiu non datur dilectio Dei acceptans hominem ad talia bona, non potest judicare, illum esse dignum talibus bonis. At si Deus non judicet, illum esse dignum, non tollitur ab illo dignitas peccati, quantumcunque non velit illum obligare ad satisfactionem offensæ, Ergo requiritur actus dilectionis Divinæ, acceptans hominem ad eandem dignitatem gratiæ,
6. quam antea habebat.

Fundamentum 2. ex Esparzâ *præcitato* desumptum est. Quia amare aliquem, est velle ei bonum, & odisse, est velle malum. ex Philosopho *2. Rhetor. cap. 4. init.* & ex Divo Thomâ *1. p. q. 2. a. 1. ad 3.* Unde repugnat, ut Deus aliquem amet, & aliquem alium odio habeat, & nihilominùs ambo æquales sint in bonis & malis afficientibus ipsos *intrinsecè*. Similiter repugnat, duos inæqualiter aut dilectos, aut odio habitos à Deo, æqualia nihilominùs ex Deo aut bona accipere, aut mala pati. Et hinc repugnat etiam, unum, eundemque hominem pro diversis temporibus esse dilectum, aut odio habitum à Deo, seu *simpliciter*, seu *secundùm magis & minus*, quin pro iisdem temporibus conferat illi bonum, aut inferat malum speciale, cum eâdem respectivè differentiâ *penes magis & minus*. Atqui peccatores, dum peccatores sunt, Sacris Litteris attestantibus, Deus odio, quali neminem alium, prosequitur. Econtra verò Deus diligit omnes immunes peccati, non solùm dilectione generali, peccatoribus quoad Bonitatis Divinæ sub Essendi gradu participationem etiam communi, sed speciali pertinente ad amicitiam, quæque nomine dilectionis *absolutè* prolato communiter intelligitur. Est autem certum, cum, cui Deus remittit peccata, non ampliùs esse peccatorem. Rursus certum est, nullum esse donum distinctum à formâ sanctificante, quod ratione suæ Bonitatis non sit conferibile peccatori in sensu etiam composito. Consequens igitur est, quòd voluntas Dei remissiva ac deletiva peccati, necessariò sit volitiva & infusiva gratiæ sanctificantis.

7. Fundamentum 3. ex præallegato Ioanne à Sancto Thomâ *n. 10.* circa peccatorum in puræ etiam naturæ statu perpetratorum remissionem petitum, fundamentum est. Quando enim Deus totaliter remittit peccatum, perfectè remittit omnem satisfactionem, quam de jure posset exigere a peccatore. At pro peccato etiam facto in statu puræ naturæ, posset Deus ex justitiâ exigere satisfactionem de rigore justitiæ, & secundùm æqualitatem, atque adeo damnare hominem pœnâ æternâ, & cruciatu ignis in spirituum agentis. Hæc autem omnia supernaturalia sunt. Unde istarum satisfactionum remissio, tollendo indignitatem & obligationem ad illas, pertinet ad Deum authorem supernaturalem. At verò effectus supernaturalis non potest oriri nisi ex voluntate & dilectione Dei supernaturali. Cùm igitur voluntas condonandi & remittendi peccatum in statu etiam puræ naturæ perpetratum, supponat ordinem ad effectum supernaturalem, manifestè importat dilectionem Dei supernaturalem.

CONCLUSIO.

IMplicat, positivam peccati mortalis remissionem fieri absque gratiæ Habitualis infusione.

Probatur. Quia peccatum mortale est *moraliter* perseverans in Divino, ex peccati quà Ultimum Finem in Deo *moraliter affectivè* destruentis, malitiâ concitato odio peccatorē sub ratione absolutę in Deum Ultimum Finem ordinabilitatis, efficaciter execrante, atque adeò per hujus execrationis efficaciam *negativè* quasi causante negationem Divinæ participationis absolutam in Deum Ultimum ac Beatificum Finem ordinabilitatem in se *radicaliter* saltem continentis. Unde quamdiu stat illa divinæ execrationis efficacia, tamdiu non est intelligibile, quòd peccatum sit remissum. Eo ipso autem, quòd illa Divina, absolutam in Deum Ultimum ac Beatificum Finem ordinabilitatem, in se *radicaliter* continens participatio sit ipsa gratia Habitualis, sequitur, illam Divinæ execrationis efficaciam tamdiu subsistere, quamdiu exinde per *negativam quasi* causalitatem emanat privatio gratiæ sanctificantis. Et hinc in tali privatione consistit peccatum Habituale, tanquam formalis animæ peccatricis macula. Est autem impossibile, tum quòd ista gratiæ privatio tollatur *formaliter* nisi per ipsammet gratiam; tum quòd istius fiat infusio, dum subsistit illa Divini, sub ratione absolutæ in Deum Finem Ultimum ordinabilitatis, peccatorem execrantis odij efficacia. At verò ista Divini odij efficacia *virtualiter* tollitur quasi per solam Dilectionis Divinæ, hominem sub ordine absolutæ in Deum Finem Ultimum ac Beatificativum ordinabilitatis, participatione Beatificâ redamantis, efficaciam, seu causalitatem gratiæ sanctificantis insuperabiliter effectricem. Impossibile igitur est; fieri peccati mortalis remissionem absque infusione gratiæ habitualis. 8.

Dices. Posse Deum tale formare Decretum, 9.
quo definiat, se non jam ex respectu ad peccatum præteritum, sed tamen ex absoluto suo Dominio, nolle gratiæ sanctificantis peccato mortali destructæ infusionem. In hoc autem casu eatenus *virtualiter* cessare Divini, sub ratione absolutæ per gratiam in Deum Finem Ultimum radicalis ordinabilitatis, peccatorem execrantis odij efficaciam, ut tamen nulla fieret gratiæ sanctificantis infusio. At eo ipso, quòd in casu prætacto divini, ex peccato præterito peccatorem execrantis odij efficacia *virtualiter* esset sublata, oporteret, esse factam peccati mortalis remissionem. Non igitur repugnare secundùm absolutam Dei potentiam, quòd peccati mortalis fieret remissio absque gratiæ Habitualis infusione.

Contra. Nam aliud est, quòd Divini pec- 10.
catorem execrantis odij efficacia esset *virtualiter*, *quasi negativè* sublata per Decretum proximè expositum: aliud verò est, quòd illa Divini odij efficacia *virtualiter* tollatur *quasi positivè* per efficaciam nimirum Divinæ peccatorem sub illo ipso ordine, in quo ex respectu peccati erat odio habitus à Deo, redamantis dilectionis. At verum quidem est, quòd peccati remissio causalis fiat per Decretum Divini peccatorem sub absolutâ in Finem Ultimum ordinabilitate execran-

tis

tis odij *virtualiter* quasi transmutativũ. Sicuti proinde illud superiùs expositum Decretum esset Divini erga peccatorem odij, ejusque efficaciæ solùm *negativè* quasi *virtualiter* translativum, sic non esset peccati remissio causalis nisi negativa, cui ex parte hominis responderet gratiæ carentia, non jam sub ratione maculæ ex peccato præterito relictæ, sed sub ratione negativi quasi effectûs, ex absoluti Divini dominij potestate procedentis. At verò, ut Divinum Decretum habeat vim positivæ causalis remissionis, oportet, esse odij divini, peccatorem in Esse supernaturali, seu sub absolutâ in Ultimum Finem ordinabilitate execrantis, *positivè virtualiter* quasi transmutativum. Hoc autem non fit nisi per Decretum dilectionis Divinæ, sub illo absolutæ in Deum ordinabilitatis saltem radicalis statu, peccatorem *simpliciter* & *absolute* redamantis. Ejusmodi verò Decreto inest *formalissimè* insuperabilis ad gratiam Habitualem efficacia. In quo proinde dilectionis Divinæ Decreto eatenus subsistit positiva causalis remissio peccati, ut consequenter hujus formalis positiva remissio importet ipsam gratiam sanctificantem. Quare peccatorum quasi negativa, non autem positiva remissio per Dei potentiâ absolutam fieri posset absque gratiæ Habitualis infusione.

Responsio ad opposita Fundamenta.

11. **A**D 1. ex Mastrio *n. 1.* oppositum fundamentum Respondetur. Falsò ibi supponi, quòd remissio peccatorum se habeat ad gratiam sanctificantem per modum effectûs ad gratiæ sanctificantis exigentiam *realiter* consequentis. Quare potiùs dicendũ esse, quòd causalis peccatorum remissio sit *Formalissimè* Decretum Divinum gratiæ sanctificantis causativum; formalis verò positiva remissio sit ipsamet gratia quà ex illo Divino odij Dei peccatorem execrantis, *virtualiter* translativo Decreto causata, ut sic *formaliter* extinctiva illius privationis, in quâ, prout ex Divini per peccatum excitati odij efficaciâ est *negativè* quasi causata, *formaliter* consistit macula peccati Habitualis. At verò per se manifestum est, tum quòd ista privatio nequeat tolli *formaliter*, nisi per gratiam sanctificantem, tum quòd Decretum, Divini peccatorem quà talem *absolutè* execrantis odij, *positivè virtualiter* quasi translativum, nequeat non habere efficaciam gratiæ insuperabiliter causatricem. Consequens igitur est, quòd *simpliciter* impossibile sit, fieri positivam peccati mortalis remissionem absque gratiæ sanctificantis infusione.

12. Ad 2. *n. 2.* oppositum Respondetur. Hoc discriminis esse inter remissionem injuriæ ab homine, & à Deo faciendæ, quòd utrinque quidem interveniat in remittente injuriam, positivus voluntatis actus, attamen prout est in Deo, non autem in homine, habeat efficaciam *insuperabiliter* effectricem alicujus ad extra effectûs. Unde, cùm injuria contra Deum sit Divini Juris, in primæ Majestatis, & Ultimi Finis ratione radicati *moraliter affectivè* destructiva læsio: Deum, istâ malitiam moralem infinitam execrando suæ istius execrationis efficaciâ *negativè* quasi causare absolutæ in se unquàm Ultimum Fine ordinabilitatis negationem. Quam equidem Divini tam abominationis, quàm inimicitiæ odij execrationem, ejusque efficaciam, non tolli *virtualiter* nisi per Decreti, sub illo absolutæ in Ultimum Finem radicalis ordinabilitatis statu, hominem redamantis, & ut sic gratiæ habitualis insuperabiliter effectricem causalitatem *formalissime* importantis efficaciam. Tale proinde circa humanæ & Divinæ offensæ remissionem intervenire discrimen, ut istius, non verò illius remissio *essentialiter* sit importans infusionem formæ reconciliativæ, cujusmodi non esse actum dilectionis Divinæ, ex *sequenti controversiâ* patebit.

Ad 3. *n. 3.* oppositum Respondetur. Exinde solùm probari, quòd privatio gratiæ non simpliciter, sed prout ex Divini per peccatum concitati odij efficaciâ est quasi *negativè* causata, sit macula peccati habitualis. Et hinc etiam concludi, non quamcunque actionem gratiæ infusivam, ex Decreto per puræ Divinæ quasi specificæ ad extra communicabilitatis motivũ specificato emanantem esse peccati remissivam, sed actionem gratiæ causativam ex Divino misericordiæ, justum Divini peccato excitati odij Judicium superexaltantis motivo prodeuntem, habere duntaxat rationem remissionis peccatorum. Quare inter gratiam ex talis Decreti Divini efficaciâ causatam, & peccatum habituale eatenus esse oppositionem immediatam, ut illa sit hujus *per Essentialem, Divinitùs adeò insuperabilem* necessitatem extinctiva. 13.

Ad 4. *n. 4.* Ysamberti oppositum Respondetur. Peccatum mortale in statu puræ naturæ perpetratum, eo ipso, quòd Divini, in Primâ majestate & Ultimi Finis ratione radicati Juris, sit *moraliter affectivè* destructivum, mediante Divino contra se & peccatorem concitato odio, esse causativum negationis, omnimodam in Deum Ultimum Finem obedientiali etiam animæ elevabilitati respondentem, radicalem ordinabilitatem *formaliter* tollentis. Unde intra statum purorum naturalium, non *absolutè*, sed quoad effectus puro naturæ statui correspondentes, *secundùm quid* duntaxat posse dici reparabile. Et hinc negandum esse, quòd peccatum ejusmodi, absque gratiæ infusione foret *simpliciter* remissibile, uti etiam probant fundamenta *an. 5.* deducta. 14.

❋❋❋❋❋❋❋❋(❋)❋❋❋❋❋❋❋

CONTROVERSIA III.

Utrùm alia forma, quàm gratia Habitualis possit formaliter esse expulsiva peccati mortalis?

VAsquez *1. 2. disp. 203. c. 3. et seq.* Maratius *tract. de Grat. disp. 12. per plures sectiones.* Gaspar Hurtadus *tract. de pœnit. disp. 2. diff. 7.* Turrianus *opusc. 6. disp. 4. per plura dubia*, & alij affirmant, actum contritionis & charitatis habere in seipso vim *formaliter* justificandi, & sanctificandi. Fundamenta potissima sunt. 1. Quia per actum contritionis & charitatis fit *formaliter* conversio peccatoris ad Deum, & peccator tunc Deũ diligit super omnia. Ergo fit formalis etiam aversio à peccato & Fine Ultimo charitati contrario. Ergo per talem actum solvitur peccatum. 2. Quia per actum charitatis, sine ullo habitu prævio, quis diligit Deum, ut amicum. At omnis amicitia est mutua redamatio. Ergo mediante actu charitatis quis etiam dili- 1. 2.

diligitur à Deo ut amicus, & ex consequenti vi talis actûs manet in Deo, & Deus in illo, quatenus scilicet dilectio est transformans amantem in amatum. 3. Eo ipso, quòd quis habeat a-
3. ctum charitatis, Deum super omnia appretiantis, non potest odio haberi à Deo, siquidem talis actus, & consequenter subjectum etiam diligens non possit non placere Deo. At ista Dei complacentia debet esse tanta, quanta erat displicentia ratione peccati; siquidem per dilectionem Dei tantum accedatur ad Deum, quantum peccato recedebatur ab ipso, atque adeò ille actus tantum habeat bonitatis ad placandum Deum, quantum actus peccati habebat malitiæ ad displicendum. Unde etiam fit, quòd per solum actum Dilectionis Dei subjectum sufficienter immutetur, ut terminet Dilectionem Dei ipsum redamantis. At quisquis diligitur à Deo, gratus illi est. Quisquis verò est Deo gratus, est Sanctus & justus coram Deo. Consequens igitur est, quòd ex vi Dilectionis Dei aliquis *formaliter* justificetur, & sanctificetur; veluti Patres passim insinuare videntur, Justificationem & sanctitatem ac pulchritudinem animæ attribuendo ipsi dilectioni & charitati.

Serra *prat. tr. 3. a. 2. dub. 2.* Mastrius *cit.*
4. *disp. 7. q. 8. a. 1.* tenent, actum contritionis & dilectionis, licèt non possit esse formalis causa Justificationis perfectæ, qualis datur de facto; per absolutam tamen Dei potentiam posse *formaliter* Justificare, posseque adeò esse causam formalem Justificationis ac remissionis peccatorum; licèt non ita perfectè. Fundamentum est. Tum quia posito in homine actu contritionis & dilectionis, potest Deus gratiam sanctificantem non infundere. At homo tunc justus esset, & absque peccato, juxta illud *1. Ioan. 4. Omnis, qui diligit, ex Deo est.* Tum etiam si aliquis existens in peccato mortali raperetur ad Divinam visionem absque infusione alicujus habitûs, solo actu dilectionis; qui necessariò consequitur visionem, justus fieret, & sine peccato maneret; cùm implicet, esse in peccato, & esse beatum. At ejusdem naturæ, & efficaciæ quoad effectum justificandi est dilectio patriæ & viæ.

Suarez *lib. 7. de grat. c. 15. & 10. 1. in 3. part.*
5. *disp. 4. sect. 8.* Amicus *prat. disp. 33. n. 145.* Ioannes à Sancto Thomà *cit. disp. 27. a. 1.* Lorca *de grat. disp. 35. memb. 2.* Cardinalis de Lugo *de pænit. disp. 1. sect. 4.* negant, actum contritionis secundùm potentiam Dei etiam absolutam posse *formaliter* justificare, atque adeò expellere peccatum mortale. Fundamentum per Ioannem à Sancto Thomà *cit. n. 14. & 15.* deductum est. Quia peccatum habet duo, alterum in ordine ad Deum ratione injuriæ & offensæ. Atqui actus contritionis non potest ad æqualitatem & condignè esse satisfactorius pro peccato. Alterum proinde in peccato est in ordine ad ipsum peccatorem, scilicet privatio gratiæ, & rectitudinis rationis: cùm enim per peccatum non solùm operatio & actus deordinetur, sed etiam ipsum subjectum, & anima dicatur deordinata & maculata, ideò ex peccato non solùm resultat privatio virtutum in potentijs, sed etiam privatio gratiæ in animâ. At pro istius reparatione non sufficit sola contritio. Probatur istud assumptum, Quia non potest de potentiâ etiam absolutâ fieri effectus formalis intrinsecus sine formâ intrinsecâ. Atqui actus contritionis est solùm forma operandi justè. Ergo facere quidem potest animam *formaliter* operantem justè in suâ potentiâ, non autem animam *formaliter* justam in suâ Essentiâ.

Conclusio.

Contritio neque de facto est forma justificans, neque ex suâ naturâ habet hanc efficacitatem, ut possit etiam de absolutâ Dei potentiâ peccatum mortale *formaliter* expellere.

Probatur. Nam si contritio per naturam 6.
suam intrinsecam *formaliter* esset expulsiva peccati mortalis, esset hoc ipso satisfactio condigna pro offensâ peccati mortalis. At consequens est falsum. Ergo & antecedens. Sequela Majoris probatur. Quia satisfactio æqualis & condigna est, quæ ex seipsâ sine liberali aliquâ condonatione habet vim ab intrinseco efficacem & sufficientem ad delendum totum & adæquatum debitum culpæ. At eo ipso, quòd contritio ex naturâ suâ esset *formaliter* expulsiva peccati mortalis, esset in seipsa sine liberali condonatione sufficiens & efficax ad extinguendum integrum debitum culpæ ac offensæ Divinæ. Hoc autem non videtur cohærere Sacris Litteris & Sanctorum Patrum doctrinæ. Probatur istud assumptum. Etenim ubique Sacra Scriptura prædicat, Justificationem nostram ac remissionem peccatorum esse respectu etiam contritionis opus Divinæ misericordiæ, esseque beneficium Dei distinctum à gratiâ. *Hier. 12. Si conversa fuerit gens illa, convertar & ego, & miserebor.* In quo proinde loco sermo est de tali peccatoris contritione, cui secundùm Divinæ promissionis efficacam infallibiliter sit connexa conversio Dei ad peccatorem, quæ est per Justificationem & remissionem peccatorum. At verò Justificatio & remissio peccatorum non attritioni, sed contritioni est annexa. In illo igitur loco subintelligitur talis peccatoris ad Deum conversio, quæ fit contritio perfecta. At illâ conversione peccatoris suppositâ, ita consequitur conversio Dei ad peccatorem, atque adeò hujus justificatio, ac peccatorum remissio, ut tamen ista secundùm præallegatum sacrum textum sit misericordiæ ac liberalitatis. Unde præter alios à Suarezio *præcitato* fusiùs allegatos Patres Sanctus Chrysostomus *hom. 1. ad popul.* ait; *Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero, salvabor? Et maximè. Unde constat? Ex Dei misericordiâ & Domini clementiâ. Ne tuæ confidas pœnitentiæ. Tua enim pœnitentia tanta nequit delere peccata. Si sola foret pœnitentia, meritò timeres; sed postquàm in pœnitentiâ miscetur Dei misericordia, confide.*

Ex quo clarè elucet, remissionem peccato- 7.
rum, suppositâ etiam pœnitentiâ perfectâ utpote cui soli ex Decreto Divino est annexa Justificationis gratia, esse opus misericordiæ Divinæ. At si contritio esset forma *formaliter* justificans, adeòque ex naturâ suâ tanquàm satisfactio *intrinsecè* condigna expelleret *formaliter* offensam peccati mortalis, in remissione peccatorum non magis interveniret gratuita condonatio, & misericordia, quàm in retributione gloriæ super gratiæ

Habitualis ac meritorum condignitatem fundatâ *formaliter* interveniat liberalitas & misericordia. Omnino igitur negandum est, quòd contritio sit forma justificans, ac per naturam suam *formaliter* extinctiva peccatorum mortalium; sed ad istorum remissionem ac justificationem se habet merè *dispositivè*, uti clarè eruitur ex Concilio Trident. *sess. 6. de Justif. c. 7.* ubi, postquàm *c. 6.* enumeraverat dispositiones Justificationem præcedentes, scilicet Fidem, Spem, & Charitatem Dei; posteà *cap. 7.* subjungit: quòd hanc dispositionem ipsa justificatio consequatur.

8. Respondebis ex Vasquezio *to. 1. in 3. par. disp. 2. c. 5. & 6.* Quamvis contritio ex suâ naturâ sine novo favore & condonatione sufficiat ad eluendam maculam peccati & offensæ Dei; hinc tamen non evinci, quòd sit perfecta & æqualis satisfactio pro toto peccati debito. Nam istud includere etiam debitum carendi omni auxilio supernaturalis pœnitentiæ, prout secundùm Concil. Trident. *sess. 6. de Justif. can. 3.* ad justificationis gratiam obtinendam requiritur. At hujus debiti condonationem gratuitam fieri eo ipso, quòd Deus peccatori conferat vires ad eliciendam contritionem. Unde ratione hujus liberalis condonationis, *ac* remissionis gratiæ, ait, contritionem non esse *absolutè* perfectam satisfactionem pro peccato: cùm istud importet duo debita, scilicet carendi omni auxilio gratiæ, & carendi amicitiâ Dei, & gloriâ. Etsi verò contritio, quatenus confertur præcisè ad debitum carendi gloriâ, & ad eluendam peccati maculam, sit condigna satisfactio, quia tamen nequit tollere debitum carendi auxilio gratiæ actualis, sed istius debiti gratuitam condonationem supponit, ideo eam non posse dici satisfactionem simpliciter perfectam pro peccato.

9. Contra. Nam debitum carendi auxilio gratiæ saltem non simpliciter habet rationem culpæ, sed hujus reatus, sive peccatum Habituale *absolutè* adhuc subsistit pro naturæ instanti, gratuitam illius ad carendum gratiæ auxilio Debiti condonationem consequente, donec pro signo naturæ posteriore intelligatur facta gratiæ Sanctificantis infusio. Et hinc Concilium Tridentinum *cit. sess. 6. can. 3.* anathematizando illum, qui dixerit, hominem sine Spiritûs Sancti inspiratione, atque adjutorio posse pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; clarè insinuat duo quasi naturæ instantia, in quorum uno oporteat prævenientem Spiritûs Sancti inspirationem, atque adjutorium ad pœnitendum, sicut oportet, esse collatum, esseque adeò debitum tali auxilio carendi remissum; in altero verò pœnitentiam, sicuti oportet, factam consequente naturæ instanti fiat ipsa Justificationis, atque adeò peccati *formaliter* ac *essentialiter* adhuc subsistentis remissio. At verò satisfactio dicitur simpliciter perfecta, quæ de condigno, & ad æqualitatem tollit culpæ reatum, in quo *formaliter* ac *essentialiter* consistit ratio peccati habitualis. Sic enim Sacramentum pœnitentiæ est simpliciter remissivum peccati quoad reatum culpæ, licèt non possit tollere debitum carendi actualis gratiæ auxilio ad pœnitendum prærequisito, sed hujus remissio debeat antecedenter ad Sacramenti susceptionem esse facta à Deo. Si proinde contritio respectu peccati Habitualis seu maculæ ex peccato præterito moraliter perseverantis, & pro aliquo naturæ instanti gratuitam illius ad gratiæ auxilio carendum Debiti condonationem consequente, adhuc subsistentis esset perfecta & condigna satisfactio, sequeretur, eam fore simpliciter dicendam satisfactionem condignam pro peccato, licèt non valeret ad diluendum debitum carendi gratiæ auxilio.

Confirmatur. Quia non jam in ipsâ peccati Habitualis *formaliter* spectati remissione fieret quædam liberalis & gratuita condonatio Dei, sed antecedenter tantùm in concedendo auxilio ad pœnitendum efficaci facta esset Dei gratia. 10.
At præterquàm, quòd Sacra Scriptura, & Sancti Patres in ipsâ peccati in se *formaliter* spectati remissione, quia contritionem, atque adeò illius ad carendum gratiæ auxilio debiti condonationem consequente, agnoscant misericordiam & liberalitatem Dei; sequeretur adhuc, ipsius peccati Habitualis & culpæ reatûs *essentialiter* spectati remissionem non *formaliter* in se ipsâ, sed *radicaliter* duntaxat fore gratiam, sicuti etiam, licèt merita nostra quoad efficacis ad meritoriè operandum auxilij collationem, sint gratia; quia tamen in se ipsis habent condignitatem respectu gloriæ, nequit ista rationem gratiæ *formaliter* sortiri, sed *radicaliter* dumtaxat. Hinc verò rursùs sequeretur, quòd pro nostris peccatis redimendis, non quoad reatûs culpæ seu peccati Habitualis *essentialiter* ac *formaliter* spectati substantiam diluendam, sed quoad Debitum carendi contritionis auxilio duntaxat ex Justitiâ tollendum, fuisset simpliciter necessaria satisfactio infinita Christi, adeò ut, si Deus per puram suam misericordiam absque ullâ præviâ Christi satisfactione homini peccatori concessisset efficax ad contritionem auxilium, hæc jam ex naturâ suâ de condigno esset *formaliter* expiativa illius reatûs, in quo *essentialiter* consisteret peccatum Habituale. At istud consequens videtur absurdissimum in Theologiâ. Ergo & id, ex quo sequitur.

Dices. Peccatum mortale præteritum perseverare moraliter in odio Divino per tale peccatum concitato. Eo ipso autem, quòd quis ex motivo Dilectionis Dei super omnia appretiati habeat contritionem, illud Dei odium *virtualiter* transmutari in Dilectionem Dei redamantis, juxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Unde consequens eo ipso fore, talem non esse peccatorem, sed justum, siquidem Deus *justos, non peccatores diligat. Psal. 145.* 11.

Contra. Nam odium Divinum ex peccato concitatum in eo se tenet, quòd, cùm affectus mortaliter peccaminosus Divini in Primâ Majestate Dei & Ultimo Fine radicati Juris *moraliter* & *effective* destructivus sit; Deus istam malitiam ceu infinitam eatenus oderit, ut & ipsam animam, vitali suo influxu *radicaliter* saltem malitiæ illius causatricem, in suo fundo execretur. Hujus autem Divinæ execrationis ea vis est, & efficacia, ut omnimodæ Divinæ participationis, non nisi ex dilectione gradûs quasi specificè Divini communicativâ, causatæ sit destructiva. Tunc igitur potest illud Divinum odium esse *virtualiter* translatum, atque adeò peccatorum in tali odio moralis perseverantia sublata esse, quando Deus peccatorem complectitur dilectione participationis speci- 12.

cificè Divinæ, omnimodam in hac Deificæ communicabilitatis lineâ supernaturali perfectionem *radicaliter* continentis communicatrice ac effectrice. At, cùm actus contritionis & Dilectionis se habeat per modum formæ ad determinatam operationis actualitatem, voluntatis, non animæ in suâ substantiâ *immediatè* informativam pertinentis; non habet rationem formæ omnimodam Divinam quasi specificam supernaturalem perfectionem *radicaliter* in se continentis. Quamvis proinde Deus diligentes se diligat simpliciter in lineâ quasi Divinæ specificæ participationis, atque adeò odium Dei ex peccato concitatum vi illius Divinæ dilectionis sit *virtualiter* translatum; hoc tamen non est *formaliter* ex naturâ actûs Dilectionis & Contritionis, sed *dispositivè*, & ex infallibilitate Divinæ ordinationis ad peccatorem contritum amicitiæ dilectione perfectâ se convertentis, & ut sic causantis gratiam sanctificantem, illius Divinæ Dilectionis contritionem tanquàm dispositionem ex parte subjecti seu peccatoris præviam respicientis *formaliter* terminativam, & ut sic *formaliter* remissivam peccati mortalis, cujus equidem remissio causalis jam præintelligebatur perfecta in illâ Divinâ quà sanctificantis gratiæ causatrice Dilectione.

13. Instabis. Secundùm Divum Thomam *q. 28. de Verit. a. 2.* in peccato mortali reperiri tria, ratione quorum nequeat sine gratiâ fieri remissio; scilicet Aversionem, Offensam, & Reatum. Atqui aversionem tolli per conversionem ad Deum, atque adeò per actum contritionis. Eo ipso autem, quòd per istam homo jungatur cum Deo, peccatorem ex motivo dilectionis Dei contritum non ampliùs esse dignum, ut odio habeatur, sed potiùs diligatur à DEO, juxta illud *Joann. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Unde vi contritionis auferri etiam offensam. Et quia per actum contritionis, utpote meritorium homo fit dignus præmio vitæ æternæ, consequenter extingui quoque æternæ pœnæ reatum. Consequens igitur esse, si posito actu contritionis, Deus non infunderet gratiam Habitualem, fore illum actum quandam justificationis formam: sicuti si homo in peccato mortali constitutus raperetur ad claram Dei visionem, nullâ infusâ gratiâ sanctificante, peccatum mortale eo ipso sublatum foret.

14. Contra. Nam aversionis à Deo formalitas alia est per modum cujusdam habitudinis à Deo Ultimo Fine, vel *formaliter*, velut in odio, vel *virtualiter*, velut in alijs peccatis, deflectentis, alia verò est per modum moralis offensionis Divinam Ultimi Finis Majestatem *affectivè* destruentis. At prior aversionis à Deo malitia utpote finita, licèt mediante contritione fit ad æqualitatem reparabilis, attamen posterior offensæ Divinæ malitia est infinitè excedens contritionis Bonitatem, utpote *essentialiter* finitam. Quare contritionis seu Dilectionis Dei actus non nisi *dispositivè*, ex vi tamen promissionis Divinæ, infallibiliter valet ad excitandam Divinam dilectionem causativam gratiæ, & hac mediante peccatorum remissivam. Et hinc, si dilectionem divinam non tam *signatè* consideremus, quatenus in subjecto amato respicit effectum seu formam talis dilectionis *secundùm quartum perseitatis modum formaliter* terminativam, & ut sic peccatorum *formaliter* remissivam, sed prout illa Dei dilectio *exercitè* est causativa formæ sanctificantis cum contritione, seu dilectione Dei infallibiliter connexæ, simpliciter verificatur, illum, qui diligit, à Patre fore diligendum dilectione gratiæ Justificantis causatrice. Si proinde de offensionis Divinæ Divinam Ultimi Finis Majestatem *affectivè moraliter* destruentis malitiâ infinitâ reparandâ sermo sit, tunc vel opus est satisfactione infiniti valoris, vel gratuitâ Dei condonatione. At verò sicuti illa peccati infinita malitia, Divinum odium concitando est causa divinæ quasi specificæ omnimodam hujus lineæ perfectionem *radicaliter* in se continentis participationis denegatæ, sic consequenter illius malitiæ infinitæ condonatio non fit nisi per dilectionem Dei *radicalem* omnimodæ divinæ quasi specificæ participationis contentivam formam causantis. Undè etiam formalis peccatorum secundùm illam infinitam offensionis divinæ malitiam remissio non fit, nisi per talem ex Deo transeuntem actionem, quæ sit formæ omnimodam divinam quasi specificam participationem *radicaliter*, seu *eminenter* in se continentis effectrix. Ejusmodi autem forma non est contritio. Nequit ergo per contritionem ex naturâ rei *formaliter* fieri remissio offensæ divinæ, ejusque malitiæ infinitæ, sed tum per gratiam Habitualem tanquàm *radicalem*, tum per visionem Beatificam tanquàm *eminentialem* omnimodæ Divinæ quasi specificæ participationis continentiam. Et hinc si posito actû contritionis, Deus non infunderet peccatori gratiam habitualem, tunc neque actus contritionis esset forma justificans, neque fieri posset positiva, sed negativa peccatorum remissio, uti *præced. Controv.* ostendimus. Secùs tamen foret, si existens in peccato mortali raperetur ad claram Dei visionem; siquidem ista per modum formæ omnimodam *quasi specificè* divinam participationem in se *eminenter* continentis, non minùs, quàm gratia Habitualis, sit peccatorum etiam *formaliter* remissiva; uti *præs. to. q. 2. a. 1. conc.6.* probatum est.

Urgebis. Non videri, qualiter visio Divinæ Essentiæ, non verò Dilectio Dei super omnia appretiativa, dici possit habere vim ex naturâ suâ *formaliter* expulsivam peccatorum. Probatur istud assumptum. Sicut enim actus dilectionis, sic actus visionis est forma intra lineam operationis in suâ potentiâ receptæ, atque hanc, non verò animæ substantiam *immediatè* afficientis coarctata. Cur ergo illi, non verò isti esset vis per naturam suam *formaliter* sanctificativa, & ut sic peccatorum remissiva? 15

Contra. Nam visio Beatifica aliter se habet quasi in concreto, prout per modum actionis Essentiam divinam unientis *concretè* spectatæ, importat ipsammet divinam Essentiam, per modum formæ intelligibilis unitam cum animâ, atque istius non quidem *physicè*, sed *individualiter* actuantem. Aliter verò se habet illa visio quasi *in abstracto*, secundùm suam præcisè entitatem, sub ratione vitalis Essentiam divinam cum animâ intelligibiliter unientis attractûs considerata. At sub istâ posteriori consideratione se habet visio Beatifica per modum formæ sub determinatâ operationis supernaturalis formalitate coarctatæ, non habentis ut sic eminentialem omnimodæ divinæ quasi specificæ participationis continentiam. Quare nec visio Beatifica ut sic, nec dilectio Dei est forma- 16

formaliter sanctificativa & remissiva peccatorum. At verò sub priori consideratione visio divinæ Essentiæ importat hujus communicabilitatem intelligibilem, in quâ ipsa Essentia & Intelligibilitas Dei increata in se *formaliter* spectata communicatur & unitur menti creatæ. Unde voluntas divina per suum Decretum hujus ad extra communicabilitatis præfinitivum, est effectiva excellentiæ, sub quâ anima beata secundùm ipsius etiam Essentiæ divinæ quà in se *intelligibiliter* expressæ, & intra se *intelligibiliter* ac *intentionaliter* susceptæ participationem efficaciter diligitur. At ista dilectio Dei non potest non odij divini ex peccato concitati non esse *virtualiter* translativa: sicuti ipsiusmet divinæ essentiæ secundùm seipsam intelligibilis intra animam intussusceptio non potest non *eminenter* esse contentiva omnimodæ divinæ quasi specificæ ad extra participationis. Constat proinde, tum quòd dilectio divina visionis Beatificæ causativa sit causalis peccatorum remissio, tum quòd ipsa Beatifica ex illâ divinâ dilectione procedens visio *concretè* spectata sit *formaliter* remissiva peccatorum. At secus se habet res respectu actûs dilectionis Dei. Probatur

17. istud assumptum. Quia per actum dilectionis ipsa divina Essentia secundùm Esse etiam intentionale non suscipitur intra animam, sed ista rapitur extra se ad Deum, ceu motivum ad se attractivum super omnia diligendum. Unde per istam dilectionem non habet anima in se communicabilitatem quasi *specificè* divinam nisi creatæ dilectionis actûs entitati propriam, ut sic coarctatam, nec omnimodæ divinæ quasi specificæ ad extra participationis *Eminenter* seu *radicaliter* contentivam. Hinc verò etiam fit, quòd neque Decretum divinum talis actûs dilectionis effectivum habeat rationem Dilectionis, vi cujus simpliciter quoad efficaciam scilicet divinæ quasi specificæ *radicaliter* saltem, seu *eminenter* omnimodæ participationis causatricem, odium Dei ex peccato mortali concitatum sit *virtualiter* sublatum. Constat proinde, actum visionis Beatificæ in concreto quasi spectatæ, non verò actum Dilectionis Dei habere vim *formaliter* sanctificativam, & peccatorum remissivam, eò quòd illa, non verò ista sit ipsius divini intelligibilis Esse in seipso intra animam susceptio, atque adeò divinæ quasi specificæ participationis *eminenter* omnimoda communicatio.

Responsio ad opposita fundamenta.

18. AD 1. *n.* 1. oppositum Respondetur. Contritionem, quatenus est conversio ad Deum, esse quidem aversivam à peccato, & Fine Ultimo Charitati contrario, hinc tamen non habere vim solvendi peccatum, nisi quatenus istud est aversio se habens per modum habitudinis à Deo Ultimo Fine deviantis, non verò quatenus est aversio se habens per modum offensionis primam Dei Majestatem, & Ultimi Finis in illâ radicati Jus *moraliter affectivè* destruentis. Ergo non posse contritionem se solâ sufficere ad peccatum mortale *formaliter* remittendum, atque ad justificandum & sanctificandum peccatorem.

19. Ad 2. *n.* 2. oppositum Respondetur. Aliter esse loquendum de contritione & dilectione Dei, prout *exercitè* se habet de facto. Ut sic autem est infallibiliter connexa cum gratiâ Habituali, & charitatis virtute, imò ab istâ *Effectivè* procedit, uti *præcedent. artic.* ostendimus. Et hinc verissimum est, quòd vi contritionis taliter diligatur Deus tanquàm amicus non *terminativè* duntaxat, & sed etiam *subjectivè* & *effectivè*; ita scilicet, ut non tantùm divinæ Bonitatis super omnia appretiabilitas prout amicitiæ amorem fundat, purè propter seipsam attingatur, ut formale motivum, sed insuper amor hujusmodi sit conjunctus cum Excellentiâ formæ sanctificantis reciprocum Dei, hominem contritum redamantis, amicitiæ amorem fundantis, imò *Effectivè* procedat à charitatis virtute, & Habituali gratiâ, ceu formâ hominis in Esse amici erga Deum constitutivâ. Aliter proinde loquendum esse de contritione ac dilectione Dei, prout *signatè* consideratur secundùm suam præcisam naturam & efficacitatem intrinsecam. Ut sic autem vi talis actûs diligit Deum, ut amicum purè *objectivè* ac *terminativè*. Ejusmodi verò amorem amicitiæ erga Deum per naturam suam *dispositivè*, & secundùm divini, prout de facto est, Decreti efficaciam *effectivè* esse conjunctum cum Dei redamante amore, attamen *formaliter* & *subjectivè* non esse constitutivam hominis in Esse amici, nec adeò esse transformativam hominis in Deum, nisi *affectivè* ac *terminativè*, non autem *formaliter subjectivè* secundùm perfectam & *radicaliter* omnimodam divini quasi specifici gradûs communicationem intrinsecam, sed imperfectam, sub unius determinatæ speciei voluntatem duntaxat actuantis lineâ coarctatam, operationis quasi divinæ participationem.

Ad 3. *n.* 3. oppositum Respondetur. Eo ipso, quòd contritio non simpliciter sit divini specifici gradûs participatio etiam radicalis, sed secundùm quid duntaxat, idcirco contritionis naturâ *signatè* spectatâ, hominem contritum vi talis contritionis in ordine participationis quasi divinæ placere Deo secundùm quid duntaxat, eò vel maximè, quòd peccator contritus inspectâ ratione infinitæ malitiæ ex peccato mortali quà divinæ Majestatis offensivo & *moraliter affectivè* destructivo contractæ, nequeat dici, habere tantum bonitatis ad placandum Deum, quantum habebat malitiæ ad displicendum. Et hinc per solum dilectionis actum non immutari subjectum sufficienter, ut eo ipso sit terminativum Dilectionis Dei simpliciter sub divinæ quasi specificæ participationis *Esse* hominem redamantis, nec adeò ex vi talis actûs ut sic *formaliter* constitui subjectum Deo gratum & Sanctum, seu Justum coram Deo, quamvis ad istos effectus formales *dispositivè* eatenus concurrat, ut tunc in actu quasi exercito, prout Decreto divino tam contritionis, quàm gratiæ Habitualis insuperabiliter effectivo *exercitè* substat, omnes illi effectus formales attribui soleant, non quidem in sensu formali, sed causali. 20.

Ad Serræ *n.* 4. opposita fundamenta Respondetur. Vi dilectionis Dei super omnia appretiativæ eatenus constitui peccatorem Deo dilectum, ut per seipsam *formaliter* sit terminativa Dilectionis Divinæ, specificam Deitatis participationem sub operationis tamen alicujus determinatæ formalitate coarctatâ efficientis. Vi cujus adeò divinæ dilectionis contritus sub ratione divinæ quasi specificæ participationis denominatur dilectus non simpliciter, sed secundùm quid 21.

dunta-

duntaxat. Insuper dilectionem Dei ex se ipsâ *dispositivè* conferre ad formam gratiæ sanctificantis, vi cujus peccator contritus simpliciter dicatur Deo dilectus. Hinc autem evinci, quòd contritio non *formaliter*, sed *dispositivè* duntaxat per naturam suam sit taliter sanctificativa, ut vi tamen Decreti divini, contritionem unà cum gratiâ sanctificante inseparabiliter causantis, imò contritionem ex ipsâmet gratiâ sanctificante *radicaliter*, & ex infuso charitatis habitu *immediatè* fluere facientis, eatenus *in actu exercito* dici debeat sanctificativa, ut quisquis diligit Deum, vi illius Decreti, eo ipso sit *ex Deo* secundùm generationem quasi divinam, gratiæ sanctificantis ex animâ contritâ eductivam. Et hinc disparem esse rationem inter visionem, & dilectionem Dei, quòd illa, non verò ista, omnimodæ divinæ *quasi specifica* participationis continentiam eminentialem importans, sit *formaliter* sanctificativa, & ut sic peccatorum remissiva; uti patet ex dictis *supra*.

CONTROVERSIA IV.

An gratia sanctificans sit taliter expulsiva peccati mortalis, ut ne quidem per absolutam Dei potentiam, posset componi cum culpâ lethali?

1. SCotus *in 1. dist. 17. in sol. quæst. 1. & in 2. dist. 28. & 35. q. 1. litt. T. & in 4. dist. 1. q. 1. ad 5.* Item *q. 6. litt. D. & dist. 14. q. 2. ab initio & dist. 16. q. 2. n. 5.* Hicquæus *ibi. in Comment. n. 35. ac seq.* Mastrius *cit. disp. 7. q. 2. a. 1.* negantes physicam peccati mortalis cum gratiâ oppositionem, nec nisi moralem & demeritoriam peccati cum gratiâ repugnantiam adstruentes; consequenter asserunt, fieri posse per absolutam Dei potentiam, quòd gratia sanctificans simul esset cum culpâ mortali. Quibus accedunt Suarez *3. par. to. 4. de Pœnit. disp. 9. sect. 3. §. Ex his.* & *lib. 7. de grat. cap. 19. & 20.* Curiel *1. 2. q. 113. art. 2. dub. 3. §. 2.* Coninch *de actibus supernat. disp. 21. dub. 8. concl. 3.* Fundamenta efficaciora per Mastrium *citatum à n. 47.* deducta, sunt. 1. Quia si aliqua circa peccati mortalis cum gratiâ componibilitatem esset repugnantia, non posset fundari nisi in oppositione, quæ inter gratiam, & peccatum reperitur. At ista oppositio non est *physica* & *ex natura rei*, sed tantùm moralis & *ex ordinatione divina*; atque adeò per absolutam Dei potentiam, utpote ab istâ Dei ordinatione independentem superabilis. Minor probatur. Quia peccatum, & gratia non sunt opposita ex eorum *physicâ entitate*; sed præsertim *ratione effectuum*, quos causant, reddendo hominem justum, vel injustum amicum Deo, vel inimicum, dignum gloriâ, vel indignum. At isti effectus & similes non conveniunt gratiæ & peccato, nisi dependenter à lege Dei, ac ordinatione divinâ. Ergo spectatâ Dei potentiâ absolutâ, quæ à tali ordinatione jam positâ præscindit; nulla remanet inter gratiam, & peccatum oppositio, atque ideò poterunt simul componi.

2. 2. Si enim gratia, & peccatum ex naturâ rei & ratione suarum entitatum opponerentur; oporteret, istam oppositionem vel esse *relativam*; quod nemo concedet, vel *contradictoriam*, cui obstat, quòd peccatum non sit pura negatio, cùm sit in subjecto gratiæ capaci, nec adeò peccatum & gratia opponuntur ut affirmatio & negatio; vel *contrariam*; cui obest, quòd ista oppositio sit inter formas positivas, peccatum autem non sit aliquid positivum reale; vel denique *privativam*. At contra est, quòd peccatum actuale consistat in privatione actuali honestatis debitæ inesse actui, non in privatione gratiæ; Habituale verò vel in dignitate ad pœnam & reatu, vel in permanentiâ morali ejusdem actûs nondum retractati, & condonati, nec nisi *materialiter* & *concomitanter* involvat privationem Habitûs gratiæ. Hoc autem verum est de facto & regulariter, juxta leges jam statutas, non autem absolutè loquendo, & ex naturâ rei. Ergo absolutè & simpliciter loquendo, nec *privativè* opponuntur. Ergo repugnantia compositionis peccati cum gratiâ in eorum oppositione sufficienter fundari non potest.

Econtra Cajetanus *2. 2. q. 24. a. 10. & 12.* Bannes *ibidem.* Zumel *1. 2. q. 113. a. 2. dub. 4.* Medina *ibidem.* Serra *ibi. dub. 4.* Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 24. a. 3. & in 2. 2. disp. 16. a. 1. n. 4. & 10.* physicam peccati mortalis cum gratiâ habituali oppositionem adstruentes, consequenter negant, posse per absolutam Dei potentiam subsistere gratiam cum culpâ lethali. Quibus adstipulantur Argentinas *in 3. dist. 19. a. 1. concl. 1.* Mayron *in 4. dist. 14. q. 2. §. 2. in fin.* Vasquez *1. 2. disp. 204.* Turrianus *opusc. 6. de forma sanctif. 2. dub. 4.* Granados *tract. 9. de char. disp. 9.* Amicus *præs. disp. 32. n. 13.* & alij. Fundamentum 1. per Ioannem à Sancto Thomâ deductum est. Quia macula habitualis peccati, utpote importans *formaliter* privationem gratiæ; cum istâ neque per absolutam Dei potentiam est componibilis. At peccatum actuale semel positum in subjecto ita necessariò infert illam maculam, quòd nec de potentiâ absolutâ possit impediri. Minor probatur. Quia peccatum est actus deordinatus procedens à toto supposito. Ergo hoc ipso, quòd procedit ab illo, sicut non potest Deus impedire, quòd denominet subjectum operans, à quo egreditur, ita nec potest impedire, quòd denominet subjectum inordinatum & aversum à fine, quia esse aversũ & inordinatum non est aliud, quàm operari *inordinatè*. Si autem subjectum semel denominatur aversum à fine in egressione actûs, etiam transeunte actu inordinatum manet; quamdiu talis actus non retractatur. Ergo semel posito actu peccati, & non positâ retractatione, implicat, impediri illam privationem rectitudinis, quæ est macula, & multò magis repugnat in illo instanti, in quo peccatum est in subjecto, quia tunc fit ipsa privatio, & quasi resultat. Implicat autem, quòd in eo instanti quo aliquid producitur, aut resultat, destruatur, & non sit. Ergo implicat, quòd tunc gratia infundatur de novo, aut non destruatur antiqua.

Fundamentum 2. ab Amico *citato* deductum est. Gratia *suâ naturâ* constituit hominem objectum divinæ amicitiæ, peccatum actum objectum divinæ inimicitiæ. At Deus necessariò diligit diligibilia, & odit odibilia juxta eorum diligibilitatem, & odibilitatem. Implicat autem, ut Deus eundem diligat speciali amore amicitiæ; 4.

citiæ, & simul odio habeat speciali odio inimicitiæ. Probatur istud assumptum. Cùm enim nequeat Deus de novo diligere, vel odisse per mutationem sui actûs, debet de novo diligere, vel odisse per mutationem creaturæ. Et quia actus divinus in ratione liberi amoris, vel odij essentialiter completur per connotationem hujus mutationis ad extra, talis mutatio, ut essentiale connotatum, debet esse apta complere, & quasi specificare talem amorem, vel odium Dei. Nequit autem esse talis, nisi per se sit objectum specialis amicitiæ & inimicitiæ. Unde nequit Deus speciali amore amicitiæ diligere aliquem, quin communicet illi donum amicabile, nec odisse potest odio specialis inimicitiæ, quin ab eo subtrahat idem donum amicabile. At implicat, ut eidem simul conferat, & auferat idem donum amicabile, simul diligat, & odio habeat. Cùm igitur gratia naturâ suâ constituat hominem objectum divinæ amicitiæ, peccatum verò objectum divinæ inimicitiæ, consequenter implicat gratia & peccatum simul.

CONCLUSIO.

GRatia sanctificans respectu peccati Habitualis quidem *immediatè*, respectu verò peccati actualis, mediante divini ex ipsâ contra peccatorem inevitabiliter excitati odii efficacitate, habet oppositionem privativam Divinitùs insuperabilem, nec adeò per absolutam Dei potentiam fieri potest, quòd cum peccato mortali simul stet gratia Habitualis.

5. Probatur. Nam malitia peccati mortalis essentialiter constitutiva importat moralem Dei quà Ultimi Finis, ejusque in primâ Majestate radicati Juris supremi offensionem, seu affectivam destructionem. Hæc autem affectiva destructio fundamentaliter dicit ipsum voluntatis actum, objectum sub primæ Majestatis, & Ultimi Finis jure illicitum eatenus prosequentis, ut hujus divini Juris offensio ac læsio sit eo ipso *interpretativè* saltem ac *indirectè* voluntaria. Ex cujusmodi adeò voluntatis actu resultat privatio, ipsius divini in Primâ Majestate ac Ultimo Fine radicati Juris *affectivè moraliter* destructiva. Ista proinde privatio, malitiam in genere moris simpliciter infinitam importans, eatenus est terminativa divini eam execrantis odij, ut istud Dei odium & execratio redundet in ipsam animam peccatricem, ejusque substantiam, utpote ex quâ *vitaliter, radicaliter* saltem sit non tantùm emanans malitia ejusmodi, sed eandem in ipso suæ substantiæ fundo, tanquàm subjecto *Quod intrinsecè* afficiens. At verò sicuti dilectionis Divinæ ea est efficacia, ut Bonitatis, quam supposito alicui vult, sit *actualiter* effectrix, sic execrationi divinæ efficacia est, *Negativè* quasi causandi privationem bonitatis in illo genere, in quo Deus aliquem odio habet. Eo ipso autem, quòd divini adversùs animam peccatricem odij formale quasi motivum sit malitia, Juris divini in Primâ Dei majestate, & Ultimi Finis ratione radicati *moraliter affectivè* destructiva, sequitur, talem animam à Deo simpliciter execrari, & odio haberi sub genere omnimodæ in Deum Finem Ultimum ordinabilitatis. Ergo per efficaciam talis divinæ execrationis insuperabiliter fit in animâ peccatrice destructio talis in Deum Ultimum Finem ordinabilitatis. At gratia sanctificans *essentialiter* importat quasi *substantialem & radicalem* omnimodæ in Deum Ultimum Finem ordinabilitatis *eminentiam & continentiam virtualem*. Oportet igitur, peccatum actuale, divinum adversùs animam peccatricem odium excitando, mediante istius divinæ execrationis efficaciâ esse insuperabiliter destructivum gratiæ sanctificantis, adeòque istius privationis inductivum. Est autem impossibile, gratiam per absolutam etiam Dei potentiam, simul componi cum suâ privatione, atque adeò cum peccato hujus privationis, per divinæ adversùs peccatorem execrationis efficaciam, insuperabiliter inductivo. Patet igitur, peccatum etiam actuale habere cum gratiâ sanctificante mediatam privativam physicam oppositionem, divinæ virtutis potentiâ etiam absolutâ insuperabilem.

Dices. Malitiam divini Juris *moraliter* destructivam in culpâ lethali importatã, se tenere ex parte actûs duntaxat mortaliter peccaminosi, ut sic affectivam illius divini Juris offensionem *indirectè* ac *interpretativè* intendentis. Quare divinæ ex illâ malitiâ excitatæ execrationis efficaciam non videri extendendã ad ipsam animæ substantiam, nisi sub illo ordine, sub quo est *radicaliter* saltem causans illam malitiam actui mortaliter peccaminoso inexistentem. At sub isto actûs mortaliter peccaminosi præciso ordine, divinæ execrationis efficaciâ non debere necessariò vim habere ad inducendam privationem alterius in Deum ultimum Finem ordinabilitatis, quàm illius, quæ ipsimet actui morali quà tali, debita esset. Quocirca gratiæ sanctificantis, ceu Habitualis in Deum Ultimum Finem ordinabilitatis destructionem non ex ipsâ naturâ rei, sed *moraliter* ac *demeritoriè* duntaxat videri causandam ex peccato mortali. 6.

Contra. Nam ratio formalis illius Divini odij per se concitativa est peccati mortalis malitia infinita, ipsam animæ substantiam, ceu radicale principium, & tanquàm *subjectum Quod intrinsecè* afficiens. Ista verò malitia non tantùm est alicujus in Deum ordinabilitatis, sed ipsius in primâ Dei Majestate, & Ultimi Finis ratione radicati Juris *moraliter affectivè* destructiva. Unde Deus execratur animam peccatricem sub infinitâ per animam causatâ, & in se receptâ malitiâ, quà Increati Juris divini, Primæque Majestatis, & Ultimi Finis moraliter destructivâ. Sicuti verò divina per Ultimi Finis, ipsiusq; adeò Deitatis *formalissimè* spectatæ gradum quasi specificum, tanquàm formale motivum, respectu alicujus ad extra communicabilis effectûs, *in Quarto perseitatis genere* specificata dilectio, ex istâ suâ specificatione habet efficaciam gratiæ habitualis, ceu *primæ quasi substantialis & radicalis*, gradum Deitatis & Ultimi Finis quasi specificum idealiter participantis supernaturalis formæ causatricem. Sic divina per malitiam Ultimi Finis, ipsiusque adeò Deitatis, ut sic gratiam sanctificantem in se exemplantis, *moraliter* destructivam, tanquàm formale motivum, in ordine ad aliquem *Negativum* quasi effectum *in Quarto perseitatis genere* specificata execratio, ex vi hujus specificationis habet eo ipso efficaciam gratiæ sanctificantis insuperabiliter destructivam. Con- 7.

stat proinde, illam divinam ex peccato mortali excitatam execrationem ex suâ formali specificatione habere efficaciam gratiæ sanctificantis insuperabiliter destructivam.

8. Confirmatur. Nam suppositâ licèt reali inter Essentiam & Existentiam in rebus creatis distinctione, essentia tamen habet cum existentiâ connexionem essentialem divinâ etiam absolutâ potentiâ insuperabilem. At hæc ipsa Divinitùs insuperabilis connexio reduci debet in divinam causalitatem Idealem, ne alioquin dicatur divina potentia per quandam creatam formalitatem ad efficientiam alterius formalitatis ligari posse non tam ex ipsamet divinæ ideationis Immobilitate, quàm ex illâ creatâ formalitate, quà creatâ & secundùm se spectatâ. Ista] verò divinam absolutam potentiam respectu existentiæ necessariò producendæ ex productionis ad essentiam terminatæ hypothesi obligans connexio, ex hoc videtur reducenda in divinam intrinsecam perfectionem, quòd, cùm Deus sit suum Esse subsistens, ipsaque adeò potentiæ ad extra causativę formalitas sit ut sic specificata per Esse, oporteat, ejus Terminum *in Quarto perseitatis genere per se* productum eatenus importare *formaliter* actualitatem existendi, ut consequenter nullus ad extra sit producibilis Dei effectus, nisi sub actualitate existentiæ. Pari proinde ratione cùm divini animam peccatricem execrantis odij excitatio, & ad extra *in quarto perseitatis genere* specificatio sit ex respectu ad peccati mortalis malitiam, quà Ultimi Finis, atque adeò Deitatis ut sic gratiam sanctificantem in se *formalissimè* exemplantis *moraliter* destructivam, fit consequens, talis odij efficaciam ex ipsâmet Ultimi Finis ac Deitatis primâ Majestate eatenus esse specificatam, ut sic ex vi talis specificationis per se *in Quarto perseitatis genere* habeat vim ab intrinseco insuperabilem ad gratiæ sanctificantis destructionem.

Responsio ad opposita fundamenta.

9. AD *n. 1. & 2.* oppositum Respondetur. Negando, quòd peccati mortalis & gratiæ Habitualis oppositio non sit physica, & secundùm naturam rei. Quam proinde oppositionem non quidem *immediatè*, sed mediante gratiæ habitualis privatione per divinum ex peccato mortali inevitabiliter excitatum odium execrativam invictissimam efficaciam *negativè* quasi causatâ reduci debere ad genus repugnantiæ privativæ, Divinâ etiam absolutâ potentiâ omninò insuperabilis.

✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA IV.

An, & qualiter per gratiam Habitualem fieri possit culpæ venialis remissio?

1. NOn intendimus hîc ex instituto agere de venialium remissione, sed de hâc agemus *in materiâ de Pœnitentiâ.* Et quidem gratia sanctificans tripliciter intelligi potest se habere ad venialium remissionem. 1. *causaliter* per modum causæ tum *mediatè* Efficientis, tum *formaliter* Dignificantis opus supernaturale venialium remissivum. De quo influxu disserui in præallegato loco, hîc supponimus, ipsum omninò esse necessarium pro venialium remissione. Ratio est. Quia si venialia insint homini ingratiâ existenti, tunc actus supernaturalis *ex opere operantis* extra Sacramentū remissivus venialium efficienter *mediatè* fluit ex gratiâ sanctificante, & per hujus condignitatem *formaliter dignificativè* constituitur sub ratione valoris satisfactorij condigni tali remissione. Si verò venialia sint juncta mortali, tunc vi contritionis tanquàm satisfactionis congruæ ex opere operantis, seu virtute Sacramenti ex opere operato in uno indivisibili instanti simul remittuntur mortale & venialia peccata. Nihilominùs, cùm peccati mortalis macula importet amicitiæ privationem, macula autem peccati venialis dicat privationem familiaritatis cum Deo, ista verò familiaritas consistat in aliquali debito specialium gratiæ auxiliorum, quibus Deus se homini communicat per internas illustrationes, & affectus singulares: hoc verò illustrationum gratiæ auxiliorum debitum *intrinsecè* supponat gratiam Habitualem, tanquàm primam suam radicem. Idcircò remissio venialium prioritate naturæ supponit gratiæ Habitualis infusionem, adeòque peccati mortalis expiationem. Hinc autem rursus fit, quòd gratia sanctificans pro illo priori sit contritionem tum *efficienter mediatè* causans, tum *formaliter* dignificans, atque adeò constituens in ratione meriti seu satisfactionis condignę in ordine ad venialium remissionem.

2. Proinde intelligi potest gratia sanctificans *concomitanter* se habere ad venialium remissionem, dum scilicet opus venialium remissivum sit conjunctum cum novæ gratiæ, seu hujus augmenti infusione. Cujus equidem decisio pendet ex illâ difficultate; *An quilibet actus supernaturalis in statu gratiæ factus eatenus sit de condigno meritorius alicujus gratiæ augmenti, ut illud pro illo statim instanti, in quo existit actus ejusmodi infundatur?* Et quia *seq. q. a. ult.* decidemus, casu, quo opus supernaturale sit in gradu remissiori, quàm gratia, pro tunc animæ ob dispositionis proportionatæ defectum non fieri statim novi gratiæ augmenti infusionem, sed pro instanti aliquo consequente, in quo anima prorumpit in actum ferventiorem. Idcirco fit consequens, pro tali casu vi supernaturalis licèt remissioris per gratiam dignificati actûs, fieri posse aliquorum venialium remissionem, quin pro tali instanti *actualiter* infundatur novum gratiæ augmentum, sed istud in aliquâ sui quasi radice sit repositum, & ponendum in actu, quando anima per actum intensiorem gratiæ intensiori proportionatum se disponet.

3. Denique intelligi potest gratia sanctificans ad venialium remissionem se habere *formaliter*, dum scilicet est *formaliter* expulsiva venialium. In cujus discussione hic ponderabimus; *Qualiter gratia sanctificans per intrinsecam suam naturam inexistat formalitas, quæ vel ex vi aliqualis cum venialibus oppositionis, vel eminentialis cujusdam ad expulsionem venialium virtutis horum sit extinctiva?*



Referuntur Sententiæ.

3. PRima sententia Scoti *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. simpliciter est negans, quòd gratia sit ullo modo necessaria ad venialium remissionem. Fundamentum est. Quia veniale *formaliter* consistit in reatu pœnæ temporalis. Quâ proinde solutâ, remittitur. At solvi potest pœna temporalis sine gratiâ, per solam perpessionem pœnæ. Unde veniale potest remitti etiam in inferno per solutionem pœnæ temporalis.

4. *Secunda* Divi Bonaventuræ *cit. dist.* 21. *par.* 1. *art.* 1. *q.* 1. sententia affirmat: Peccata Venialia per gratiam gratum facientem deleri, sicut peccata mortalia. Fundamentum est. Omne enim peccatum eo ipso, quòd peccatum sit, aliquo modo animam defœdat, & aliquo modo ipsa deordinatur & aliquo modo displicet Deo. At nota displicentiæ etiam minima, quæ esse possit, sine habitu gratiæ, qui reducit ad complacendum & ad amicitiam, auferri non potest. Ergo tenendum omnino est de omni peccato generaliter, nullum omninò deleri sine gratiâ gratum faciente: sic enim decrevit sanare Divina misericordia.

5. *Tertia* Divi Thomæ 3. *p.q.* 87. *a.* 2. sententia tenet, adhoc, ut peccatum veniale tollatur, non requiri, quòd infundatur aliqua gratia habitualis, sed ad ejus remissionem sufficere aliquem motum gratiæ, vel charitatis. Fundamentum est. Quia unumquodque tollitur per suum oppositum. At peccatum veniale non contrariatur Habituali gratiæ, vel charitati, sed retardat actum ejus, in quantum homo nimis inhæret bono creato, licèt non contra Deum. Ergo ad hoc, ut peccatum veniale tollatur, non requiritur, quòd infundatur aliqua Habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis. Nihilominùs quia in habentibus usum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit, esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum: ideò quandocunque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.

CONCLUSIO.

GRatia sanctificans non in vi oppositionis formalis, sed eminentialis cujusdam virtutis, habet vim tum *mediatè* & *causaliter*, tum *immediatè* seipsâ expulsivam peccati venialis.

6. Probatur. Hoc enim discriminis est inter oppositionem formalem cum vi oppositi expulsivâ conjunctam, & virtutem formæ alicujus è subjecto *eminenter* expulsivam: quòd illa sit ex seipsâ *intrinsecè* determinata ad tollendum oppositum, sicut patet in calore, & frigore per contrarietatem *immediatè* se invicem expellentibus è subjecto, nec non in tenebris, ac luce, itarum *immediatè formaliter* expulsivâ è subjecto. E contra eminentialis vis formæ alicujus, seu deficientiæ ex subjecto expulsiva, mediante aliquâ virtute per ipsam causatâ, seu mediante impressione quâdam in se receptâ, inducit actualem alicujus formæ seu deficientiæ expulsionem, uti patet tum in luce solis expulsivâ frigoris non per se *immediatè*, sed mediante calore emanante ex tali luce, tum in ipsâmet gratiâ sanctificante, habente vim ænigmaticæ obscuræ fidei cognitionis non *formaliter*, sed *eminenter*, & *virtualiter* expulsivâ, mediante lumine gloriæ, in ordine ad quod habet exigentiam connaturalitatis. At peccata venialia, cùm nullam habeant formalem immediatam oppositionem cum gratiâ, sed cum actibus & fervore charitatis, non sunt ex seipsis *formaliter immediatè* expulsiva venialium. Nihilominùs gratia sanctificans potest *ex opere operantis* venialium esse remissiva, mediantibus actibus supernaturalibus ex radicali ipsius vi *mediatè* saltem procedentibus. Ut sic autem gratia Habitualis est extinctiva venialium *eminenter causaliter*. Deinde potest vi sacramenti *ex opere operato* fieri remissio venialium, quatenus gratia sanctificans procedit ex causalitate divini Decreti, gratiam Habitualem ex respectu ad Christi merita in sacramento *virtualiter* causantis cum ordine ad venialium remissionem. Tunc autem gratia Habitualis sub tali individuali ut sic ex illo Divino Decreto *causaliter* determinatâ actione est *eminenter formaliter* extinctiva venialium. Constat igitur, qualiter gratia sanctificans sit peccatorum venialium *eminenter* tum *formaliter*, tum *causaliter* eatenus remissiva, ut teste Divo Thomâ *cit. q.* 87. *a.* 4. remissio culpæ cujuscunque etiam venialis nunquam fiat nisi per virtutem gratiæ Habitualis. Et hinc facilè patet, falsum esse fundamentum *n.* 3. oppositum. Patet etiam contra fundamentum *n.* 4. oppositum, quòd, licèt peccatum veniale sit animæ defœdatio, non tamen sit istam *formaliter* maculans quoad radicem Esse supernaturalis, sed quoad aliquam actûs in gratiâ *connaturaliter* radicati puritatem. Unde talem etiam maculam esse divinæ non *simpliciter*, sed *secundùm Quid* Displicentiæ terminativam. Cujusmodi adeò maculam non simpliciter *formaliter*, sed *virtualiter* & *causaliter*, seu *formaliter Eminenter* duntaxat auferri per gratiam sanctificantem; uti probat Doctoris Angelici *n.* 5. deductum fundamentum.

COROLLARIUM.

INfertur 1. *Qualiter Justificatio impij sit opus omnium maximum*? Etenim magnitudo operis pensari potest tum ex parte modi agendi, tum ex parte rei factæ. At ex parte modi agendi aliquid est maximum, quatenus ipsa actio rei factiva est à Deo *intrinsecè* per summam seu puram Essendi actualitatem specificata, cujusmodi est sola creatio. Unde Justificatio impij *purè inchoativè* & *originativè* spectata, prout se tenet per modum actionis Deo immanentis est quidem ex parte etiam modi agendi maxima: attamen *Terminativè* & *consummativè* considerata, cùm importet partim actionem Dei transeuntem, gratiæ sanctificantis ex animæ substantiâ eductivam, partim ipsammet creatam Habitualem gratiam quà peccati mortalis *formaliter* remissivam: consequenter quoad modum agendi est inferior creatione. At verò ex parte rei factæ in justificatione impij *formaliter* importatur Divinitatis sub gradu quasi specifico participatio, ut sic omnimodam sub tali divinæ quasi specificæ participationis lineâ perfectionem supernaturaliter *radicaliter* in se continens. Est autem per se manifestum, talem for- 7.

mam

mam esse simpliciter omnium perfectissimam, ita ut visio Beatifica quasi concrete, prout non præcisum Divinitatis, ut est in se, intelligibiliter expressæ attactum vitalem, sed ipsammet divinæ Essentiæ, ut est in se, intelligibilem purissimè actuatam expressionem, seu formam in Esse intelligibili cum intellectu intentionaliter unitam, ejusque ut sic informativam includi, sit quidem perfectior forma sanctificante, hæc tamen superexcedat tum actionem visionis Beatificæ quasi à stractè pro præcisâ creatâ Divinitatis in se intelligibiliter expressæ intentionali unitione & attactu vitali consideratæ; tum actionem Verbi Divini cum humanâ naturâ unitivam, sub præciso istius actionis conceptu, non autem sub formali per Verbi Hypostasin Humanitati communicatâ subsistendi actualitate spectatam. Consequens proinde est, Formam Justificantem inter omnes creatas formas esse perfectissimam. Hujus autem formæ sanctificantis duplex est effectus formalis, alter est justificatio cum jure Filiationis Dei adoptivæ, ac hæreditatis, alter verò est remissio peccatorum. Etsi verò gratia sanctificans hujus utriusque effectûs formalis perfectionem quoad actum quasi primum in suâ essentiali entitate contineat, actualis tamen ad secundarium remissionis peccatorum effectum formalem determinatio exercitè fit ex vi specialis actionis, ex divino peccatorum remissionis præfinitivo Decreto emanantis, ut sic quoad individuale perfectione excellentioris actione formâ Justificantem in ordine ad primarium duntaxat Justificationis, non autem secundarium remissionis peccatorum effectum conferente. Unde etiam fit, quòd Justificatio quoad istam majorem individualem actionis formam Justificantem conferentis perfectionem, sit perfectior sanctificatione primorum hominum, & Angelorum, quibus eadem secundùm speciem forma Justificans erat Divinitùs infusa, per actionem tamen individualiter imperfectiorem, quàm sit infusio gratiæ peccatori collatæ. Manifestum igitur est, quòd justificatio impij extensivè sit opus omnium maximum, ut ipsam etiam primorum hominum & Angelorum sanctificationem, ex parte actionis formam Justificantem efficientis, superexcedat.

8. Infertur 2 *Qualiter Justificatio impij dici possit miraculosa?* Nam secundùm Divum Thomam 1. 2. q. 113. a. 4. potest tripliciter considerari. 1. ex parte virtutis agentis. Sic autem quia Justificatio solius Dei virtute est factibilis, dici potest *aliqualiter* miraculosa, non tamen *simpliciter*, cùm neque creatio solius Divinæ virtutis propria sit absolutè loquendo miraculosa. 2. Ex parte subjecti. Quamvis autem anima non habeat naturalem, sed obedientialem duntaxat respectu gratiæ capacitatem; in statu tamen elevationis habet morale Debitum sanctificantis gratiæ. Et hinc Justificatio ex parte subjecti non dicitur miraculosa, sicut econtra resuscitatio mortui ex parte etiam subjecti importat miraculum, quatenus nimirum materia prima neque capacitatem, neque ullum habet Debitum respectu animæ, per resurrectionem; sed mediante actione duntaxat generativâ suscipiendæ. 3. Ex parte modi agendi præter solitum & consuetum rerum ordinem. Etenim homo modo plerumque ordinario ex motione Divinâ justificatur. Ut sic autem Justificatio nequit magis dici miraculosa, quàm si homo infirmus consueto modo sanetur. Quòd si verò modo extraordinario divinitùs moveatur homo ad justificationem, veluti quando Divus Paulus fuit conversus, tunc fit æquè miraculosè, ac si infirmus subitò ac citò sanaretur.

Infertur 3. *Qualis possit haberi certitudo Justificationis?* Nam 1. cum Sancto Thomâ 1. 2. q. 112. a. 5. & Theologis communiter negandum est, absque speciali Dei revelatione posse justum de suâ Justificatione in hac vitâ esse certum certitudine physicâ, cui non possit subesse falsum. Cujus ratio desumitur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de Justif. cap. 9.* ita definiente: *Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, & Christi merito, deque sacramentorum virtute, & efficaciâ dubitare debet: sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* At verò licèt istud Decretum procedat de solâ Fidei certitudine, ratio tamen ex nostrâ indispositione desumpta, probat de quâlibet physicâ certitudine, siquidem ad valorem sacramenti, quo justificamur, requiratur tum intentio, tum potestas legitima ministri, quarum non nisi moralem habere possumus certitudinem, neque de actu contritionis seu Dilectionis Dei supernaturali, quo ex opere operantis valeamus justificari, possimus physicè certi esse. 9.

2. Affirmandum tamen est, posse justum de suâ justitiâ *moraliter* certum esse, certitudine excludente actualem formidinem, non autem moralem formidandi potentiam. Ratio est. Ea enim sanctitatis adeptæ signa habere, eoque lumine, & Spiritûs Sancti illustratione circa gratiam in se habitantem quis illustrari potest, ipso Spiritu Sancto, quòd simus Filij Dei, reddente Spiritui nostro testimonium, ut tunc verè locum habeat illud. *Joan. 4. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Nihilominùs extra specialem revelationem istud Spiritûs Sancti Testimonium non est aliud, quàm lumen aliquod ex supernaturalibus Divinarum virtutum & Donorum charitatis præsertim actibus abstractum, eam in nobis de Spiritu Sancto inhabitante certitudinem firmans, ut tamen inferior sit fidei certitudine, ut pote fundata super lumine duntaxat creato ex supernaturalibus actibus abstracto, non autem super ipsâmet Divinâ Primâ Veritate. Etsi verò istud ipsum mediante Dono Intellectûs abstractû lumen secundùm se sit certum, secundùm nos tamen non habet omnem certitudinis evidentiam, ut ipsius etiam gratiæ quà inexistentis sit evidenter demonstrativum, quia potiùs timere possimus, ne aliquâ fucata lux ex parte imaginativæ per Dæmonem fortassis excitata sit ad securitatem quandam periculosam nobis inijciendam. 10.

Neque obstat, quòd, sicut ex istâ universali propositione: *Successor Petri est in terris Christi Vicarius*, per moralem de legitimâ hujus Pontificis electione certitudinem, inferri possit fidei de hoc Pontifice tanquàm Christi Vicario certitudo: sic ex istâ Fidei universali propositione: *Contritus, seu attritus cum Sacramento est justificatus*, videatur per moralem talis contritionis seu unà cum Sacramento attritionis certitudinem con- 11.

cludi Fedei de Justificatione obtentâ certitudo. Etenim disparitas in hoc est, quòd ex illâ circa legitimam hujus Pontificis electionem morali certitudine, ceu aliquali ad credibilitatis judicium formandum fundamento, Deus vi specialis erga Ecclesiam providentiæ supernaturalis excitet credibilitatis prudentialem evidentiam, sub quâ, illa de isto Pontifice ceu Vicario Christi conclusio possit mediante Spiritûs Sancti motione sub divinę revelationis testimonio applicari ad volûtatem pio Intellectu in obsequium fidei exinde captivando Econtra verò est, quòd Ecclesiæ recta gubernatio exigat, ut non singulorum fidelium, sed summi duntaxat Pontificis sit, posse ex signis alicujus sanctitatem testantibus fundare credibilitatis evidentiam, sub quâ Divinâ de hominis contriti, vel cum Sacramento attriti justificatione universalis revelatio posset applicari ad hujus in particulari hominis sanctitatem eatenus inferendam, ut sub tali illatione per ipsummet Primæ Veritatis testimonium, atque adeò secundùm fidei certitudinem constare posset de talis hominis ut sic Canonizati justificatione. Extra talem proinde tum Canonizationis, tum etiam revelationis causam nequit Justificationis haberi tanta certitudo, quin subesse possit potentia formidandi, adeò ut, quantumvis ex interioris Divinæ motionis signis homo possit in se excitare quandam sanctitatis in se inhabitantis securitatem, omni per charitatem excluso in contrarium timore, nequeat tamen ordinariè eò devenire, ut tantam etiam moralem de statu gratiæ habeat certitudinem, quanta in omnibus nobis est evidentia moralis de urbis Romæ existentiâ.

Confirmatur ratione Divi Thomæ *in cit. a. 5.* Nullus enim potest scire, se habere scientiam alicujus conclusionis, si hujus principium ignoret. At principium gratiæ, & objectum ejus est ipse Deus. Hic verò propter sui excellentiam est ita nobis ignotus, ut propterea *Iob. 36.* dictum sit: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Nequit ergo ejus præsentia in nobis, & absentia per certitudinem cognosci, juxta illud *Iob. 9. c. Si venerit ad me, non videbo eum.: si autem abierit, non intelligam.* Cùm igitur certitudo conclusionis haberi non possit, nisi per ejus proprium principium, nequeat autem aliud tam Effectivum, quàm Finalizativum, imò & specificativum gratiæ principium esse, nisi solus Deus, secundùm propriam suam Essentiam *formaliter* spectatus; iste verò Essendi gradus Dei proprius sit superexcedens lumen creati intellectûs, nequit nisi ex revelatione Divinâ derivari certitudo, per quam certò quis cognoscat, se esse in statu gratiæ: cujusmodi revelatio ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vitâ in ipso inciperet, & confidentiùs ac fortiùs magnifica opera prosequeretur, & mala præsentis vitæ sustineret, teste Divo Thomâ *citato* facta est Paulo, dum 2 *Corinth. 12.* ipsi dictum est à Deo: *Sufficit tibi gratia mea.*

QUÆ-

QVÆSTIO QUINTA DE MERITO.

1. Alvinus *lib. 3. Instit. cap. 15* perfidè negat, nomen Meriti reperiri in Sacris Scripturis. Verùm apertè redarguitur tum *ex Eccles. 16.* ubi sic habetur. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum*; tum *ad Hebræos 13. Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et verò bonis operibus in gratiâ factis nos mereri vitam æternam, seu gloriam cœlestem, apertè evincitur ex Sacris textibus, in quibus asseritur, vitam æternam promitti nostris bonis operibus tanquàm mercedem, seu præmium & bravium, coronam Justitiæ ac retributionem. *Psal. 65. Sap. 5. & 10. Eccles. 18. Matth. 5. 20. 25. & 26. Luc. 6. 1. Corinth. 3. & 9. 2. ad Timoth. 4. Iacobi 1. 1. Petri 5. Apocalyp. ult. & alibi.*

2. Unde Concilium Tridentinum *sess. 6. de Justif. can. 32.* adversùs Lutheranos & Calvinistas merita è medio tollere contendentes, ita procedit. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse Dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, anathema sit.*

Quibus adeò circa existentiam meritorum expositis, tribus articulis præsentem materiam expediemus. In 1. *substantiam, & Essentiam meriti* inquisituri. In 2. *objectum meriti*. In 3. denique *meritorum exsistentiam*.

ARTICULUS I.

In quo consistat ratio & Essentia Meriti.

3. DIvus Thomas *1. 2. q. 21. a. 3.* rationem meriti, vel demeriti asserit, esse proprietatem actûs humani, ita ut ex eo, quòd actus humanus importet quandam ordinabilitatem tum ad communitatem, tum præsertim ad Deum Finem Ultimum tanquàm universale omnis actûs humani sub generica moralitatis ratione principium *in quarto perseitatis genere* specificativum; ex istâ liberâ morali ordinabilitate resultet aliqua retributionis saltem convenientia. Unde, cùm ratio actûs quà humani sit *formaliter* per libertatem, concludere licet, de ratione Meriti ac Demeriti eatenus esse libertatem, ut hâc, ceu moralitatis fundamento, sublatâ, eo ipso subsistere nequeat meritũ. Etsi enim Deus ex respectu ad actum amoris divini in visionis Beatificæ statu omninò necessarij, posset aliquem dotare singulari quâdam prærogativâ, hæc tamen non posset tunc se habere tanquàm mercedem ac præmium, eo ipso, quòd meriti in moralitate radicati fundamentum ex defectu libertatis deesset.

4. Cæterùm meritum in communi consideratum dividi solet in *Condignum* & *Congruum*. meritum *de condigno* vocatur illud, quod habet valorem ex se proportionatũ, & æqualitatem cum præmio. Meritũ *de Congruo* est, quod in valore exceditur à præmio, est tamen per aliquam sui cum præmio proportionem conducens, ut ei sic ex esse vè retribuatur à retribuente; veluti militi fortiter se gerenti *de condigno* datur stipendium, *de congruo* 5. beneficium Nobilitatis.

De quo utroque Merito differemus, principaliter tamen *de Condigno*, ad quod tres requiri solent conditiones substantiales. Prima. *Ut is, qui meretur; sit in statu viatoris.* Secunda. *Ut actus meritorius fiat ex vel saltem in gratiâ.* Tertia. *Ut interveniat aliquod pactum seu ordinatio Dei acceptantis merita ad definitum præmium.* Quas proinde duas posteriores conditiones tribus controversijs, primam verò, utpote minùs difficultatis continentem subjuncto aliquo Corollario discutiemus.

CONTROVERSIA I.

Qualis ad actum vitæ æternæ de condigno meritorium requiratur influxus Gratiæ & Charitatis?

UT certa ab incertis separentur, proindubitato supponendum est, nullum posse dari meritum vitæ æternæ, nisi in statu gratiæ & charitatis, juxta illud *1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum; ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde Concilium Tridentinum *sess. 6. de Justif. cap. 16.* decernit; *Quòd Christus tanquàm vitis in palmites, & tanquàm Caput in membra influit in ipsos justificatos virtutem, quæ bona eorum opera antecedit, comitatur & subsequitur, sine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt.* 6.

Hinc

7. Hinc moveri poſſunt tres difficultates: 1. *An gratia ſanctificans non tantùm dignificativè, ſed etiam effectivè mediatè ſaltem influere debeat in opus vitæ æternæ meritorium?* Sive, quod idem eſt; *An opus vitæ æternæ meritorium debeat eſſe ſupernaturale, atque adeò à ſupernaturali in gratiâ quandam connaturalitatis radicationem habente virtute elicitum?* Vel, *An econtra opus morale honeſtum naturale in ſtatu gratiæ elicitum poſſit condignitatem vitæ æternæ meritoriam deſumere ex dignificatione formæ ſanctificantis.* 2. *Utrùm actus vitæ æternæ meritorius debeat eſſe elicitus, vel virtualiter ſaltem imperatus à charitate?* Vel, *econtra ſufficiat quilibet actus ſupernaturalis in ſtatu gratiæ elicitus?* 3. *Utrùm actûs per gratiam ſanctificantem dignificatio eatenus ſit neceſſaria ad meritum vitæ æternæ, ut neque per abſolutam Dei potentiam ſuppleri poſſet?* Sive, quòd idem eſt; *An homo, vel Angelus in puræ naturæ ſtatu conſtitutus, de abſolutâ Dei potentiâ poſſet de condigno mereri vitam æternam, vel per actus tantùm moraliter bonos, vel etiam ex ſupernaturali auxilio, abſque gratiâ Habituali elicitos?*

Referuntur ſententiæ.

Circa primam difficultatem Vaſquez 1. 2. *diſp.* 217. & Amicus *præs. diſp.* 35. *ſect.* 4. *n.* 10ᵃ
8. exiſtimant, opus *moraliter* bonum ex auxilio ordinis naturalis, modo tamen ſupernaturali, utpote per Chriſtum, ſupra debitum humanæ induſtriæ, & in ordine ad finem ſupernaturalem dato, procedens, in homine, juſto eſſe vitæ æternæ meritorium. Fundamenta ſunt 1. ex Sacris Litteris, quibus ſignificatur, Deum quodcunque opus bonum remuneraturum remuneratione vitæ æternæ. *Matth.* 10. *Qui dederit potum aquæ frigidæ tantùm, non perdet mercedem ſuam.* Item 12. c. *quicumque fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Et 25. c. vocantur ad percipiendum regnum cæleſte, qui eſurientes paſcebant. *Eſurivi enim*, ait Chriſtus, *& dediſtis mihi manducare.* Deinde obſervationi mandatorum Dei promittitur vita æterna. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Luc.* 10. At iſta obſervatio plerumque ſtat in actibus naturalibus *moraliter* bonis. Denique in miſericordiâ erga pauperes honoratur Deus, juxta illud *Proverb.* 14. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus, honorat autem, qui miſeretur pauperi.* At opus Dei honorativum meretur vitam æternam.

2. Ratione. Merita enim noſtra, ut moraliter conjuncta cum Chriſto tanquàm capite
9. aliquam participant dignitatem meritorum Chriſti, utpote merita noſtra tanquàm ſuorum membrorum cum ſuis conjuncta, offerentis Patri. At hoc ipſo, quòd dantur nobis per Chriſtum ſpecialia auxilia ad opus bonum exercendum, tale opus moraliter conjungitur cum Chriſto, ut cum Capite, fitque quodammodo ipſius meritum propter moralem conjunctionem membrorum cum Capite. Ergo licèt opera illa non ſint condignè meritoria gloriæ, vel ratione intrinſecæ honeſtatis, eò quòd iſta ſit ordinis naturalis nullâ cum præmio ſupernaturali proportione habentis; vel ratione Juſtitiæ & ſanctitatis Habitualis; ſiquidem iſta non dignificet *moraliter* niſi opera, ad quæ ipſa per ſuos habitus ſupernaturales influit, cum alioquin condignificaret opera bona, ſine ullo etiam ſpeciali per Chriſtum collato auxilio facta: attamen ſunt meritoria, ratione meritorum Chriſti.

Circa ſecundam difficultatem Divus Bonaventura *in* 2. *diſt.* 41. *q.* 3. *a.* 1. Durandus *diſt.* 40 *q.* 2. Bellarminus *lib.* 5. *de Iuſtif. c.* 15. & Scotiſtæ paſſim negant; opus cujuſcumque virtutis, eſſe in juſto æternæ vitæ condignè meritorium, niſi aut proximè eliciatur, aut ſaltem *virtualiter* imperetur à charitate, vel ad minus *habitualiter*. Tribuitur hæc ſententia Scoto *in* 2. *diſt.* 41. *q. unicâ.* ſubobſcurè tamen loquenti, de cujus adeò menta problematicè eam defendit Maſtrius *cit. diſp.* 7. *q.* 9. adſtipulatur etiam Ioannes à S. Thomâ *præs. diſp.* 30. *n.* 7. Fundamentum eſt 1. Quia Sacræ Litteræ in locis *ſupra* etiam *n.* 8. allegatis, ſi benè ponderentur, non promittunt bonis operibus mercedem vitæ æternæ, niſi illis, quæ fiunt *in nomine Chriſti*, & *in gloriam Dei*, ſaltem *virtualiter*, utì patet ex *Luca* 9. *Marci* 9. 1. *ad Corinth.* 10. *& ad Coloſſ.* 3. At iſta virtualis in gloriam relatio non ſtat niſi per imperium charitatis ſaltem *virtualiter* influens. Iſte igitur ſaltem virtualis influxus imperij charitatis, eſt ſimpliciter neceſſarius ad meritum vitæ æternæ. Hinc enim Apoſtolus *ad Galat.* 5. dixit; *In Chriſto Ieſu neque circumciſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem, quæ per Dilectionem operatur.* Hinc etiam videtur Beatitudo ſpecialiter promiſſa charitati & dilectioni erga Deum. *Ioan.* 14. *Si quis diligit me, manifeſtabo ei meipſum.* Et 1. *Corinth.* 2. *Quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Quinimò ne Martyrij quidem patientia, quæ eſt ex maximis operibus bonis, coronatur niſi ratione dilectionis, juxta illud *Iacobi* 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Hinc denique Gregorius Magnus *Hom.* 27. *in Evang. Eatenus*, ait, *diſtinguendum inter id, quod ſponte impenditur naturæ, & id, quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ, ut qui priori modo diligunt proximum, illa tamen ſublimia dilectionis præmia non aſſequantur.* Et Sanctus Auguſtinus *lib. de Spirit. & lit. c.* 14. dicit; *Mandatum non ſervari, niſi fiat ex amore juſtitiæ, non enim eſſe fructum bonum, qui de charitatis radice non ſurgit.*

Circa tertiam difficultatem nonnulli per 10.
Amicum *citatum n.* 20. relati affirmant, per abſolutam Dei potentiam fieri potuiſſe, quòd Angelus, vel homo in purâ naturâ conditus de condigno mereretur vitam æternam, vel per actus *moraliter* tantùm bonos, vel etiam ex ſupernaturali auxilio abſque gratiâ Habituali elicitos. Fundamentum eſt. Cùm enim operum noſtrorum condignitas ad vitam æternam, ſit per ordinationem Dei extrinſecam, ideò hâc mediante ſuppleri poteſt dignitas perſonæ operantis, quam ex gratiâ Habituali habet creatura.

Ex oppoſito 1. Suarez *lib.* 12. *de grat. c.*
10. *n.* 15. ex communi Theologorum ſententiâ do- 11.
cet. Ut actus morales naturaliter boni ſint meritorij, non ſatis eſſe, quòd fiant ab homine grato, ſi non fiant ex aliquo motivo, & imperio ſupernaturali. Fundamentum eſt. Quia de ratione operis meritorij eſt, ut ſit ex fide juxta illud *ad Galat.* 5. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Unde etiam Abrahæ jam priùs Juſtificato opera non ſunt reputata ad Juſtitiam, ſive ad augmentum gratiæ, niſi quatenus opera ejuſmodi erant ex fide: juxta illud *ad Roman.* 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam,*

tiam. In quem adeò sensum Iacobus Apostolus *2. c.* Paulum (uti Sanctus Augustinus notavit) quasi exponens ait; *Abraham ex operibus iustificatum esse, quoniam fides cooperabatur operibus illius.* At verò hîc intelligi Justificationem quoad augmentum, atque adeò quà opera talis augmenti meritoria, eruitur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de Iustif. c. 10.* Ergo opera augmenti gratiæ meritoria debent esse ex cooperatione fidei. Ergo debent esse ordinis supernaturalis, non autem naturaliter duntaxat bona.

2. Marcus Serra *praes. q. 114. a. 4. dub. 2. concl.*
13. *2.* ex Divo Thomâ *q. 2. de malo. a. 1. ad 7. & ad 11.* Item *in 2. dist. 38. q. 1. a. 1. ad 4.* Et *dist. 4. q. 5. a. 5. ad 3. & 6.* asserit quidem, concomitantiam habitûs charitatis non sufficere ad hoc, ut actus aliarum virtutum sint meritorij vitæ æternæ, illâ tamen charitatis concomitantiâ suppositâ, sufficere quamcunque virtualem ordinationem talium actuum in Deum, charitatis objectum & finem. Nihilominùs idem *Author* postea duplicem ordinationem in Deum, ceu finem charitatis distinguit, quarum prima fit, quatenus aliquid refertur in illum virtute alicujus actualis intentionis præcedentis: secunda verò fit, quatenus virtus supernaturalis suâpte naturâ ordinatur in finem charitatis, tanquam ejus participatio. Juxta quam proinde distinctionem subinfert, ad meritum condignum in opere intra statum gratiæ elicito sufficere utramque istam virtualem ordinationem. Unde actus virtutis infusæ, etiamsi per actum charitatis non imperarentur, fore meritorios, & dignitatem operis meritorij habituros ex gratiâ & charitate, non ut imperante propriè, sed ut principio & radice. Quamvis enim actus virtutum infusarum moralium includant imperium charitatis, & sine isto esse non possint; sicuti nullus etiam virtutis moralis acquisitæ actus esse potest, qui non involvat Judicium prudentiale: hoc tamen non obstante, verum omninò esse, quòd, si per possibile, vel impossibile secundùm præcisionem saltem intentionalem secludatur imperium charitatis ab actibus virtutum infusarum; adhuc essent meritorij, dum sunt in Justo viatore. Imò actus virtutum acquisitarum, etiamsi non imperentur à charitate per actum præsentem, aut præcedentem; si tamen imperentur ab aliquâ virtute infusâ, esse meritorios in Justo viatore. Quinimò meritorios esse, si imperentur ab actu supernaturali attritionis, qui justificationem per Sacramentum, ut dispositio præcedit, & virtute perseverans, in instanti susceptionis Sacramenti, formatur per habitus infusos. Etenim cùm attritio ejusmodi includat detestationem præteritæ vitæ, & propositum novæ in obsequium Dei; fieri consequens, quòd vi talis attritionis ut formatę per charitatem, tota vita referatur in Deum; quantum ad actiones in ipsum referibiles. Quod sufficere, ut omnes actus boni subsequentes sint in justificato vitæ æternæ de condigno meritorij.

14. 3. Amicus *tit. disp. 31. sect. 2. n. 21.* cum alijs Doctoribus negat, posse etiam de absolutâ Dei potentiâ creaturam promereri *de condigno* vitam æternam, aut quodcunque aliud supernaturale Donum absque gratiâ condignificante opera id obsequium Dei exhibita. Fundamentum est: Quia meritum *de condigno* duo includit; & æqualitatem valoris cùm præmio, seu condignitatem ex se, & amicitiam inter merentem & præmiantem, ut sit gratus præmianti. At defectu primæ conditionis, nullum opus etiam auxilio gratiæ actualis à subjecto sine gratiâ Habituali elicitum, est æqualis valoris cum visione Beatificâ. Probatur ista minor. Visio enim Beatifica est in supremo gradu supernaturalitatis actualis, cùm tendat ad Deum per modum actûs puri in seipso intuendum: estque in ratione actualis operationis suprema communicatio, quam Deus creaturæ rationali conferre potest. At reliqui actus supernaturales, etsi sint in ordine supernaturali, quia tamen non attingunt Deum in seipso, & per modum actûs puri, non sunt in eodem supremo ordine cum visione intuitivâ Dei. Unde nisi condignificentur à gratiâ Habituali, quæ est in supremo ordine supernaturalitatis habitualis, non poterunt ex se habere æqualitatem valoris cum tanto præmio.

Deinde defectu secundæ conditionis nullum opus ex auxilio gratiæ actualis elicitum, e- 15.
tiamsi sit in eodem ordine cum aliquo dono supernaturali; cùm tamen non sit à personâ amicâ & gratâ Deo in ordine ad finem supernaturalem; potest habere condignitatem, ut opus amici apud amicum. At verò tam ista, quàm illa prior conditio, cùm sint effectus formales operis, suppleri non possunt ex extrinsecâ lege, & voluntate Dei; sicut nec princeps facere potest, ut nummus cupreus habeat valorem argentei, vel aurei. Unde quando auget valorem pecuniæ, non reddit illam ex se condignam, quæ alias ex se condigna non est; sed tantùm præscribit, ut omnes propter publicum bonum sint contenti tali pretio in rerum commutatione. Sic proindè Deus acceptando ad vitam æternam opus, quod ex se tali præmio dignum non esset, non efficeret, ut tali Dono condignum esset, sed solùm acceptaret ad præmium, quod ex se tali præmio dignum non esset.

CONCLUSIO I.

VT opus etiam in statu gratiæ elicitum sit vitæ æternæ de condigno meritorium, necessarium est, esse ex motivo supernaturali Fidei infusæ lumini proportionato, esseque adeò actum virtutis supernaturalis.

Probatur. Nam meriti ad vitam æternam 16.
condignitas non stat nisi per dignificationem gratiæ sanctificantis, velut infra *concl. 3.* probabitur. Ista verò dignificatio intelligitur transfundi in actum in statu gratiæ elicitum, quatenus Deus decernendo præmium, non tantùm respicit ad dignitatem operis secundùm se præcisè considerati, sed etiam operantis, juxta illud: *Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus.* Ex hoc autem datur intelligi, quòd dignitas operantis seu status gratiæ sanctificantis *non merè per accidens, & concomitanter* se habere debeat ad opus, seu munus, sed sit ratio, propter quam Deus respiciat etiam ad opus. At ista ratio in eo est fundata; quòd actus, ceu debitæ erga Deum subjectionis ac recognitionis quædam quasi subjectio *exercitè* reflectatur in ipsum suppositum operans tanquam

tanquàm ſui principium. Unde fit conſequens, quòd gratia ſanctificans ſuam dignitatem non transfundat in actum, niſi prout iſte eſt quædam ſuppoſiti quà per gratiam ſanctificantem ſublimati tanquàm principij actionem ejuſmodi ad Ultimum Finem *virtualiter* reductivi in Deum *exercitè* quaſi reflexiva ſubjectionis recognitio. Hinc autem fit conſequens, quòd gratia ſanctificans non ſit dignificativa operis niſi ex ipſâ tanquàm principio radicali ſit procedens. Ejuſmodi verò opus eſt in ſubſtantiâ ſupernaturale, ex virtute aliquâ infuſâ connaturaliter procedens, reſpiciens ut ſic motivum ſupernaturale fidei lumini proportionatum; ut adeò tale opus debeat ſaltem *virtualiter* eſſe ex lumine Fidei.

17. Probatur iſtud aſſumptum. Quia ſicuti anima quà radicale operationum vitalium principium in ſe fundat duas principales, alteram quidem quoad ſpecificationem, ſcilicet intellectum, alteram verò quoad exercitium, ſcilicet voluntatem omnium reliquarum potentiarum motrices potentias: ſic gratia ſanctificans actuum ſupernaturalium condignitatis illius capacium *radicaliter* operativa fundat duas virtutes infuſas principales, alteram ex parte intellectûs, lumen ſcilicet ſupernaturale, quoad ſpecificationem omnium virtutum infuſarum motivum ac directivum, alteram ex parte voluntatis ſcilicet charitatem, quoad Exercitium omnium ſupernaturalium virtutum motricem. Eo ipſo autem, quòd voluntas unà cum intellectu ex animæ ſubſtantiâ emanans per ſuam quidditatem ac eſſentiam in operando ſit dependens ab intellectu, tanquàm principio quoad ſpecificationem motivo, fit conſequens, non poſſe voluntatem quidquam operari circa Bonum ceu objectum ſui ſpecificativum, niſi quà præcognitum, ſeu prævià quâdam Intellectûs cognitione illuſtratum. Pari proinderatione virtutes ſupernaturales voluntati infuſæ circa objecta ſui ſpecificativa & motiva non ſunt operativæ, niſi ſub prævià cognitione per ſupernaturale in gratiâ ſanctificante radicatum lumen elicitâ, objectorum ejuſmodi illuſtrativâ. Ejuſmodi verò lumen in ſtatu viatoris catenus eſt fides infuſa, quatenus nullum aliud ſive Donorum Spiritûs Sancti proprium, ſive prudentiale in ordine ac lineâ ſupernaturali lumen inſit animæ juſtæ & ſanctæ, niſi fundatum ſuper Fide, ceu primo ſupernaturali ſtatûs viatoris proprio lumine. Unde Fides *radicaliter* & *virtualiter* eſt omnigenum ſupernaturale ſtatui viatoris proportionatum lumen, ut adeò omnimoda ſupernaturalis ex virtutibus ſive Theologicis, ſive Moralibus infuſis elicita voluntatis actio debeat eſſe procedens vel ex *formali*, vel *virtuali* Fidei lumine. Cùm igitur gratia ſanctificans ſuam condignitatem nulli communicet operi morali, niſi ſit procedens ex gratiâ ſanctificante tanquàm principio ſuo radicali, iſte verò gratiæ ſanctificantis in opera moralia influxus radicalis non ſe extendat ad actus virtutum naturalium, ſed ſupernaturalium duntaxat, hi verò quoad ſpecificationem ex aliquo ſive ipſius Fidei, ſive in hac radicato lumine motivi eorundem ſpecificativi, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis repræſentativo ſint eſſentialiter dependentes, ſequitur maniſeſtè, nullum opus morale habere ex gratiâ ſanctificante condignitatem, ſeu valorem condignè meritorium, niſi ſit ſupernaturale ut ſic *virtualiter* ſaltem procedens ex Fide infuſâ. Unde Concil. Trident. *ſeſſ. 6. de Iuſtif. c.* 10. decernit; *Quòd juſti creſcant in juſtitiâ, cooperante fide bonis operibus.*

CONCLUSIO II.

VT opus morale in ſtatu gratiæ elicitum ſit vitæ æternæ condignè meritorium, requiritur, eſſe ex charitate non *formaliter*, ſed *virtualiter* duntaxat.

Explicatur & probatur. Nam aliquod opus dicitur eſſe charitatis Theologicæ vel *formaliter elicitivè*, vel *participativè* & *imperativè*. Hoc autem poſteriori modo actus *moraliter* boni quoad ſubſtantiam naturales procedentes ex imperio charitatis ſub extrinſecâ cujuſdam participationis formalitate ac denominatione ſuperinduunt ipſammet actûs imperantis bonitatem ſupernaturalem, atque adeò valorem vitæ æternæ de condigno meritorium. Unde in quantum actus voluntatis interiores actuum externorum imperantes habent de tali meriti condigni valore, in tantum iſte transfundi poteſt in actus *moraliter* bonos etiam naturales, quà imperatos ex vi alicujus ſupernaturalis à voluntate elicitæ intentionis. At verò ut actio ejuſmodi ſit vitæ æternæ meritoria, requiritur, eſſe *elicitivè* à charitate vel *formaliter*, vel ſaltem *virtualiter*. 18.

Probatur iſtud aſſumptum. Duplici enim modo aliquid intelligitur eſſe *virtualiter* à charitate, *Primò* Ex efficaciâ cujuſdam præcedentis à charitate eliciti actûs, manentis in aliquâ ex ipſo relictâ virtute, alterius ſibi ſubordinati actûs effectrice. *Secundò.* Quatenus actus ſit elicitus ex motivo ſupernaturali, non habente vim actûs ejuſmodi Finalizativam, & ut ſic ſpecificativam, niſi in virtute cujuſdam ex Ultimo Fine quà charitatis Theologicæ objecto formali finalizatæ participationis. At uterque iſte virtualis ex charitatis ſive habitu, ſive objecto hujus ſpecificativo quaſi emanationis modus eſt ſufficiens ad hoc, ut actus in ſtatu gratiæ factus ſit vitæ æternæ *de condigno* meritorius. Probatur iſtud ſubſumptum. Tum quia de priori virtuali operum bonorum in Deum, ceu charitatis Theologicæ motivum relatione, ita Divus Thomas *in 2. diſt. 38. q. 1. ad 1. ad 4.* diſſerit: *Ad hoc, quòd alicujus actionis finis ſit Deus, vel charitas, non oportet, quòd agendo illam actionem, aliquis de Deo, vel charitate cogitet: nec iterum ſufficit, quòd aliquis in habitu tantùm Deum & charitatem habeat, quia ſic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falſum eſt: ſed oportet, quòd priùs fuerit cogitatio de fine, qui eſt charitas, vel Deus, & quòd ratio actiones ſequentes in hunc finem ordinaverit, ita quòd rectitudo illius ordinationis in actionibus ſequentibus ſalvetur.* Et *diſt. 40. q. 1. a. 5. ad 3. & 6.* ita habet. *Non ſufficit omninò habitualis ordinatio actûs in Deum, quia in hoc, quòd eſt in habitu, nullus meretur, ſed ex hoc, quòd actu operatur: nec tamen oportet, quòd intentio actualis ordinans in Ultimum Finem ſit ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ dirigitur in aliquem Finem proximum, ſed ſufficit, quòd aliquando actualiter omnes illi fines in Finem Ultimum referantur, ſicut fit, quando aliquis cogitat, ſe totum ad Dei dilectionem dirigere: tunc enim quidquid ad ſeipſum ordinat, in Deum ordina-* 19. 20.

tum

tum erit. Et si quæratur, quando oporteat actum referre in Ultimum Finem: hoc nihil aliud est, quàm quærere, quando oporteat, habitum charitatis exire in actum? quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in Finem Ultimum, & per consequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur, ut bona sibi.

21. Tum quia Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustif. cap. 16.* ad hoc, ut opus sit vitæ æternæ meritorium, requirit solummodò, esse hominis justificati, esseque factum ex gratiâ actuali, seu influxu Christi opera ejusmodi antecedente, comitante, & subsequente. At hæc ipsa opera dicit esse in Deo facta. Hoc autem non aliter subsistit, nisi quatenus sunt ex motivo per suam intrinsecam rationem Ideato & finalizato à Dei quasi specifico gradu, seu formali charitatis Theologicæ objecto. Ejusmodi verò motivum est quodcumque virtutis alicujus infusæ ac supernaturalis specificativum. Ergo ex hoc solùm, quòd alicui actui supernaturali in motivum ex ipso Deo quà charitatis Theologicæ objecto formali sub primâ Dei Ideatione exemplatum; & exinde finalizatũ tendenti per naturam suam insit virtualis in Finẽ seu objectũ charitatis relatio, convenit ipsi, quòd in statu gratiæ sanctificantis sit vitæ æternæ de condigno meritorius: veluti non obscurè insinuat præcitatum Sacrum Concilium *Can. 32.* indefinite decernendo, hominem justum bonis operibus per Dei gratiam & IESV CHRISTI meritum factis (cujusmodi sunt omnes actus morales supernaturales neque *Elicitivè*, neque *Imperativè* ex charitatis habitu licèt procedentes) promereri vitam æternam.

22. Dices. Ex Divi Thomæ *superius* allegatis textibus videri evincendum, quòd, cùm in primâ justificatione per contritionem seu Deum nunquam inposterum offendendi propositum fiat quædam omnium per totam vitam faciendorum bonorum operum in Deum relatio, foret consequens, ex vitalis ordinationis non retractatæ omnia opera intentioni ejusmodi congrua esse vitæ æternæ meritoria, eodem Sancto Doctore *q. 2. de Verit. a. 11. ad 2.* attestante: *Quòd, cum aliquis seipsum ordinat in Deum, in omnibus, quæ propter ipsum facit, maneat virtute intentio Ultimi Finis; qui Deus est. Unde in omnibus mereri posse, si charitatem habeat.* At verò, si istud subsisteret, fore denuò consequens, in homine nullum dari posse actum otiosum, dum est justificatus; siquidem nullus debito fine careret, hoc ipso, quòd per totam vitam *virtualiter* maneret ex primo charitatis actu relatus in Deum.

23. Contra. Nam virtualis operum nostrorum in Deum relatio alia est secundùm quandam virtutem, ex primo charitatis actu quasi *effectivè* influentem in actus subsequentes: alia verò est secundùm virtutem, ex charitatis per primum ad Deum conversionis actum intento Fine, & objecto eatenus finalizatam, & ex vitalis finalizationis à Deo impressam omnibus virtutum tali Fini intrinsecè proportionatis motivis, ut ista totam suam vim voluntatis actuum finalizativam, & ut sic specificativam mediante Divinâ causalitate acceperint ex Dei quà charitatis Theologicæ objecti finalizatione. At vi prioris virtualis in Deum relationis verificatur quidem, omnia moralia opera talis ordinationis capacia, secundùm substantiam etiam naturalia, posse participare ipsissimam prioris in Deum omnia ordinantis actûs bonitatem moralem. Nihilominùs intentio seu ordinatio non dicitur *virtualiter effectivè* manere nisi respectu illorum operum bonorum, in quæ vel per suam efficaciam *immediatè*, vel per virtutem quandam ex se relictam ad alia subsequentia opera excitativam, eorumque ut sic effectivam *mediatè* influit. Et hinc equidem verum est, quòd ex vitalis virtualis intentionis actus imperati, ac priori omnium in Deum ordinativo actui per se subordinati possint vitæ æternæ meritorij esse, veluti patet ex dictis *q. 1. a. 2 cont. 4. n. 22. & q. 8. a. 4. cont. 3.* Attamẽ quoad posteriorem sub genere finalizationis *virtualiter* perseverantem intentionem oportet considerare, quòd ista ex charitatis non tam actu, quàm objecto formali, ipsomet secundùm gradum quasi specificum spectato Deo Finalizata, & ut sic *virtualiter* subsistens ordinatio non insit, nisi motivis & actibus supernaturalium virtutum. Ex vi autem talis virtualis in Deum ordinationis eatenus subsistit, quòd actus supernaturales in gratiæ statu eliciti sint vitæ æternæ de condigno meritorij, ut eo ipso, quòd quis per actum conversionis in Deum ac per propositum de vitandis totâ vi à peccatis se, & omnia sua in primà Justificatione ordinaverit in Deum ultimũ Finem, itaque in statu illius ex charitatis objecto formali finalizatę actûs moralis supernaturalis specificativæ participationis se constituendo, habeat in se virtualem talis ordinationis perseverantiam; consequenter vi talis virtualis ordinationis per omnes morales supernaturales actus *de condigno* mereatur vitam æternam, etiamsi nullus Theologicæ charitatis actus formalis, vel in vi imperij *immediatè*, vel in vi alicujus impressionis ex se relictæ *mediatè*, efficienter influens intervenisset. In quo adeò sensu præcitatus Angelicus Doctor accipi debet, asserendo; Verum est, quòd omnia, quæ cum Fine (cujusmodi tamen sunt actus morales supernaturales duntaxat, non autem naturales) per se, & intrinsecam connexionem habent, moveantur à charitate, quamdiu intentio omnium in Deum, seu Finem charitatis ordinativa, per peccatum scilicet mortale, non retractatur.

CONCLUSIO III.

Actus per gratiam sanctificantem dignificatio ad meritũ vitæ æternæ condignum adeò est necessaria, ut nè per absolutam quidem Dei potentiam ex solâ Divinæ voluntatis ordinatione extrinsecâ suppleri possit.

24. Probatur. Quamvis enim Deus sub conditione operis boni moralis naturalis in statu puræ naturæ eliciti posset cuipiam decernere vitam æternam, ac lumen gloriæ sine præviâ gratiâ sanctificante infundendum: illa tamen operis boni moralis naturalis conditio in ordine ad visionem Beatificam, seu lumen gloriæ se haberet *disparatè* duntaxat ac per accidens, non autem per se *in quarto perseitatis genere*. At meritum vitâ æternâ condignum dicit *essentialiter* quandam operis cum præmio vitæ æternæ proportionem per se *in quarto perseitatis genere* commensuratam cũ lumine gloriæ. Ejusmodi verò in merito condigno

digno ad lumen gloriæ proportionalis eſt per modum tendentiæ actualis intrinſecæ importantis formalitatem ex Divinæ naturæ quaſi ſpecifico gradu *in Quarto perſeitatis genere formaliter* ſpecificatam, & ideatam. Hæc verò eatenus eſt propria differentia actuum bonorum moralium quoad ſubſtantiam ſupernaturalium Eſſentialiter diſtinctiva, ut implicet, inexiſtere *formaliter intrinſecè* actui naturali moraliter bono. Alia proinde in merito condigno ad lumen gloriæ proportio eſt per modum formæ omnimodam ex quaſi ſpecifico naturæ Divinæ gradu *in Quarto perſeitatis genere* ſpecificatam, & ut ſic exemplatam participationem, ipſumque adeò lumen gloriæ ac viſionem Beatificam *radicaliter* in ſe præcontinentis. Hæc autem radicalis luminis gloriæ ac viſionis Beatificæ præcontinentia eatenus ſe transfundit in actus morales, ad quos ſe habet per modum radicalis principij, quatenus Deus decernendo præmium, per prius reſpicit ad ſuppoſitum quà operum ejuſmodi effectivum, atque adeò quà radicale talium actuum principium in ſe præcontinens quàm reſpiciat ad ipſos actus inſtar fructuum inde profluentes. At verò illa radicalis omnimodam quaſi ſpecificè Divinam participationem in ſe præcontinentis principij formalitas eſt differentia ſpecifica gratiæ ſanctificantis, nec ejus adeò effectus formalis eſt ſine tali formâ poſſibilis. Quamvis proinde Deus ſub operis naturalis *moraliter* boni conditione, abſque gratiæ ſanctificantis infuſione prævià, cuipiam decernere viſionem beatam, ex defectu tamen proportionis ad Divinæ quaſi ſpecificæ participationis lineam ſpectantis dici non poſſet, talem actum habere rationem meriti, ne quidem congrui, minùs condigni in ordine ad lumen gloriæ. Sicut ergo implicat, rerum eſſentias à Deo mutari, ſic conſequenter impoſſibile eſt, condignitatem meriti ad vitam æternam proportionati ſuppleri ex ſolà Dei extrinſecà ordinatione. Et hinc patet falſitas fundamenti *n. 11.* oppoſiti.

Reſponſio ad primæ difficultatis oppoſita fundamenta.

25. AD 1. *n. 8.* oppoſitum Reſpondetur. Si præallegati Sacræ Scripturæ textus vel cum ſuo contextu, vel cum alijs Sacris locis conferantur, in aperto eſſe, quòd, dum bonis operibus promittitur merces vitæ æternæ, intelligatur de operibus, quæ fiunt in nomine Chriſti, & in gloriam Dei quà lumine ad Fidem Theologicam pertinente manifeſtati. Ut ſic autem opera ejuſmodi ex motivo ſui ſpecificativo habere intrinſecam ſupernaturalitatem. Quare opera miſericordiæ naturalis ac Divinorum mandatorum obſervationis conducere ſolùm *negativè* ad vitam æternam, quatenus ſub tali obſervantià quis à peccato aliquam vitæ æternæ obice noviter contrahendo eſt immunis! non autem *poſitivè*, per modum tendentiæ ex ſe proportionatæ tum ad gratiæ ſanctificantis dignificationem in ſe derivandam, tum ad lumen gloriæ obtinendum.

26. Ad 2. *n. 9.* oppoſitum Reſpondetur. Qualiſcunque operum naturaliter bonorum ex ſpeciali Chriſti gratià factorum ſit cum Chriſto Capite conjunctio & unio quaſi effectiva, non poſſe tamen vi iſtius conjunctionis habere tum intrinſecam, tum ex gratiâ ſanctificante in ſe connaturaliter derivatam cum lumine gloriæ proportionem, ſed valorem meritorum Chriſti non quaſi ex naturà rei, ſed pro placito Dei, & Chriſti operibus illis ſolùm extrinſecùs quaſi aſſiſtentem. Unde non tam ex aliquà operum ejuſmodi, quàm ex Chriſti meritorum condignitate non ſecundùm rei quaſi naturam, ſed per accidens duntaxat ipſis conjunctà tunc ſubſtitutum valorem vitæ æternæ condignè, imò ſuperabundanter meritorium. Neque tamen cum ſolido fundamento dici poſſe, quòd ejuſmodi meritorū Chriſti cum operibus bonis naturalibus conjunctio de facto ſubſiſtat, licèt talia opera ex eorundem Chriſti, quà naturæ etiam Inſtauratoris meritorum quaſi cauſalitate, mediante ſpeciali Chriſti gratià promanare poſſint.

Reſponſio ad ſecundæ difficultatis oppoſita fundamenta.

AD *n. 10.* deductas authoritates Reſpondetur. Illis probari duntaxat, quòd meritum vitæ æternæ condignum non tam debeat etiam *imperativè* procedere ex habitu charitatis, quàm ex motivo per Finem charitatis Theologicæ, ipſummet ſcilicet Deum in gradu quaſi ſpecifico ſpectatum, & ut ſic ſub Fidei lumine vel formali, vel virtuali repræſentatum finalizato, & ut ſic ſecundùm quartum perſeitatis genus *formaliter* ſpecificato. Unde ſolùm concludi, quòd actus viſionis Beatificæ *de condigno* meritorius debeat ex fide & charitate *objectivè* potiùs conſideratà, *virtualiter* procedere non quà principio Effectivo, ſed quà principio Finalizativo. 27.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀)❀(❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CONTROVERSIA II.

Utrùm per actus gratiâ ſanctificante, atque adeò virtutibus infuſis remiſſiores meritoriè, vel etiam phyſicè fiat gratiæ, & virtutum ejuſmodi augmentum?

DUplex hic venit decidenda difficultas, altera; *Utrùm actus à virtutibus infuſis eliciti harum augmentum phyſicè efficiant, atque adeò ex iſto ſaltem capite requiratur major actûs intenſio, quàm fuerit ex parte habitûs?* Altera eſt; *An, licèt actûs ſupernaturales in ſtatu gratiæ eliciti ſolùm meritoriè cauſent virtutum infuſarum augmentum, iſtud tamen non conferatur niſi per actus intenſiores, non autem remiſſiores?* 1.

Referuntur Sententiæ.

CIrca primam difficultatem Medina 1. 2. *q.* 52. *a. 2. circa finem.* probabile putat, quòd actus ſupernaturales Fidei & Spei *phyſicè efficienter* augeant ſuos habitus. Fundamentum eſt. Quia actus ſupernaturales ; ratione principij effectivi non minorem habent proportionem cum habitibus ſupernaturalibus, quàm actus naturales cum habitibus naturalibus. Atqui actus naturales habent vim *phyſicè efficientem* augmentativam ſuorum habituum. Ergo etiam ſupernaturales, maximè 2.

ximè cùm experientiâ pateat, peccatores exercitando se in actibus Fidei ac Spei comparare sibi horum actuum facilitatem, cujusmodi facilitas videtur arguere quoddam habituum supernaturalium augmentum. Nequit autem tale augmentum comparari *meritoriè*. Ergo *physicè efficienter*.

3 Circa secundam difficultatem Major *in 4. dist. 22. q. un. ab 2. conc. 2.* Gabriel *in 1. dist. 17. q. 4. a. 3. dub. 2.* Vasquez 1. *2. disp. 220. cap. 3.* Suarez *3. to. de grat. lib. 9. de augm. & perfect. grat. cap. 3. & relect. de reviviscent. merit. disp. 2. sect. 3. n. 29.* Coninch *de actib. supernat. disp. 8. dub. 9.* Amicus *prae disp. 31. n. 215. &* alij tenent, quolibet actu meritorio etiam remisso augeri gratiam nontantùm *moraliter* in Esse gratiæ & amicitiæ, sed *physicè* in Esse qualitatis, ejusque incrementum statim conferri absque ullâ aliâ dispositione. Fundamentum est. Quia ad hoc, ut opus Justificati mereatur incrementum gratiæ & gloriæ, secundùm Concilium Tridentinum *cap. 10.* requiritur duntaxat, *ut fit per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum*. Ergo ad perfectionem talis meriti non opus est, exspectare ulteriorem quandam actûs intensioris conditionem. At quàmprimùm meritum in ratione meriti est perfectum, sortitur suum effectum quoad gratiæ augmentationem, veluti clarè insinuat præcitatum Sacrum Concilium indefinitè ac sine aliquâ ad actum intensiorem, vel æquè intensum restrictione, asserendo, ustos bonis operibus in Justitia de die in diem crescentes, magis ac magis renovari, ac justificari, *euntes*, juxta Apostolum, *de virtute in virtutem*.

4 Ex opposito 1. Divus Thomas 1. 2. *q. 52. a. 4. ad 3.* & 2. 2. *q. 24. art. 7.* Bannes *2. 2. q. 24. a. 6. dub. 1.* Vasquez *1. 2. disp. 79. cap. 10. & disp. 211.* Petrus Bergomas *in concord. Verb. Habitus. dub. 48.* ac Theologi communiter negant, per actus supernaturales *physicè efficienter* augeri habitus infusos. Fundamentum est. Eo ipso enim, quòd intensioni qualitatis respondeat entitas vel indivisibiliter eadem, vel saltem specificè una cum entitate per primam qualitatis productionem effectâ, oportet, vim intensionis effectricem esse etiam potentem ad primam ejusdem qualitatis productionem. At Deo soli vis est infundendi virtutes supernaturales, adeò ut nullus Theologorum admittat, quòd attritio supernaturalis ex motivo religionis antecedenter ad peccati remissionem habita sit habitûs religionis supernaturalis *physicè efficienter* productiva. Hoc autem actu fieret, si physica effectiva illi attritioni inexisteret vis ad habitûs sibi proportionati productionem. Neganda proinde est actibus supernaturalibus illa ad habitûs sibi proportionati productionem *physicè* effectiva virtus.

5 2. Thomistæ communiter docent, actus remissos mereri quidem augmentum gratiæ, sicut & vitam æternã, eam tamen non statim dari, sed quando homo se sufficienter disposuerit. Fundamentum petitum est ab authoritate Sancti Thomæ *1. 2. q. 114. a. 8. ad 3.* taliter disserentis: *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna; sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cùm scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.* Quando autẽ sit ista dispositio, Sanctus Doctor explicat *in 2. 2. q. 24. a. 6.* in hæc verba: *Non quolibet actu charitatis augetur charitas, sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundùm charitatem, & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quousque conetur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.* Cui proinde conformiter *ibi. ad 1.* addit. *Quòd quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen statim augeatur, sed quandò aliquis conatur ad hujusmodi augmentum.*

Quamvis 3. circa hujus Divi Thomæ doctrinæ expositionem variæ extent sententiæ *alibi in materiâ de Charitate* expendendæ, unicam tamen hìc referre visum fuit, quam unà cum alijs à serelatis Thomistis expendit Ioannes à Sancto Thomâ *in 2. 2. disp. 15. a. 4. n. 13.* scilicet neque gratiam in Esse gratiæ *intrinsecè* augeri per actus remissos, neque majus Jus Filiationis Divinæ & Hæreditatis intrinsecum utpote in gratiâ fundatum acquiri per tales actus: attamen dari Jus morale & meritorium ad majorem gloriam recipiendam *mediatè*, id est, mediante actu intensiori, qui elicitur in aliâ vitâ, & disponit *physicè* ad recipiendum augmentum illud gratiæ Habitualis, cui dabitur major gloria: quem porro actum intensiorem, cùm sit elicitus extra hanc vitam, ità esse dispositivum *physicè*, ut non sit meritorius ulterioris augmenti. 6.

CONCLUSIO I.

Actus supernaturales in statu gratiæ eliciti non *physicè efficienter*, sed *meritoriè* duntaxat augent Habitus supernaturales per se infusos.

Probatur. Nam virtus per se infusa imitando naturam potentiæ in ratione principij proximi immanenter operativi habet quandam respectu diversorum specie distinctorum actuum universalitatem: Hinc autem fit, quòd talis virtus sub altiori formalitate eatenus respiciat motivum sui specificativum, quatenus illud respectu singulorum specificè differentium actuum per diversas in Esse morali specificas differentias sit contrahibile. Unde fit, quòd eadem virtus religionis infusa actus orationis, voti, sacrificij *specificè* diversos, & charitatis virtus dilectionis Dei & proximi quà in Esse supernaturali communicantis, actus secundùm speciem differentes, nec non virtus Fidei tum assensum sub obscuro revelationis Divinæ velamine ex primæ veritatis reverentiâ imperatum, tum ex principijs Fide divinâ creditis illativum, specie distinctos actus elicere valeat. Etsi proinde habitus acquisitus ad singulos ejusmodi specificos actus, ex quorum frequentatione generatur, sit restrictus, virtutes tamen infusæ respectu istorum habent efficaciam ex suâ in causando majori universalitate magis depuratam & sublimatam. At per se notum est, actum ex objecto minùs universali, sed magis restricto specificatum non habere vim *physicè* effectivam habitûs, per naturam suam ex objecto magis elevato ac universaliori specificati. Nequit autem actui convenire, quòd intensionis in aliquo habitu sit *physicè* effectivus; quin entitatem talis habitûs suâ efficientiâ at- 7.

 tingat;

tingat. Sicut proinde actui per habitum infusum elicito nequit inexistere vis habitûs ejusmodi *physicè* effectiva, sic neque potest talis virtutis intensionem *physicè*, sed *moraliter* duntaxat causare. Et hinc patet responsio ad fundamentum *n.* 2. oppositum. Siquidem ea inter habitus naturales utpote acquisitos, & supernaturales per se infusos sit differentia, quòd isti non æquè, ac illi per naturam suam sint coarctati ad unum actum specificum: possitque adeò talis sive naturalis, sive supernaturalis actus habere efficaciam alicujus ad similes actus facilitantis habitûs generandi, quamvis hoc repugnet actui supernaturali respectu habitûs per se infusi, utpote elevatiorem majoris alicujus in causando universalitatis formalitatem habentis.

CONCLUSIO II.

Actus supernaturales in statu gratiæ eliciti licèt remissiores, pro primo statim elicientiæ suæ instanti, habent rationem meriti in actu quasi primo, sive in ratione vis præmij *moraliter* effectivæ ad gratiæ & gloriæ augmentum consequendum omnino perfecti, tametsi quoad actualem talis augmenti consecutionem, ceu actum quasi secundum, pendeat ex ferventiori supernaturali actu, tanquàm *physicâ* dispositione, si non in tempore hujus vitæ, primo saltem animæ sanctæ à corpore separationis instanti, eliciendâ.

8. Probatur. Sicut enim in physicis causis, sic in moralibus seu meritorijs causis oportet in genere principij Effectivi distinguere actum primum, & secundum. At verò in physicis potest principij alicujus Effectivi virtus eatenus in actu primo esse completa & perfecta, ut tamen non exeat statim in actum secundum ex defectu dispositionis subjecti, ex cujus potentiâ passivâ educi deberet actio, seu actus secundus. Pari proinde ratione ex eo, quòd aliquis actus ex motivo supernaturali elicitus dignificetur per gratiam sanctificantem, ceu radicale sui Effectivum, & Formale dignificativum principium, intelligitur in actu primo completus ac perfectus in Esse meriti ad vitam æternam, & gratiæ

9. augmentum condigni. Probatur istud subsumptum. Quia Sacrum Concilium Tridentinum *cit. sess.* 6. *cap* 10. ad meritum plus non requirit, quàm ut fiat in statu gratiæ Justificantis, sitque ex actuali per Jesum Christum gratiâ, adeoque opus supernaturale gratiâ sanctificante dignificatum. Ut sic autem opus meritorium etiam remissum intelligitur sub ratione alicujus vis *formaliter* motivæ, non quidē respectu ipsius in se *formaliter* spectatæ volitionis Divinæ, sed in ordine ad aliquam exhâc transeuntem seu ad extra emanantem actionem. Ista autem vis Divinæ voluntatis, ex parte volitorum excitativa, importat tum intrinsecam actûs supernaturalis, tum ex gratiâ sanctificante huic communicatam, in ordine ad vitam æternam, ejusque, & gratiæ augmentum proportionem, & condignitatem. Hæc autem tota condignitas se habet ex parte actûs primi, utpote non actualem præmij causatricem, & ordinatricem determinationem, sed vim hujus ex parte volitorum *finaliter* motivam importans. At hæc ipsa vis, ex parte volitorum Divinæ volitionis præmium, seu gloriæ, & gratiæ augmentū prærordinantis *finaliter* terminativa & excitativa, intelligitur tum in prævisione Dei secundùm aliquod rationis signum antecedens illam præmij definitivam volitionem, tum in executione reali intelligitur omninò prior actuali talis præmij collatione, ceu actione & causalitate extra Deum *formaliter* transeunte. Quæ proinde tum immanens augmenti gratiæ & gloriæ propter supernaturalem in sanctitatis statu elicitum actum prædestinativa volitio Divina, tum extra Deum transiens præmij ejusdem actualiter causativa actio, spectat ad actum secundum causalitatis ex merito excitatæ. At licèt Deus ex respectu ad meritum posset eatenus decernere actualem gratiæ augmenti causationem, & collationem, quin actionem hujus ex animâ Sanctâ, tanquàm subjecto eductricem velit esse dependentem ab aliquâ ejusdem subjecti dispositione; in quo adeò casu foret ex merito aliquo remisso conferendum gratiæ augmentum independenter ab omni subjecti per actum intensiorem dispositione: Nihilominùs de facto voluit Deus in conferendâ gratiâ servare aliquam quasi connaturalitatem, ita ut eam non daret subjecto, nisi per præviam connaturalem dispositionem, in ratione causæ materialis aliqualiter proportionato. Sic enim primis hominibus & Angelis, ex communi Theologorum sententiâ concessit Deus primam gratiam juxta proportionem dispositionis: sic nec ipsa quidem sacramenta ex opere operato gratiam conferentia, eam tribuunt nisi secundùm propriam cujusque dispositionem. ex Concil. Trident. *cit. sess.* 6. *c.* 7.

Hinc autem evincitur, quòd intensio gratiæ vi sacramentorum conferenda, dependeat ex intensione dispositionis. At indubitatū est, quin meritorum Christi valor, Sacramentis inexistens, ex se ipso independenter à dispositione, secūdùm rationem causæ meritoriæ sit completus, tametsi ipsa gratiæ collatio actualis, tam quoad substantiam, quam quoad intensionem, secundùm Dei ordinationem, in adulto sit dependens ex proportione dispositionis. Pari proinde ratione dicendū est, actū etiam remissum supernaturalem in statu gratiæ elicitum, habere quidem vim in ratione meriti omninò perfectam, attamen quoad actualem augmenti gratiæ ex animâ Sanctâ eductricem causationem pendere ex dispositione subjecti. Unde meritum remissum in Decreto Divino per ejus condignitatem excitato, eatenus est acceptatum, ut hoc ipsum tamen Decretum, gratiæ augmentum, non nisi secundùm quandam dispositionis proportionē actualiter infundendū prædefiniens, suâ efficaciâ non sit illius augmenti actu causativum, nisi pro illo instanti, in quo per actum intensiorem subjectum sub aliquâ dispositionis connaturalitate est proportinatum ad talis augmenti ex animæ substantiâ ceu causâ materiali educendi, ac in se recipiendi, actuationem. 10.

Et hinc facilè patet responsio ad fundamentum *n.* 3 oppositum.



CONTRO-

CONTROVERSIA III.

Utrùm condignitas meritorum fundetur super promissione, & pacto Dei sub conditione sanctorum operum in statu gratiæ elicitorum promittentis præmium vitæ æternæ?

1. PAter ex dictis *in tomo 1. q. 7. a. 2. cont. 2. & 3.* tale pactum existere quidem, non tamen ex illo posse fundari justitiæ rigorosæ obligationem, sed hanc in Deo esse duntaxat fidelitatis ac veritatis radicatæ in immobili voluntatis Divinæ firmitate ac efficaciâ, nec non primâ incommutabili & infallibili Intellectûs Dei veritate: neque verò aliam Deo inexistere Justitiam Distributivam, nisi quatenus importat Bonitatis, & Sapientiæ, ac Perfectionis Divinæ se in creaturas proportionaliter transfundentis condecentiam intrinsecam.

2. Quibus adeò suppositis, restat hîc decidendum; *An illa qualiscumque, ex pacto opera nostra supernaturalia per gratiam sanctificantem dignificata, in vitam æternam, ejusque, & gratiæ augmentum acceptante resultans obligatio, spectet intrinsecè ad rationem meriti quâ condigni?*

Referuntur sententiæ.

3. NEgant Cajetanus 1. 2. *disp. 214. a. 4.* Vasquez *12. disp. 214. à c. 8.* Primum ex Cajetano petitum fundamentum est. Ex illo enim Apostoli *ad Roman. Si filii, & hæredes* evincitur quòd filio obedienti, & ut filio operanti, debetur hæreditas paterna ex solo jure stricto, ita quòd non nisi injustè potest privari. At sola gratia constituit filios Dei, seclusâ quâcumque ordinatione. Ergo ordinatio, seu pactum Dei opera nostra ad vitam æternam acceptantis, est superflua, maximè cùm quicquid per illam fit, salvetur meliùs per motionem Spiritûs Sancti, mediante gratiâ.

4. Secundum ex Vasquezio fundamentũ est. Quia meritũ de condigno non est in materiâ Justitiæ secundùm rationem valoris, & æstimationis pretii sed in materiâ studiosæ actionis, naturâ suâ poscentis pro remuneratione gloriam, & laudem, absq; ullo debito, & obligatione in remunerante.

5. Confirmatur ab absurdis. Nam si ad gloriam condignè promerendam necessaria foret promissio; sequeretur. 1. Multos justos per bona opera vitam æternam non meruisse; siquidem ista promissio requireretur, ut ex eâ oriretur jus ad gloriam in merente, & debitum eam reddendi in retribuente. At non potest ex promissione oriri jus in uno, & debitum in altero, nisi promissio sit utrique parti nota & acceptata. Est autem indubitatum, multos justos ignorasse illam promissionem.

6. 2. Eo ipso, quòd peccatum nostrum absque ullo pacto, & comminatione mereatur nobis pœnam æternam, sequeretur peccatum fore validius ad mortem nobis inferendam, quàm Christi meritum ad gratiam & gloriam restituendam, utpote quod non nisi dependenter ex pacto, & acceptatione Divinâ haberet condignitatem.

7. Ex opposito sub diversis licèt fundamentis affirmant Scotus *in 3. dist. 18. q. un. n. 4.* Gregorius *in 1. dist. 17. q. 1. a. 2. ad 4.* Suarez *lib. 12. de Merito. c. 17. & 18.* Serra *præs. q. 114. a. 1.* Ysambertus Sorbonicus *ad cit. q. 114. disp. 2. a. 2.* Iones à Sancto Thomâ *disp. præs. 29. a. 1. n. 16.* Quibus favere videtur Divus Thomas *eâd. q. 114. a. 1,* ita concludens: *Ex maximâ inter Deum, & hominem inæqualitate non potest hominis ad Deum esse justitia secundùm absolutam æqualitatem, sed secundùm proportionem quandam, in quantum scilicet uterque operatur secundùm modum suum; modus autem, & mensura humanæ virtutis homini est à Deo. Et ideò meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundùm proportionem Divinæ ordinationis, ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo per suam operationem, quasi mercedem ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit.* Fundamentum 1. desumitur ex Concilio Senonensi in *Decret. Fidei c. 16.* asserente, *Deum daturum gloriam unicuique juxta meritum operum suorum. non absolutâ condignitate quidem, sed gratuitâ magis ac liberali repromissione, quâ conventione factâ de denario diurno, conduxit operarios in vineam suam.* Unde Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 6. c. 16.* decernit, etiam Justis vitam æternam esse propositam, tanquàm mercedem, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.

2. Ex ratione petitum fundamentum est. Illud enim requiritur *intrinsecè* ad meritum de condigno, à quo actus studiosus bonus etiam Bonitate supernaturali à justo homine exercitus habet, ut obliget superiorem ad conferendam mercedem tanquàm debitam. At nulla meriti æqualitas & perfectio, secluso pacto Dei, potest ipsum utpote absolutum, super omnimodâ creatâ formalitate ac perfectione Dominium habentem obligare. Consequens proinde est, ad meritum de condigno *intrinsecè* requiri pactum seu ordinationem Divinam; defectu cujus in animabus purgatorii, nec non in Enoch, & Eliâ extra statum viæ positis, actus supernaturales in statu gratiæ eliciti ab ipsis, non sunt meritorii alicujus gradûs gratiæ & gloriæ. 8.

CONCLUSIO.

MEriti ad præmium vitæ æternæ condignitas, importat *formaliter* præcisam operum supernaturalium in statu gratiæ elicitorum cum lumine gloriæ, ac visione Beatificâ, ejusque, & gratiæ augmento proportionem intrinsecam: attamen ipsa formalis meriti condigni ratio, in operibus supernaturalibus ab homine justo elicitis, *formaliter* importat actualem respectu præmii ordinabilitatem ex Divinæ voluntatis ordinatione constitutam:

Probatur. Nam imprimis opus supernaturale gratiâ sanctificante dignificatum considerare licet, quatenus connaturalem cum lumine gloriæ ac visione Beatificâ habet condignitatis proportionem. Hæc autem est per ipsam naturam sanctitatis sub dignitate omnimodam in lineâ supernaturali perfectionem, ipsamque adeò gloriam cœlestem, ejusque augmentum inferaliter præcontinente eatenus se transfunden- 9:

in actus supernaturales ab homine justo elicitos, quatenus isti ex vi talis dignificationis induunt rationem objecti voluntatis Divinæ ad gloriam cœlestem, ceu præmium conferendum ex parte volitorum quasi *moraliter* motivi. In quâ proinde dignificatione per modum formæ dignificantis intervenit ipsa forma sanctificans secundùm naturam suam intrinsecam considerata, per modum autem quasi materialis tali formâ connaturaliter actuabilis se habet ipse actus supernaturalis de naturâ suâ proportionatus ad actuationem talis dignificationis. Ipsa verò dignificatio per modum cujusdam moralis cum gratiâ sanctificante unionis est per hoc, quòd Deus in remunerandis supernaturalibus in statu gratiæ factis operibus per prius respiciat ad formam sanctificantem ceu Radicale Effectivū, & formale Dignificativum operum ejusmodi principium. At hoc ipsum est vi Decreti Divini ex respectu ad animæ quà Sanctæ Dignitatem respicientis ad opera etiam supernaturalia, atque adeò sub formæ sanctificantis Dignificatione acceptantis, & ordinantis eadem in præmium vitæ æternæ. Constat proinde, meritum condignum sub formali actuum supernaturalium dignificationis ratione importare ordinationem Divinam. At hæc ipsa ordinatio Divina adhuc diversimodè considerari potest.

10. Probatur istud assumptum. Quia divina meritorum ad præmium ordinatio potest tum *activè*, tum *passivè* spectari, & illa quidem vel per modum intentionis, vel per modum executionis Deo *formaliter* inexistentis, ac *virtualiter* transeuntis, ista verò est ipsa præmij, ex respectu ad merita, effectiva, *formaliter* extra Deum transiens actio. Hæc igitur respectu meriti se habet ut effectus, cùm econtra activa Deo immanens ordinatio quatenus se habet per modum executionis pro motivo ex parte volitorum *formaliter* terminativo respiciat condignitatem meritorum tanquàm rationem, super quâ fundetur divinæ Justitiæ ad præmiandum obligatio. Quare Divina *activè* considerata ordinatio se habens per modum intentionis eatenus est actuum supernaturalium in statu gratiæ elicitorum coordinativa ad præmium vitæ æternæ, ut vi talis coordinationis stet illa inter gratiam sanctificantem, & actus supernaturales in ordine ad vitæ æternæ præmium unio moralis, meriti quà per gratiam condigni taliter constitutiva, ut sub tali dignificatione actus ejusmodi vim quandam *moraliter* motivam habeant ad Divini, meritorum ex justitiâ remunerativi Decreti excitationem. At meriti ad præmium justitiæ qualiscunque condignitas nihil aliud est, quàm ejusmodi ex justitiâ remunerativi Decreti *moraliter* excitativa vis, & ratio. Cùm igitur ista vis *moraliter* excitativa supernaturalibus in gratiâ elicitis actibus conveniat, quatenus per Divinam Intentionis, præmium in prædestinatis absolutè, in cœteris autem conditionatè duntaxat præparativæ ordinationem, secundùm suam intrinsecam cum tali præmio proportionem sunt adaptati, ad Divinum præmij ejusdem ex justitiâ remunerativum ac executivum Decretum *moraliter* excitandum, consequens est, illam Divinæ intentionis ordinationem esse de formali ratione meriti quà simpliciter condigni.

11. Et hinc facilè conciliari possunt sententiæ discordantes, ita ut prima teneat de condignitate ex vi connaturalis formæ sanctificanti, & supernaturalibus actibus *formaliter intrinsecè* convenientis ad vitæ æternæ præmium proportionis subjecto imprimente aliquam, Divinitùs tamen superabilem ad præmium connaturalitatis exigentiam: secunda verò sententia teneat de condignitate quandam Justitiæ, Deo tamen proportionatæ obligationem inducente, ut sic intentionis meritorū ad gloriæ præmium ordinatricis efficaciam eatenus importante, ut ex vi talis intentionis eo ipso subsistat quædam necessitas, & obligatio Decreti ex Justitiâ Divinæ tamen perfectioni conveniente, meritorum remunerativi, atque adeò præmij sub formali coronæ Justitiæ ratione effectivi illativâ.

COROLLARIUM.

INfertur. *Qualiter ad meritum ex parte operantis requiratur status viatoris.* Nam 1. indubitatum esse, quin, si homo aliquis sit simul viator, & comprehensor, possit mereri; sic enim Christus possidendo Beatitudinem Essentialem erat Comprehensor, & tamen merebatur Corporis sui gloriam, ac humani generis redemptionem. 12.

2. Non posse hominem, quatenus est Comprehensor, adhuc mereri. Ratio est. Quia status viatoris importat tendentiam, & motum ad terminum, status verò Comprehensoris possessionem talis termini seu præmij. At repugnat, aliquem respectu ejusdem esse in quiete seu possessione, ac motu seu tendentiâ, uti argumentatur S. Thomas *in 3. p. q. 15 a. 10.* Etsi proinde is, qui est in possessione beatitudinis tam animæ, quàm corporis, posset secundùm Divinæ non quidem ordinariæ, sed absolutæ potentiæ ordinationem mereri adhuc excellentiorem Beatitudinis gradum, eo ipso tamen dicendus foret talis, eatenus esse in statu Comprehensoris, ut simul esset in statu viatoris. 13.

ARTICULUS II.

DE

Objecto Meriti.

TRes majori consideratione dignæ hic moveri possunt controversiæ. 1. *An, & Qualiter prima gratia cadere possit sub merito?* 2. *Quænam sit ratio fundamentalis, cur nemo possit alteri mereri de condigno gratiam Justificantem, nec quisquam sibi reparationem post lapsum?* 3. *Utrùm, & quomodo perseverantia gratiæ præsertim finalis sub meritum cadere possit?*



CON

CONTROVERSIA I.

An, & qualiter Prima gratia cadere poſſit ſub merito?

1. DIfficultas moveri poteſt de primâ gratiâ cum actuali, tum habituali. Et quidem circa priorem, actualem ſcilicet gratiam ſupernaturalem hic poſſet inquiri; *An opera moraliter bona ordinis naturalis poſſint habere aliquam meriti ſaltem congrui proportionem in ordine ad ſupernaturalem actualem actuum Fidei ſeu Spei excitativam gratiam ſaltem ſufficientem.* Verùm hujus diſcuſſio ac deciſio ſufficienter patet ex dictis *to. 1. q. 9. a. 2. cont. 2.* eò vel maximè, quòd Juſtificationis exordium ſit à tali primâ proveniente gratiâ, ex Concil. Trident. *ſeſſ. 6. de Juſtif. c. 5.* At hanc ipſam prævenientem gratiam, eſſe vocationem excitantem ad actus, quibus diſponimur ad Juſtificationem, conſtat ex *præcitato* Sacro Concilio. Ejuſmodi verò diſpoſitionem non poſſe eſſe niſi ſupernaturalem, demonſtravimus *ſupra.* Eo ipſo autem, quòd poſſemus talem primam actûs ſupernaturalis excitativam gratiam mereri, oporteret, hoc fieri per actum *moraliter* bonum ordinis naturalis. Hinc autem ſequeretur, Juſtificationis exordium eſſe ex tali naturali actu. Cùm igitur exordium Juſtificationis non ſit niſi ex gratiâ ad ſupernaturalem actum excitante, talem verò primam gratiam nequeant præcedere actus ſupernaturales ad Juſtificationem diſpoſitivi, evidenter infertur, non poſſe talem primam gratiam cadere ſub meritum, niſi Juſtificationis exordium eſſet ex actu naturali; quod tamen non cohæret cum *præcitati* Sacri Concilij doctrinâ.

2. Quare de primâ gratiâ Habituali duntaxat difficultas ſupereſt. Et quidem extra controverſiam eſt, quod talis gratia non poſſit ſub merito condigno cadere tum ex defectu proportionis, nequit enim actus ſupernaturalis ex ſuâ præciſè entitate habere proportionē *Eminenter* vel *radicaliter* contentivam Excellentiæ gratiæ ſanctificantis; ad meritum autem condignum requiritur excellentia præmij *radicaliter*, vel *eminenter* contentiva; tum ex indignitate ſubjecti, utpote ex peccati mortalis exectabilitate merentis omnimodā Eſſe ſupernaturalis privationem: tum denique ex ipsâ gravitate peccati mortalis, non niſi per ſatisfactionem infinitam ad condignitatem reparabilis. Unde, cùm gratiæ ſanctificantis infuſio nequeat fieri niſi per Divinam erga peccatorem ſub Eſſe ſupernaturali omnimodæ Divinæ quaſi ſpecificæ participationis in ſe *radicaliter* continente dilectionem, ut ſic peccati mortalis *cauſaliter* remiſſivam, ſit conſequens, gratiam ſanctificantem æquè non poſſe cadere ſub meritum condignum hominis peccatoris, atque non poſſit dari hominis puri condigna pro peccato mortali ſatisfactio, de quo ex inſtituto egimus *to. 4.* Procedit igitur controverſia de merito congruo,

An ſcilicet prima gratia juſtificans poſſit cadere ſub meritum congruum?

-:(o):-

[illegible]

Referuntur Sententiæ.

CApreolus *in 4. diſt. 14. q. 2. ad 3.* Sotus *lib. 2. de nat. & grat. c. 4.* Medina *1. 2. q. 114. art. 5.* & alij tenent, opera ſupernaturalia, quæ juſtificationem præcedunt, etſi habeant rationem diſpoſitionis ad illam, non tamen habere rationem meriti etiam congrui. Fundamentum eſt. Quia Juſtificatio nullo modo datur ex aliquo jure ipſius perſonæ. At impoſſibile eſt, quòd opera habeant meritum, atque adeò jus aliquod ad præmium, niſi tale jus ſit etiam penes perſonam, ſiquidē pro indiviſo ſe habeat jus operis, & operantis. Eo ipſo autem, quòd remiſſio peccatorum nullo modo detur intuitu perſonæ, nequit penes iſtam ex opere aliquo ſupernaturali eſſe aliquale jus ad juſtificationem. Ergò talis Juris ſeu meriti etiam congruitatiò neque ſe tenere poteſt penes ipſum opus ſupernaturale. Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. de Juſtif. c. 8.* definit; *Quòd ideò gratis juſtificari dicamur, quia nec fides, nec opera, quæ juſtificationem antecedunt, ipſam juſtificationis gratiam promerentur.* 3.

Ferrarienſis *3. contra Gentes. c. 149. in fine.* Suarez *lib. 12. de Merito. cap. 32.* Vaſquez *1. q. 218. a cap. 2.* Amicus *præſ. diſp. 35. ſect. 11.* & alij tenent, opera bona gratiam præcedentia habere poſſe rationem meriti ſaltem de congruo, & impetratorij reſpectu gratiæ Juſtificantis. Citantur pro hac ſententiâ etiam Divus Thomas *in 2. diſt. 27. q. un. art. 4.* & S. Bonavent. *in 4. diſt. 15. p. 1. art. 1. q. 5.* Fundamentum eſt. Quia eo ipſo, quòd actus ſint ſupernaturales, habent proportionem cum gratiâ Habituali & decentiam ſeu congruitatem, ut propter illos detur remiſſio peccatorum. Hanc verò ſupernaturalitatem non habent à gratiâ, ſed ex naturâ ſuâ. Ergo illis nihil deeſt ex parte operis, ut ſint merita congrua, ex parte autem operantis non requiritur condignitas, cùm aliàs eſſent merita condigna. Ergo habent illa opera, quidquid requiritur ad tale meritum. Unde Divus Auguſtinus *epiſt. 105.* ait, *Quòd ipſa remiſſio peccatorum non ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, nec enim nullum eſt meritum Fidei.* 4.

Ioannes à ſancto Thomâ *cit. diſp. 31. art. 1. n. 21.* cui ferè concordat Serra *præſ. q. 114. a. 5.* exiſtimat, inter illas duas ſententias ſolùm eſſe diverſitatem quoad modum loquendi, non quoad rem ipſam. Fundamentum eſt. Nam meritum de congruo dupliciter poteſt accipi: uno modò *propriè*, & *ſtrictè*, prout fundatur in aliquo Jure perſonæ ſaltem amicabili. Alio modò largè, prout ſolùm dicit quandam decentiam, vel impetrationem fundatam in liberalitate dantis, & non repugnantiâ recipientis. Inſuper meritum de congruo vel poteſt ſumi ſolùm ex parte operis, prout eſt proportio, ſeu diſpoſitio ad formam, vel poteſt ſumi ex parte operantis, prout fundat Jus non quidem ex Juſtitiâ, ſed ex amicitiâ, ratione cujus dicitur à Divo Thomâ *hic art. 6. ad 2 fundari hoc meritum in miſericordiâ DEI?* accipiendo miſericordiam etiam pro Jure amicabili. At licèt ex parte operantis peccatoris nullum detur Jus propter impedimentum peccati, nec adeò, quantum eſt ex parte ſui, poſſit peccator habere meritum congruum; hâc enim de cauſâ Divus Thomas *præſ. q. 114.* negat, hominem poſſe reparationem poſt lapſum mereri etiam de congruo, cùm ponat impedimen- 5.

dimentum per peccatum. Nihilominus ex parte operis in quantum istud ratione scilicet supernaturalitatis habet proportionem dispositionis ad formam sanctificantem, concedi potest, dari meritum congruum, ita tamen, ut tale meritum habeat Jus ex parte personæ impeditum propter impedimentum peccati. Unde propriè non est meritum, sed manet in vi dispositionis, vel impetrationis secundùm puram misericordiam.

Conclusio.

Actus supernaturalis in statu peccati mortalis eliciti in ordine ad Justificationis gratiam ita habent rationem dispositionis proximæ remotæ, ut habeant etiam aliquam vim ejusdem impetratoriam, & de condigno meritoriam.

6. Probatur. Ea enim est ratio dispositionis subjectum ad formam aliquam habilitantis, ut ista omnimodè reduci debeat ad causam materialem, attamen sit hujus determinativa ad formam in specie, vel etiam individuo determinatam. Hæc ipsa verò subjecti per dispositionem determinatio non est per modum perfectivi, sed perfectibilis duntaxat. Unde tota ista determinatio manet intra lineam causæ materialis seu potentialitatis perfectibilis. Ista verò in genere dispositionis determinatio nihil est aliud, nisi connaturalis quædam exigentia ad formam subjecti taliter dispositi actuantem, & *intrinsecè* perfectivam. Ejusmodi verò connaturalis ad formæ actuationem exigentia alia est remota, alia verò proxima. Ista autem importat exigentiam in genere causæ materialis Ultimatè completam & perfectam respectu illius per formam actuationis, cùm illa econtra importet exigentiam formæ adhuc imperfectam, ac mediante ulteriori dispositione perfectibilem. Eo ipso autem, quòd proxima dispositio importet formæ exigentiam in genere causæ materialis omnino perfectam; eatenus est connaturaliter connexa cum actuatione formæ, ut connaturaliter sit procedens ex hujus emanatione; cùm econtra dispositio remota in genere dispositionis intra causæ materialis lineam adhuc perfectibilis non sit connaturaliter connexa cum actuatione formæ, nec adeò sit procedens connaturaliter ex formæ emanatione, sed ex principio Effectivo duntaxat Extrinseco. Ex quibus adeò patet, connaturali sive proximæ, sive remotæ dispositioni eatenus esse vim subjecti in genere causæ materialis respectu formæ, ejusque actuationis determinativam, ut hæc ipsa determinatio importet quandam connaturalitatis respectu formæ hujusmodi exigentiam. Pari proinde ratione dicendum est, de actibus supernaturalibus extra gratiæ statum elicitis, quòd habeant rationem alicujus dispositionis, & consequenter connaturalis alicujus exigentiæ ad gratiæ sanctificantis infusionem.

7. Probatur istud subsumptum. Inter hos enim actus alij, veluti actus Fidei, spei, & attritionis se habent ut dispositio duntaxat remota, alij verò scilicet contritio perfecta, & Dilectio Dei se habent ut dispositio proxima. At omnes quidem supernaturales actus in eo conveniunt, quòd secundùm suam speciem connaturaliter exigant *effectivè* procedere ex habitu supernaturali infuso tanquàm principio proximo & ex gratiâ sanctificante tanquàm principio radicali. Nihilominus actus contritionis perfectæ, & Dilectionis Dei hoc speciale habent, ut ratione sui motivi *virtualiter* in se contineant omnium aliorum supernaturalium virtutum actus. Hinc autem fit, quòd actus contritionis perfectæ ac Dei super omnia dilectionis per naturam suam habeant connaturalitatis connexionem cum gratiâ sanctificante secundùm universalem cum istâ ceu actuum supernaturalium radicali principio coæquationem. Ista verò coæquatio universalis in eo se tenet, quòd, sicut gratia sanctificans est omnis supernaturalis actûs radicale Effectivum principium, sic actus charitatis exigat virtutem sui effectricem, sub cujus motivo *virtualiter* contineantur omnium virtutum supernaturalium motiva, atque adeò ratione hujus continentiæ virtualis possit esse tum Elicitivum, tum Imperativum omnimodi supernaturalis actûs principium. Unde inter charitatis, & aliarum virtutum actus hoc discriminis est, quòd isti in suo quidem connaturalitatis statu exigant procedere à gratiâ sanctificante ceu Radicali Effectivo principio, non tamen secundùm universalem cum gratiâ ejusmodi qua supernaturalitatis principio *intrinsecè* coæquationem, sed secundùm commensurationem magis limitatam, & magis imperfectam, ratione cujus adeò imperfectionis habent cum gratiâ sanctificante connaturalitatis connexionem in ratione dispositionis non ultimatè perfectam, subeuntque proinde rationem dispositionis duntaxat remotæ, non autem proximæ, cùm econtra actus Dilectionis Dei, & contritionis perfectæ ratione suæ universalis cum gratiâ sanctificante quà radicali omnium actuum supernaturalium principio coæquationis sit in ratione dispositionis seu connaturalis ad gratiam sanctificantem connexionis ultimatè perfecta. At verò talis connaturalitatis exigentia ad gratiæ sanctificantis infusionem sive *proximè* ac *perfectè*, sive *imperfectè* ac *remotè* est eatenus dispositiva, ut possit subire rationem causæ ex parte volitorum *finaliter* motivæ ac *moraliter* excitativæ ad gratiæ sanctificantis infusionem à Deo decernendam. Ista verò vis ad gratiæ sanctificantis infusionem voluntatis Divinæ *moraliter* excitativa habet rationem meriti, seu valoris cujusdam impetratorij. Eo ipso autem, quòd gratia sanctificans ceu forma supernaturalis omnium perfectissima superexcedat condignitatem, seu coæquationem actuum supernaturalium, nequeunt isti extra gratiæ statum eliciti habere rationem meriti condigni, sed congrui duntaxat, utpote non omnino perfecti, sed quasi perfectibilis per gratiæ sanctificantis dignificationem. Constat igitur, qualiter actus supernaturales in statu peccati mortalis eliciti habeant respectu gratiæ sanctificantis vim Impetratoriam, & de congruo meritoriam.

Et hinc facilè conciliantur sententiæ à n. 5. propositæ ac deductæ. Verum enim est, opera supernaturalia à peccatore elicita habere rationem alicujus ad gratiam sanctificantem impetrandam meriti non quidem fundati in dignitate, seu jure personæ, sed in ipsâmet intrinsecâ actûs supernaturalis entitate. Unde verificari, quòd non tam peccator his operibus utpote intra ip- 8

sum

... effectus radicalis, mereatur gratiam, quàm primùm supernaturales actus ex supernaturali ratione peccati omnino indebito, & extrinsecùs immisso principio eliciti habeant ex se vim voluntatis Divinæ gratiam sanctificantem præparantis *moraliter* excitativam, ut sic gratiæ sanctificantis impetratoriam, & de congruo meritoriam non ex parte operantis principij *Quod*, sed ex parte operis in operante quà principio *Quod* nullam connaturalitatis radicem habentis.

✽✽✽✽✽✽✽✽(✽)✽✽✽✽✽✽✽✽

CONTROVERSIA II.

Quæ sit ratio fundamentalis, cur nemo gratiam sanctificantem, ejusve augmentum alteri, nec quisquam sibi in statu gratiæ lapsûs subsecuturi reparationem possit de condigno promereri?

1. EXtra controversiam ponimus, quin possit aliquis alteri *de congruo* promereri Justificationis gratiam In cujus probationē Sanctus Augustinus *q. 149 in Exodum* profert exemplum Moysis, qui, cùm videret Deum Judæis infensum, interposuit se tanquàm murum pro Israel, donec placaretur. Unde idem Sanctus *ibidem* concludit, *Magnos peccatores posse aliorum meritis apud Deum sublevari.* Cui conforme est, quod habet *lib. 12. de Civit. c. 17. Peccatores*, inquiens, *juvari ac defendi orationibus Sanctorum.* Et *Serm. 4. de Sanctis.* Item *Serm. 99.* sic ait; *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.*

2. Quare controversia procedit tantùm de Merito condigno. Cujus equidem decisionem præbemus *in to. 4. q. 2. a. 2. cont. 4.* ubi *n. 5.* probamus, quòd per Divinæ voluntatis vim, & efficaciam fieri posset, ut unius creaturæ satisfactio esset condigna pro aliorum peccatis, non quà Divinæ Majestatis sunt *moraliter* offensiva, sed quà continent aliquam cum naturâ rationali etiam ad statum gratiæ elevatâ repugnantiam. Ibidem *n. 10.* deducimus etiam rationem, cur de absolutâ Dei potentiâ, non autem de facto possit homo justus alteri *de congruo* mereri Justificationis gratiam.

Quibus adeò suppositis, ad alterum Controversiæ membrum progredimur discussuri rationem, *An, & cur homo justus non possit operibus Sanctis tunc elicitis de congruo promereri sibi reparationem lapsûs postea subsecuturi?*

Referuntur sententiæ.

3. BEllarminus *lib. 5. de grat. c. ult.* affirmat, posse hominem justum suis actionibus mereri sibi *de congruo*, ut reparetur post lapsum. Fundamentum est 1. ab authoritate Sacrarum Litterarum; sic enim dicitur *ad Heb. 6. Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis;* At Paulus loquitur ad fideles, qui priùs erant justi, sed postea lapsi fuerunt in peccatum. De quorum adeò operibus ait, non esse injustum Deum, ut obliviscatur operum, quæ fecerant in statu gratiæ. Hinc 2. *Paralip. c. 19.* Josaphat graviter quidem reprehenditur, iramque Dei meruit, quòd impio regi Achab tulisset auxilium, & amicitiâ junctus esset principibus, qui Deum odissent. Nihilominùs Deus ipsi pepercit propter bona opera, quæ in illo inventa fuerant, præsertim quia sustulit lucos de terrâ Judâ. Unde patet, quòd Josaphat bonis operibus antea factis promeruerit, ne Deus etiam postquàm peccavit, ipsum desereret.

2. Ex ratione. Quia Justus potest mereri *de congruo* conversionem alterius. Ergo etiam suam mereri potest, si posteà inciderit in peccatum mortale. 4.

Econtra Sanctus Thomas *1. 2. q. 114. a. 7.* Cajetanus *ibidem.* Vasquez *cit. a. 7.* Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 31. a. 2. n. 6.* negant, reparationem post lapsum cadere sub meritum proprium etiam congruum. Fundamentum est 1. ab authoritate. Sic enim habetur *Ezech. 18. Si averterit se justus à justitiâ suâ & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerit, non recordabuntur amplius.* Ex quo patet, quòd interposito peccato, evacuentur merita. 2. Ex ratione. Quia omninò evacuatur meritum, quando tam in eo, cui meretur, quàm in eo, qui meretur, ponitur impedimentum ad retributionem. At istud ponitur respectu reparationis post lapsum eo ipso, quòd supponatur lapsurus. Ergo evacuatur meritum, ita ut careat efficaciâ in perveniendo ad præmium. 5.

CONCLUSIO I.

REpugnat, quòd per actus quantumvis sanctos in statu gratiæ elicitos quis mereatur etiam *de congruo* reparationem lapsûs postea secuturi.

Probatur. Quia ut istud meritum subsisteret, oporteret, actus taliter meritorios à primo suæ elicientiæ instanti sic esse acceptatos à Deo, ut ipsorum efficacia in ordine ad reparationem ne quidem ex peccato postea subsecuto enervaretur. At istud haud subsistit. Ergo nec id, ex quo sequitur. Minor probatur. Quia ex peccati mortalis malitiâ infinitâ eatenus concitatur odium, & ira, seu indignatio Dei adversùs peccatorem, ut per execrationis hujus efficaciam peccatori sit debitum carentiæ omnimodæ perfectionis supernaturalis. Hoc autem debitum, licèt per immissiones aliquarum gratiarum actualium, seu non subtractionem Fidei ac Spei habituum possit *inadæquatè* remitti, manente adhuc peccati Habitualis maculâ, eo ipso tamen, quòd gratia Habitualis sit omnimodæ supernaturalis formæ continentia radicalis, sequitur, per ipsius infusionem eatenus esse sublatum in radice adæquatum supernaturalibus perfectionibus carendi debitum, ut per talem infusionem *formaliter* fiat remissio peccati mortalis. Unde non posset etiam congruum de gratiæ amissæ reparatione meritum esse à Deo acceptatum, quin pro illo instanti, pro quo talis meriti acceptatio subsisteret, intelligeretur penes peccatorem adhuc stare *moraliter* opus meritorium, tanquàm motivum acceptationis ejusmodi Divinæ *moraliter* excitativum, & ex parte volitorum *finaliter* terminativum. At implicat, pro illo instanti, pro quo ex Divinæ per peccati mortalis malitiam adversùs peccatorum concitatæ 6.

citatæ execrationis efficaciâ contrahitur debitum carendi omnimodâ supernaturali formâ, ipsâque adeò sanctificante gratiâ tanquàm universæ supernaturalitatis radicali principio, intelligi *moraliter* subsistere opus meritorium tanquàm motivum Divinæ gratiam sanctificantem decernentis acceptationis *moraliter* excitativum. Oportet igitur, operis meritorij ad tale Divinum Decretum *moraliter* excitativi efficaciam eo ipso esse sublatam in illo instanti, in quo per peccatum *mortale* contrahitur omnimodæ supernaturalis perfectionis debitum. Cùm igitur operis supernaturalis valor, reparationis post lapsum de congruo meritorius, deberet pro ipso etiam peccati mortalis contracti instanti adhuc subsistere, ista verò valoris meritorij subsistentia pugnet cum peccato mortali, consequens est, in opere supernaturali intra gratiæ statum elicito non posse intelligi valorem reparationis gratiæ postea amissæ *de congruo* meritorium.

Responsio ad opposita fundamenta.

7. AD *n. 3.* oppositum Respondetur. In illo textu Apostoli supponi, quòd Deus foret injustus, si oblivisceretur dilectionis ante peccatum habitæ. At in merito solùm congruo non posse fundari aliquod Justitiæ debitum. Quare illum Sacrum textum non posse intelligi de operibus reparationis post lapsum postea secuturum *de congruo* meritorijs, sed accipiendum esse de meritorum in statu gratiæ factorum reviviscentiâ. Neque verò in aperto esse, quòd Josaphat ex illâ cum impio Achabo junctâ amicitiâ arguatur peccati mortalis, utpote cui Propheta talem iram Dei indixerit, cum quâ pœnam temporalem erat incursurus, nisi bona opera in eo inventa fuissent, cujusmodi postea pœnam & vindictam ratione fœderis cum Ochozia post talem comminationem initi reipsâ etiam expertus fuit. Quare ex illo *Paralip.* Sacro textu efficaciter concludi pro instituto præsentis controversiæ.

8. Ad *n. 4.* oppositum Respondetur. Disparem esse rationem in eo utpote justo, qui in statu gratiæ constitutus alteri *de congruo* promeretur gratiam & remissionem peccatorum, atque in illo, qui postea lapsus in peccatum mortale facit omne meritum suum eatenus evacuari, ut pro tali tempore nequeat habere ullam in actu saltem, merendi efficaciam, nisi impedimentum talis efficaciæ impeditivum intelligatur prius sublatum. At verò hujus impedimenti, morale gratiâ reparatrice carendi debitum, importantis ablatio importat *formaliter* ipsammet gratiam sanctificantem, ut sic peccati mortalis *formaliter* reparativam. Unde ad hoc, ut meriti congrui per subsequens peccatum evacuati efficacia ad ipsammet gratiam reparatricem promerendam reviviscceret, oporteret, naturâ prius intelligi infusam gratiam sanctificantem, ut sic peccati mortalis *formaliter* restauratricem. Atqui manifestè implicat, gratiam sanctificantem reparatricem eatenus esse ex merito congruo concessam, ut ejus tamen infusio intelligatur naturâ prius facta, quàm subsistere queat meriti ejusmodi utpote peccato evacuati efficacia. Manifestè igitur repugnat, quòd bona opera in statu gratiæ elicita possint *de congruo* esse meritoria reparationis lapsûs postea secuturi. Nihilominùs potest debitum carendi efficaci ad perfectam etiam (cui non quidem secundùm naturam rei, sed ex ordinatione Divinâ est infallibiliter connexa gratia reparatrix) pœnitentiam adjutorio Divino, intelligi priùs naturâ sublatum extrinsecò misericordiæ Dei Decreto, quàm intelligatur gratiæ infusio, utpote consequens pœnitentiam vi Decreti Debitum illud *causaliter misericorditer* condonantis effectam. In hoc ipso autem Decreto Divino potest intelligi tum formalitas intentionis, per modum finalizationis ex superimmensâ Dei bonitate, & misericordiâ quasi excitatæ, tum formalitas executionis per modum causalitatis pœnitentiam illam efficientis. Inter has autem formalitas intentionis eatenus est prior *virtualiter* formalitate executionis, ut pro aliquo rationis signo hanc antecedente intelligatur, vi illius jam causaliter remissum debitum carendi efficaci ad pœnitentiam gratiâ actuali Vi cujus adeò remissionis intelligi potest ipsummet etiam operum supernaturalium ante lapsum elicitorum valorem reviviscere, ut possit habere efficaciam actualis *de congruo* meriti, intuitu cujus intelligatur Deus habere Decretum pœnitentiæ executivum, ac effectivum. Quamvis proinde repugnet, operibus in statu gratiæ elicitis inesse vim reparationis lapsus postea secuturi *de congruo* meritoriam, attamen non inconvenienter concedi potest ejusmodi operibus valor, *congruè* meritorius auxilij pœnitentiam gratiæ amissæ *dispositivè* restauratricem conferentis, Sub quâ proinde distinctione conciliari possunt sententiæ circa præsentem materiam oppositæ: potestque adeò, si Sacra Scriptura de Josaphat fortassis (si peccasset mortaliter) *2. Paralip. 19.* & de alijs *Apocalyp. 2.* innuat, 9.
quandam operibus in statu gratiæ priùs factis inesse vim ad Divinam pro gratiâ reparatrice congruè meritoriam, hoc accipi respectu gratiæ actualis, pœnitentiam *dispositivè* restauratricem conferentis, non autem respectu sanctificantis *formaliter* reparatricis Habitualis gratiæ.

CONTROVERSIA III.

Utrùm, & quomodò perseverentia, & gratia Finalis possit cadere sub meritum?

IN *præt. tom. 4. a. 1. cont. 4.* ostendimus, gratiæ sanctificanti inesse vim merè *physicè* sufficientem, non verò ex se præcisè efficacem ad gratiæ conservationem ac perseverantiam. Hic jam quæritur; *Utrùm operibus supernaturalibus in statu gratiæ elicitis possit competere vis moraliter seu meritoriè effectiva perseverantiæ in gratiâ præsertim finalis?* Et quidem dari posse talis perseverantiæ meritum congruum, evincitur per authoritatem Sancti Augustini *de Bono perseverantiæ cap. 6. Perseverantiam*, inquientis, *suppliciter quis emereri potest.* Verùm de merito condigno perseverantiæ, quamvis id neget Divus Augustinus *cit. lib. de Bono persev.* & S. Thomas *1. 2. q. 114. a. 9.* difficultas esse potest; *Qualiter possit hujus meriti repugnantia efficaciter demonstrari?* 1.

Resi-

Referuntur Sententiæ.

2. Divus Thomas *citatus* sequens adducit fundamentum. Quia principium meriti non potest cadere sub meritum. Atqui auxilium, & motio Divina, quâ aliquis movetur à Deo, ut non succumbat tentationibus, nec gratiam interrumpat per peccatum, tenet se ex parte principij meriti: siquidem auxilium, & motio Divina sit principium operandi, & in hoc solùm consistat, quòd moveat ad opus. Ergo non potest cadere sub meritum.

3. Ioannes à Sancto Thomâ *præs. disp. 31. a. 3.* ait, hanc Doctoris Angelici rationem non probare, quòd motio Divina simpliciter spectata non possit cadere sub meritum, cùm non repugnet, unum actum mereri motionem Divinam ad alium actum. Sed quòd talis Dei motio quatenus est conservativa gratiæ, debeat sub meritum cadere. Fundamentum est. Quia conservatiò est ipsa continuatio primæ productionis, estque *continuative* ipsamet productio. Unde qui mereretur auxilia continuativa gratiæ seu perseverantiam, consequenter mereretur ipsam continuationem principij meriti, quod est gratia, secundùm quod se tenet ex parte Dei moventis ad conservandum. Unde is solùm, qui potest alteri mereri gratiam sanctificantem, potest ejus continuationem, & perseverantiam mereri, sicut Christus meruit nobis. Consequens proinde est, non posse sub meritum cadere motionem Divinam, quatenus est conservativa gratiæ, quæ est principium meriti.

Conclusio.

Eo ipso, quòd gratia sanctificans respectu actualis efficacis auxilij ad perseverandum requisiti habeat proportionem alicujus duntaxat potentialitatis, non potest Perseverantia gratiæ cadere sub meritum condignum.

4. Probatur. Tota enim meriti condignitas in opera supernaturalia derivatur ex gratiâ sanctificante. Si ergo ista respectu auxilij efficacis ad perseverandum requisiti non habeat ex seipsâ proportionem æqualitatis, vel continentiæ Eminentialis, ac virtualis, sed potentialitatis duntaxat, sequitur, opera supernaturalia elicita in statu gratiæ non posse ex hujus dignificatione habere valorem talis auxilij *de condigno* meritorium. At eo ipso, quòd auxilium efficax dans posse ac velle spectet ad lineam actualis exercitij, atque adeò existentiæ, sequitur, gratiam sanctificantem non posse cum illo habere proportionem æqualitatis, seu condignitatis, sed potentialitatis duntaxat. Probatur istud assumptum. Nam forma, cujus essentia non importat Esse actualis existentiæ, sed potentialitatem sub determinatâ Essendi lineâ definitam, ex se ipso habet principium effectûs cujuscumque, quoad Esse actualis existentiæ determinativum. Unde quia sola Dei essentia est Esse subsistens, huic unicè in effectibus creatis tanquàm formalis *secundùm Quartum perseitatis modum* Terminus respondet Esse actualis existentiæ. Cùm igitur gratia sanctificans utpote forma creata, non per essentiam sit existens, nequit ex se ipsâ habere vim sub ratione principij radicalis, seu continentiæ virtualis, sive sub exigentiæ connaturalis condignitate determinativam ad actualem formæ alicujus supernaturalis existentiam. At verò auxilium Dei efficax, ipsum velle & operari actuale conferens, ut sic non importat præcisam actûs supernaturalis speciem, sed ipsammet exercitam actûs ejusmodi elicientiam & existentiam quà ex Divinæ Donationis causalitate promanantem. Sicuti ergo gratia sanctificans ex suâ Essentiâ non habet actualitatem, sed potentialitatem duntaxat existendi, sic nequit actibus supernaturalibus tribuere condignitatis, & æqualitatis, vel supereminentiæ, sed potentialitatis ut sic meritum duntaxat congruum fundantis proportionem in ordine ad efficax perseverantiæ auxilium.

Dices. Hoc argumento probari, quòd neque consecutio æternæ gloriæ possit cadere sub meritum condignum. At istud adversari Concilio Tridentino *sess. 6. de Just. cap. 16.* Probatur sequela majoris. Etenim illa consecutio æque, ac efficax perseverandi auxilium pertinet ad lineam actualis existentiæ. Si ergo ratio superius deducta subsistat circa perseverantiam, consequenter procederet etiam de vitæ æternæ actuali consecutione. 5.

6. Contra. Nam consecutio vitæ æternæ considerari potest tum quoad specificationem hujus formæ, ejusque adeptionis, tum quoad exercitium actualis existentiæ ac individuationis. At verò gratia sanctificans habet intrinsecam connaturalitatis exigentiam, ex se ipsâ virtualiter coæquatam cum perfectione luminis gloriæ, ac visionis Beatificæ, quâ actionis Divinam Essentiam, ut est in se, cum intellectu creato intelligibiliter unientis. Hæc autem luminis gloriæ ac visionis Beatificæ perfectio est ipsamet formæ ejusmodi ratio specifica. Unde consecutiò vitæ æternæ quoad specificationem continetur virtualiter intra perfectionem gratiæ sanctificantis, atque adeò ut sic cadit sub meritum condignum operum in statu gratiæ elicitorum. At verò, licèt illa ipsa vitæ æternæ consecutio quoad exercitium actualis existentiæ ac individuationis non possit *virtualiter* esse contenta, nisi in virtute divini subsistentis ex se ipso hæcceitati, & purè subsistentis Esse, nec adeò possit gratia sanctificans respectu ejusdem habere proportionem condignitatis, sed potentialitatis duntaxat; attamen gratiæ sanctificantis in ordine ad luminis gloriæ, ac visionis Beatificæ specificationem seu speciem condignitate suppositâ; Deus superinducit pactum de actuali gloriæ ejusmodi consecutione conferendâ. Istud verò pactum involvens formalissimè Decretum Divinum est ipsius actualis in talibus formis beatificis existentiæ præfinitivum & causativum. Eo ipso autem, quòd tale pactum fundetur super gratiæ ad visionis Beatificæ specificam perfectionem condignitate, sequitur, in pacto ejusmodi fundari æqualitatem Justitiæ, Deo tamen proportionatæ. Patet proinde, bene intelligi posse, qualiter consecutio vitæ æternæ ceu corona Justitiæ ex merito condignò supernaturalium in statu gratiæ elicitorum operû conferatur, licèt consecutio ejusmodi quoad exercitium actualis existentiæ, & individuationis sit ultra condignitatem gratiæ sanctificantis. Et hinc locum etiam habet commune illud axioma

Theologorum, quòd Deus præmiet ultra condignum. Pari proinde ratione ipse actus supernaturalis, vi cujus finaliter observando præceptâ Dei, subsistit perseverantia finalis, utpote intra virtualem condignæ connaturalitatis in gratiâ continentiam inclusus posset quoad speciem seu Essentiam suam conferri ex merito aliquo condigno, si Deus pacto suo firmasset talis actûs collationem ex respectu ad præcedentem in gratiâ elicitum actum. Quia tamen ipsummet efficax hujus actûs actualiter collativum auxilium *formalissimè* spectat ad lineam actualem existentiæ, nequit ut sic cadere sub meritum condignum, sed congruum duntaxat, veluti probat ratio *superius* deducta.

COROLLARIUM.

1. INfertur 1. Gratias quidem sufficientes, non autem efficaces in ordine ad opera supernaturalia posse cadere sub meritum condignum. Ratio est. Quia illæ, dantes virtutem operandi, non istæ, ipsum actuale operari, vel velle conferentes, spectant *formalissimè* ad lineam existentiæ, non autem specificæ cum gratiâ proportionatæ supernaturalis perfectionis.

2. Infertur 2. Quamvis prima gratia sanctificans, uti *supra cont. 2.* demonstratum est, non possit cadere sub meritum condignum, bene tamen augmentum gratiæ, & gloriæ, ac vitæ æternæ consecutionem. Ratio desumitur ab authoritate Concilij Tridentini *sess. 6. de Justif. cap. 16.* sic definientis: *Bene operantibus usque in finem vita &c. proponenda est vita æterna tanquàm merces bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et *Can. 32. Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum &c. fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ, anathema sit.*

3. Infertur 3. Bona temporalia *Indirectè* tantùm sub meritum condignum, *directè* autem sub meritum duntaxat congruum cadere posse. ex Sancto Thomâ *præs. q. 114. a. 10.* Ratio est. Quia Bona temporalia secundùm se præcisè spectata non sunt intra lineam participationis gratiæ sanctificantis. Ergo secundùm se ac *directè* non possunt cadere sub condignitatem meriti ex gratiâ sanctificante derivati. Nihilominùs *Imperativè* seu *objectivè*, & quasi *Instrumentaliter* sunt ordinabilia in vitam æternam, imò ex efficaciâ Divinæ prædestinationis ad istam quandoque actu ordinantur, ac ex hujus finis intentione conferuntur à Deo. Tunc igitur secundùm istam ordinabilitatem sunt intra lineam proportionis gratiæ sanctificantis. Ergo *ut sic*, adeòque *indirectè* possunt cadere sub meritum condignum.



ARTICULUS III.

DE

Reviviscentiâ Meritorum.

ISta materia ex instituto tractari solet, ubi agitur *de Pœnitentiâ*. In quem proinde tractatum plerasque circa talem materiam difficultates differimus, supponendo ex Sancto Thomâ *3. p. q. 89. a. 5.* tanquàm indubitatum, quòd merita in statu gratiæ facta, sed ob superveniens peccatum mortificata, vi pœnitentiæ reviviscant ad præmiū vitæ ęternę. Hinc enim Paulus *ad Galat. 3.* corripiens istos, quòd multa passi propter Christū ab eo deficerent propendentes ad Judaismum, subjecit. *Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ.* In quibus adeò prioribus verbis repræsentabatur Galatis jactura meritorum, quæ priùs patiendo propter Christum, sibi comparaverant: sed in verbis posterioribus erigebat ipsos ad Spem meliorem, insinuando, merita illa non fore sine effectu, si pœnitentiâ mediante redirent ad gratiam Christi, uti exponit Sanctus Hieronymus in *eodem c. ad Galat.* Atque hoc est, quod sub figurâ prænunciabatur *Ioelis 2. Convertimini ad me, & reddam vobis annos, quos comedit rubigo, & bruchus.* De quâ proinde meritorum reviviscentiâ hîc solùm discutiemus 1. *An sit solius misericordiæ, vel Iustitiæ?* 2. *An statim fiat ad integram gratiæ prioribus meritis respondentis, peccato autem mortali deperditæ restitutionem?* 1.

CONTROVERSIA I.

An reviviscentia meritorum sit Misericordiæ Divinæ, vel etiam Iustitiæ?

NOnnulli antiquiores à Mastrio *in 2. disp. 7. q. 10. n. 313.* relati docent, esse opus solius misericordiæ. Fundamentum est. Quia merita per peccatum mortificata non possunt reviviscere, nisi peccatum tollatur. At peccatum ab homine non tollitur ex justitiâ, sed ex solâ misericordiâ. Ergo etiam merita mortificata non redeunt ex justitiâ, sed ex solâ misericordiâ. 2.

Vasquez *1. 2. disp. 221.* & *in 3. p. q. 89. a. 5. dub. 1.* tenet, merita reviviscere ex naturâ rei, ita ut talis reviviscentia nullo modo posset impediri à Deo: Unde solam misericordiam esse, quòd homo pœniteat, & justificetur: suppositâ verò justificatione, omnino necessum esse, ut merita reviviscant. Fundamentum est. Quia merita justorum per se, & ex naturâ suâ sunt digna æterno præmio, etiamsi peccatum interponatur, dummodò postea auferatur, & homo tandem in gratiâ decedat. Ergo Deus non potest facere, quin homo à peccato resurgens maneat dignus præmio præcedentium meritorum. Ergo non potest facere, ut merita non reviviscant. Ergo talis reviviscentia sequitur ex naturâ Justificationis à peccato. 3.

Suarez

4. Suarez *in opus. relect. de reviviscentiâ meritor. disp. 1. sect. 3.* docet, merita de se habere dignitatem quasi fundamentalem, ut possint à Deo acceptari, etiamsi fuerint interrupta: sed addit, potuisse à Deo non acceptari, atque adeò misericordiam Dei intervenire non solùm in eo, quòd homo pœniteat, & justificetur, sed etiam quòd Deus ratione peccati hominem non privaverit in perpetuum omni jure, quod ex meritis præcedentibus poterat habere.

5. Concordat Cardinalis de Lugo *de pænit. disp. 11. sect. 1. n. 13. & 14.* asserens; tum quòd Deus potuisset de potentiâ absolutâ post primum peccatum privare hominem omni Spe recuperandi priora merita, itaut, licèt postea Justificaretur, non reviviscerent: tum quòd ex naturâ rei, & conformiter ad exigentiam gratiæ habitualis eo ipso, dum redit in Dei amicitiam, debeant reviviscere merita priora sine ullo favore Dei superaddito, qui saltem non sit connaturaliter debitus ipsi Justificationi. Fundamentum est. Quia gratia Habitualis ex se, & connaturaliter est semen gloriæ. Quare licèt de potentiâ absolutâ Dei potuisset homini justificato non condonari pœna æterna, quam debet ex peccato, sed tamen connaturaliter gratia habitualis exigit illam condonationem, eo ipso, quòd connaturaliter exigat gloriam, cum quâ non potest stare pœna æterna. Similiter ergo gratia Habitualis connaturaliter exigit, quòd justus non patiatur in æternum aliquam pœnam, propter peccatum. At si privaretur in æternum præmio præcedentium meritorum, jam pateretur perpetuò illam jacturam, quæ erat pœna præcedentis peccati. Ergò verè puniretur pænâ æternâ. Hoc autem videtur pugnare ex naturâ rei cum statu Beatifico gloriæ, in quam nihil intra coinquinatum non solùm debito culpæ, sed neque etiam debito pœnæ.

CONCLUSIO.

Reviviscentia meritorum in ordine ad Divinum ejusdem primò præfinitivum Decretum est opus misericordiæ, hoc verò Divino Decreto supposito, quoad formalem juris ad præmium peccato deperditi restitutionem reviviscentia meritorum est justitiæ DEO tamen proportionatæ.

6. Probatur. Nam licèt peccatum mortale Habituale *essentialiter* consistat in indivisibili, in gratiæ scilicet sanctificantis quoad substantiam spectatæ privatione, ejus tamen debitum *integraliter* consideratum diversos importat reatus, privationis scilicet gratiarum actualium, item gloriæ, nec non augmenti gratiæ prioribus meritis respondentis. Quamvis proinde impossibile foret, ut Deus infunderet gratiam sanctificantem, quin peccati Habitualis fieret quoad substantiam remissio perfecta, posset tamen ista remissio non esse facta *integraliter*. Unde posset habere Decretum gratiæ sanctificantis in gradu remisso peccatori restituendæ absque ullo ordine ad præcedentia merita. In quo adeò casu fieret quidem peccati mortalis Habitualis *essentialiter* perfecta, non tamen *integraliter* completa remissio, neque tunc meritorum præcedentium reviviscentia subsisteret. Etsi verò ipsa gratiæ sanctificantis infusio, seu peccati mortalis remissio quasi essentialis habeat connaturalitatis quandam exigentiam ad peccati integralem etiam remissionem, hæc ipsa tamen connaturalitatis exigentia pro rationis signo Decretum illius infusionis præfinitivum antecedente ita intelligitur stare in conspectu Divino, ut juxta illam stet malitia peccati præteriri de se divini odij ad omnimodam formam supernaturalem denegandam concitativa. Quæ equidem malitia est superans illam gratiæ sanctificantis connaturalem exigentiam. Unde non tantùm in eò Divina relucet gratia, & misericordia, quòd Deus misericordiæ & bonitatis suæ infinitatem super justitiæ judicium ex peccato concitatum exaltando, sit infundens gratiam sanctificantem, sed in eo insuper, quòd istam infundendo eatenus respiciat ad ipsius connaturalem respectu integralis peccatorum mortalium remissionis exigentiam, habeat Decretũ gratiæ non simpliciter, ut sed juxta meritorum antecedentium proportionem restituendæ præfinitivum. Unde cùm istud Dei prædestinativum Decretum sit meritorum reviviscentiæ causativum, fit consequens, actionem meritorum ejusmodi reparatricem esse puræ misericordiæ. Nihilominùs istâ actione Dei meritorum reparatrice *sub ordine intentionis* suppositâ, potest jam *in ordine executionis* intelligi Juris ad præmium præcedentibus meritis respondentis, sed peccato deperditi restitutionem fieri ex justitiâ Deo tamen proportionatâ.

Probatur istud subsumptum. Quia supposito illo præfinitivo Decreto, pro signo rationis posteriore stat in conspectu Divino infusio gratiæ cum remotione malitiei peccati, connaturalem gratiæ respectu integralis peccatorum remissionis, atque adeò meritorum reviviscentiæ exigentiam enervantis. Exinde verò potest Divina voluntas intelligi in Decreto *executionis* velle meritorum præcedentium reviviscentiam ex respectu ad illam gratiæ connaturalem exigentiam. At hanc ipsam connaturalitatis respectu meritorum exigentiam Deus eatenùs deduxit id pactum cum Christo, & hoc mediante cum hominibus justificatis initum; ut proinde Apostolus *Heb. 6.* dixerit, Deum non esse injustum, ut obliviscatur operis, & dilectionis Divinæ antè peccatum habitæ. Ejusmodi verò pactum super condignitate seu connaturalitate gratiæ fundatum inducit obligationem non quidem strictæ, sed Deo proportionatæ Justitiæ. Quare supposito Divino peccati mortalis quoad substantiam abstersivo Decreto gratuito, pro signo posteriori potest intelligi Decretum Divinum meritorum reviviscentiæ prædestinativum ex tali ad connaturalem gratiæ exigentiam respectu, ut sub istâ condignitatis connaturalis exigentiâ vi pacti sese obligarit ad reviviscentiæ seu Juris præcedentibus meritis respondentis reparati quasi effectum formalem. 7.

Responsio ad opposita fundamenta.

Ad *n. 3.* oppositum Respondetur. Illo duntaxat probari, quòd primum sub ordine intentionis meritorum reviviscentiæ præfinitivum Decretum sit misericordiæ, licèt isto supposito, Deus ex respectu ad gratiæ peccati mortalis abstersivæ connaturalem exigentiam potuerit vi illius præfinitivi Decreti reviviscentiam meri- 8.

torum eatenus firmare pacto, ut consequenter Decretum sub ordine executionis consideratum esset cujus Justitiæ, vi adeò pacti, reviviscentia meritorum quoad executionem esset justitiæ Deo tamen proportionatæ.

Ad *n.4.* oppositum Respondetur. Aliud esse, quòd merita in statu gratiæ elicita habeant ex se ipsis condignitatem ad præmium vitæ æternæ: aliud verò esse, quòd ista condignitas peccato enervata, & sublata sit per ipsam meritorum seu gratiæ naturam reparabilis. At licèt prius sit simpliciter verum, posterius tamen indiget aliquâ restrictione, quatenus gratia sanctificans habeat quidem respectu talis reparationis exigentiam connaturalitatis, quam tamen Deus non tantùm ex absolutâ suâ potentiâ, sed etiam respectu præteriti peccati mortalis posset impedire, ne aliquem sortiretur effectum. Unde misericordiâ opus fuisse, ut Deus non attendendo ad peccatum præteritum, vi Decreti sui gratuiti eatenus sub conspectum suum poneret illam gratiæ condignitatem, ut hujus intuitu decerneret meritorum reviviscentiam. Quamvis proinde ista secundùm ordinem executionis sit ex naturâ gratiæ, attamen ut hæc ipsa gratia adversùs peccatum præteritum prævalere posset, opus fuit secundùm ordinem intentionis Divino virtualiter priori Decreto, peccati præteriti eatenus abstersivo, ut exinde posse gratia sanctificans non tantùm essentialis, sed etiam integralis peccatorum remissionis, ipsiusque adeò meritorum reviviscentiæ effectum formalem tribuere.

CONTROVERSIA II.

An merita in ordine ad integrum semper gratiæ augmentum ipsis commensuratum in primo statim justificationis instanti reviviscant?

AFfirmant Suarez *disp. 2. de Pœnitent. sect. 3.* Card. de Lugo *disp. 11. de Pœnit. sect. 2. n. 34.* allegatis Scoto & alijs. Fundamentum est. Quia merita in primo statim Justificationis instanti reviviscunt integrè ad gloriam, sive ad jus gloriæ priùs debitæ. At si obex peccati sufficienter sit ablatus, & merita maneant jam impedita in ordine ad gloriam, non est, unde impediantur in ordine ad gratiam, siquidem gloriam non aliter exigant, nisi mediante gratiâ, ut radice ipsius.

Econtra negant Divus Thomas *in 3. p. q. 89. a. 5. ad 9.* & Thomistæ communiter. Item Scotus *in 4. dist. 22. q. un. art. 2.* & Scotistæ communiter relati à Mastrio *cit. q. 10. art. 3.* nec non Divus Bonaventura *in 4. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 1.* asserentes, integrum meritis reviviscentibus respondens gratiæ augmentum restitui tunc, quando habetur dispositio charitatis saltem virtualis, secundùm intensionem commensurata intensioni talis augmenti; cujusmodi equidem dispositionem, si non habeatur in hac vitâ, fore saltem habendam in fine vitæ, vel in principio gloriæ. Fundamentum est, Quia gratia præcedentibus meritis respondens restituitur juxta mensuram charitatis saltem virtualis pro tunc habitæ, quando fit Justificatio ac meritorum reparatio.

CONCLUSIO.

IN primo statim Justificationis instanti integrè restituitur Jus ad integram gloriæ & consequenter gratiæ antiquis meritis commensuratum augmentum; istud tamen gratiæ augmentum *physicè* ac realiter non priùs ex integro reparatur, quàm habeatur actûs supernaturalis ad illud disponentis intensio commensurata, quandoque in primo animæ à corpore separationis instanti primùm habenda.

Probatur. Nam gratiæ tanquàm formæ physicæ ac realis infusionē seu justificationem Deus voluit 3.
in adultis esse dependentem etiam à physicâ subjecti dispositione, Sacro Concilio Tridentino *sess. 6. de Justif. cap 7.* attestante, Justitiam infundi singulis secundùm propriam cujusque dispositionem. At licèt merita antiqua, obice peccati per pœnitentiam remoto, stent in conspectu Divinitatis, tanquàm motiva ex parte volitorum finalizativa, ut sic divinæ voluntatis excitativa ad gratiæ augmentum ipsis commensuratum restituendum. Quâ ratione habent etiam rationem causæ moraliter efficere potentis tale gratiæ augmentum. Nihilominùs sicuti ad hoc, ut merita Christi in Sacramentis, tanquàm gratiæ ejusque augmenti *moraliter* sint effectiva, in actuali gratiæ causatione secundùm Divinam ordinationem (à præcitato Concilio Tridentino declaratam dependent ex dispositione subjecti) sic dicendum est etiam de illis antiquis meritis, ita ut *actualiter* non sint causativa integri meritis antiquis respondentis, sed peccato mortali extincti gratiæ augmenti, nisi subjecti per charitatis, alteriusve virtutis motivum ac finem charitatis specificativum virtualiter participantis actum, dispositio secundùm intensionem fuerit commensurata. Unde si talis dispositionis cum gratiæ augmento meritis antiquis respondente quoad intensionem commensuratio, & proportio non priùs habeatur, quàm in fine vitæ, seu primo animæ à corpore separationis instanti, tunc illud meritis reviviscentibus respondens gratiæ augmentum eousque manebit in Jure super meritis ejusmodi per Justificationem resuscitatis fundato. Ipsa verò actualis collatio augmenti gratiæ dabitur in instanti dispositionis augmento illi quoad intensionem commensuratæ.

Respondebis ex Cardinali de Lugo *cit.* 4.
sect. 2. n. 37. Verùm quidem esse, quòd gratia detur secundùm dispositionem. In illo tamen meritorum antiquorum reviviscentiæ casu dispositionem non esse solam contritionem præsentem, sed contritionem cum meritis præcedentibus: ita ut contritio disponat v.g. ad duos gratiæ gradus, merita autem præcedentia ad alios duos, quos habebat homo ante peccatum, & utrumque simul ad totam illam gratiam ut quatuor.

Contra. Nam aliud est, quòd merita præ- 5.
cedentia possint habere vim moraliter causativam augmenti gratiæ peccato deperditi: aliud verò est, an præter istam causam meritoriam e-

pus

pus sit physicâ dispositione ad intensiorem gratiam recipiendam. At verò gratiæ intensionem pendere etiam ex physicâ subjecti dispositione, demonstravimus *præs. q. 4. 1. cont. 2. concl. 2.* Nequeunt autem merita præcedentia habere rationem physicæ ad gratiæ augmentum dispositionis, sed causæ duntaxat *moraliter* motivæ ad talis augmenti peccato deperditi restitutionem decernendam. Ergo præter ista merita opus est alio supernaturali actu, juxta cujus tanquàm physicæ subjectum adaptantis dispositionis commensurationem connaturaliter infundatur gratiæ augmentum.

6. Instabis. Si meritorum quoad integrum gratiæ augmentū reviviscentia dependeat ex dispositionis, quoad intensionem commensuratione, sequi; quòd is, qui habuit ex meritis gratiæ augmentū ut sex nunc in articulo mortis subit pœnitentiam v. g. ut duo, tunc pro instanti animæ à corpore separationis non esset habiturus gratiæ sanctificantis, ac virtutum supernaturalium intensionem, nisi ut duo. At verò ex charitatis habitu intensò tantùm ut duo, non processurum actum intensum ut sex, nec adeò dispositionem augmento gratiæ ut sex commensuratam fore unquam ponendam in actu. Ergo in totâ æternitate fore tunc jacturam integri meritis præcedentibus respondentis augmenti. At istud consequens esse absurdum. Ergo & id, ex quo sequitur.

7. Contra. Nam charitas secundùm præcisam substantiam, abstrahendo etiam ab intensione, habet per modum potentiæ vim ad actum etiam ut sex v. g. intensum eliciendum. Eo ipso autem, quòd merita antiqua sint per Justificationem statim reviviscentia, quoad integrum suum jus ad gratiæ augmentum peccato mortali amissum, sequitur, per Divinam actualem gratiam pro primo à corpore separationis instanti fore animam efficaciter excitandam ad actum charitatis adeò intensum, ut per modum non quidem meriti, sed physicæ dispositionis habeat convenientem cum tali gratiæ augmento commensurationem. Quare pro tali instanti fore integrum, antiquis meritis respondens, gratiæ augmentum restituendum.

Ad n. 1. oppositum fundamentum.

RESpondetur. Illud meritorum præcedentium ; ad integrum gratiæ augmentum, remoto per Justificationem peccati obice, restituendum, Jus se tenere tum in condignitate gratiæ sanctificantis, tum in Divino *præc. cont. 2.* exposito pacto. Istud verò pactum fundari super Divino Veritatis & immobilitatis certitudinem per sui nobis Divinitùs insinuatam revelationem firmante Decreto. Hoc ipsum verò Decretum non esse de gratiæ augmento, nisi secundùm Dispositionis mensuram conferendo ; uti superiùs est ostensū. Sicuti ergò Jus gloriæ meritis respondens ex ordinatione, & super istam fundato pacto; Divino non habet suum actualis gloriæ consecutionis effectum, nisi post finem vitæ : sic vi illius pacti Divini Jus ad gratiæ augmentum meritis antiquis reviviscentibus respondens, non habet actualiter suum effectum, nisi dependenter à conditione dispositionis, quoad intensionem commensuratæ, per Divinam prædestinationem quandoque reservandæ usque ad instans animæ à corpore separationis.

F I N I S.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM
NOTABILIUM.

Prior numerus Paginam, posterior numerum Marginalem denotat.

I. Ju-

Index Rerum & Verborum.

F I N I S.